# BIBLIORVM PARS TERTIA,

ID EST,

## QVINQVE LIBRI POETICI, LATINI

*Recens ex Hebræo facti, brevibusq; Scholiis ad verborum interpretationem rerumq; methodum pertinentibus illuſtrati ab Immanuele Tremellio, & Franciſco Iunio.*


LIBRI TERTII TOMI.

| | |
|---|---|
| Ijob | Eccleſiaſtes. |
| Pſalmi | Liber Canticorum. |
| Proverbia. | |

ILLUSTRISSIMO
# PRINCIPI AC DOMINO
POTENTISSIMO, DOMINO IOANNI CASIMIRO, PALATINO COMITI AD Rhenum, Bavariæ Duci, &c. gratiam & pacem à Domino.

EDITURI *poëticos ſacræ Scripturæ libros,* PRINCEPS *Illuſtriſſime, & oblaturi tuæ Celſitudini, neque multis de ratione hujus inſtituti noſtri apud te præfandum ſtatuimus, neque rei tantæ apud omneis commendationem à nobis afferendam eſſe. Hanc enim jam olim paterna Dei opt. max. gratia ingeneravit & impreſſit pietati tuæ, & apud omnes bonos teſtificata eſt poſt omnem hominum memoriam Spiritus ſancti auctoritas, cui neque arte noſtra quicquam poſſet ampliùs accedere, neque impietate multorum decedere. Cùm tamen & peritos ſtrenuóſque remiges perſonantia confirment celeuſmata; & athletas quoſque fortiſſimos ſpectantis coronæ voces & hortationes accendant; conſilium hoc ſperamus non fore ingratum T.C. neque militi Chriſtiano ulli futurum ducimus inutile, ſi quas Eccleſiæ veteris & Patrum ſanctiſſimorum voces huic operi præmittamus. Noſtræ enim, fatemur, plurimũ à rei dignitate & amplitudine eſſent abfuturæ, adeò ſumus apud nos conſcii tenuitatis & infirmitatis noſtræ; neque verò multum apud quamplurimos auctoritate poſſent: ſed quod in nobis exile atque jejunum eſt, id veneranda antiquitas ſua auctoritate gratiaq́ reſarciet. Communem igitur Baſilii magni & Auguſtini ſententiam de hoc opere adducemus, gravitate maximâ, elegantiâ non mediocri, & ſanctimonia ſumma confertiſſimam. Omnis Scriptura, inquiunt illi, divinitus inſpirata & utilis ad docendum: hac ipſa de cauſa à ſancto Spiritu conſcripta eſt, ut veluti in communi quadam ſanandis animis officina homines & ſinguli nobis remedium ex ea perturbationibus propriis aſſumamus: hoc enim remedium (ait quidam) ſublaturum eſt peccata magna. Ac in iis quidem ſunt alia, quæ Prophetæ tradunt, alia quæ Hiſtorici, alia item quæ Lex, alia quæ in Proverbiis monitorum formâ: Pſalmorum verò liber quæcunque utilia ſunt ex omnibus comprehendit, futura prædicit, veterum hiſtorias commemorat, legem fert viventibus, gerendorum ſtatuit modum, & (ut ſemel breviterque dicam) publicum bonorum documentorum eſt promtuarium quoddam, ea quæ ſingulis conferunt pro ſtudio ipſorum invenienda & percipienda exhibens. Etenim & veteribus animarum vulneribus medetur, & recentibus velociſſimum ſolet remedium adhibere, & quod affectum eſt curat, & quod integrum eſt conſervat, denique omnino paſſiones tollit (quoad ejus fieri per noſtram infirmitatem poteſt) quæ variè animis hominum in præſente vita dominantur; idque cum melodica animarum perductione quadam & delectatione modeſtas reddente cogitationes noſtras atque temperante. Quoniam enim Spiritus ſanctus videbat humanum genus ægrè ad virtutem adduci, & nos propter vitioſitatem naturæ ad voluptates inclinantis rationem rectè vivendi negligere; quid ille fecit? delectabiles cantionum modulos documentis ſuis permiſcuit; ut dum ſuavitate & gratia mulcetur auditus, utilitatem illam percipiamus clàm quæ ex ſermonibus iſtis innaſcitur: quemadmodum periti medici faciunt, qui potanda auſteriora pharmaca præbentes ægris, ſæpè os poculi melle circumlinunt, ne ægri utilitatem ſuam præ auſteritate refugiant. Proptereà igitur nobis hæc Pſalmorum carmina modulis aptis excogitata ſunt, ut ſi qui ætate ſunt pueri, aut planè adoleſcentes moribus; ſpecie quidem modulentur,*

revera autem animas ſuas erudiant. Neque enim Apoſtolicum, neque Propheticum præceptum faciliè ex vulgo quiſquam aut ſegnioribus hominibus unquam memoria complectitur, & illud tenet animo, quum ex Eccleſia egreditur: Pſalmorum verò dicta & modulantur domi, & in foro circumferunt: & ſicubi quis offenſus animo exacerbatur & efferatur valde, poſtquam fuerit Pſalmi (ut ita dixerim) carminibus incantatus, abſcedit illico ſepulta his ſanctis modulis animi ſui feritate, quamvis acerbiſſima. Pſalmus tranquillitas animarum eſt, brabeutes pacis, perturbationes & fluctus animorum cohibens: mollit enim iracundiam mentis, luxumque revocat ad temperantiam. Pſalmus amicitias congregat, adunat diſſidentes, reconciliat adverſarios: quis enim ampliùs inimicum duxerit hominem, quicum vocem Pſalmi unicam ad Deum emiſerit? Quod igitur omnium bonorum eſt hominibus inter ſe maximum, charitatem exhibet Pſalmorum modulatio, concentum velut commune aliquod hominibus adunandis inter ſe vinculum ſuggerens animo, & compingens populum ad chori unius ſymphoniam. Pſalmus dæmones fugandi inſtrumentum eſt, angelos ad auxilium noſtrum adducendi, armatura in terroribus nocturnis, diurnorum laborum requies, tutamen pueris, juvenibus ornamentum, ſolamen ſenibus, mundus mulieribus aptiſſimus: ſolitudines efficit habitatas, fora ſobria: eſt tironibus rudimentum, proficientibus incrementum, perfectorum firmamentum, vox totius Eccleſia una. Hic ſolennitates illuſtrat, hic triſtitiam quæ eſt ſecundùm Deum operatur: Pſalmus enim vel ex lapideo corde lacrymas evocat. Pſalmus angelicum opus eſt, cæleſtis adminiſtratio, ſpiritale thymiama. O verè ſapiens magiſtri illius cogitatum artificioſiſſimè procurantis, ut eâdem operâ cantemus & res utiles addiſcamus, quia hoc pacto hæc documenta magis in animis noſtris informantur. Nam quæ doctrina per violentiam quamdam animis inditur, ea non ſolet permanere: quæ verò cum delectatione & gratia inſinuatur atque inducitur, neſcio quo pacto diutiùs hærere mentibus cernitur, & conſtantiùs memoriæ inhærere. Quid enim eſt, obſecro, quod ex Pſalmis nequeas diſcere? nónne ampliſſimum decus fortitudinis? nónne juſtitiam accuratiſſimam? nónne gravem temperantiam? nónne prudentiam abſolutiſſimam? nónne reſipiſcentiæ rationem? nónne regulas patientiæ? nónne quicquid boni enunciare poſſis? hic profectò eſt Theologia perfecta, prænunciatio Chriſti in carne venturi, minæ judicii, communis reſurrectionis ſpes, ſuppliciorum metus, pollicitatio gloriæ, myſteriorum revelatio: omnium rerum theſauri in hunc Pſalmorum librum, tamquam in magnum aliquod & commune promtuarium, comportati ſunt atq; repoſiti. Habes, Illuſtriſſ. PRINCEPS, Pſalmorum encomium, breve illud quidem verborum numero, ſed ampliſſimum reipſa & magnificentiſſimum, quo magnus ille Baſilius olim utebatur: cujus quidem encomii nos propterea neque tædet, neque pudet, quòd maximum illum pietate & eruditione virum D. Auguſtinũ minimè puduit operi ſuo idem ferè de verbo redditum diſſimulato auctore præfigere. Quid ergo? dixerit quiſpiam: vóſne libros omnes poëticos qui in Scriptura exſtant vocatis Pſalmos? vóſne libris omnibus iſtis eadem tribuitis quæ veteres propriè & ſingulariter aptârunt ei libro, quem librum laudum Hebræi appellarunt? nos verò hoc nomine ſanctiſſimo illi laudum vel Pſalmorum Davidicorum (ut συνεκδοχικῶς appellantur) libro nihil derogamus, neque aliis quicquam ſuprà quàm oporteat temerè arrogamus. Nam libros qui à Davide aliiſque viris Dei fuerunt traditi ut in Eccleſia canerentur, eos κατ᾽ ἐξοχὴν & ſingulariter Pſalmos dici & dicẽdos eſſe agnoſcimus: alios verò qui ita ſcripti ſunt ut viri boni cantare potuerint eos & arbitratu ſuo cantaverint delectationis ſuæ & inſtitutionis ergò, eos non minus propriè, ſed communi voce confirmamus Pſalmos appellari. Itaq; hos libros omneis communiter vocamus Pſalmos, quia ſunt rythmici: non proſa oratione ſcripti, ut omnes alii

(etſi

(etſi in his Cantica quædam extant elegantiſſima Moſchis, Deboræ, Davidis, Ieſchahjæ, Iechizkijæ, Iirmeiæ, & Chabbakuki inſperſa) ſed numeris adſtricti ad commoditatem memoriæ & cantus: quo quidem ſcriptorum genere numeroſo verbis, & ſententiarũ δεδαιδαλμένῳ ἄνθεσι ποικίλοις optimè doceri animos, delectari, atque permoveri nemo non novit qui humanitatem noverit. Quid enim aliud eſt ψαλμὸς, quàm ſpiritale & ſanctum ſcriptionis genus privatim, publicè, canentium, pſallentium, aut ſymphoniam exercentium modulationi accommodum? Sed quid nos de voce hac diu multumq; opus eſt laborare? Chriſtus ipſe diſcipulos ſuos compellans (ſi ad argumentationem ipſius probè attendamus) auctor nobis futurus eſt hoc totum librorum Poeticorum corpus librum Pſalmorum appellari; Hi ſunt (inquit) ſermones illi quos dicebam vobis, quum adhuc vobiſcum eſſem; oportere ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moſis, Prophetiſque, & Pſalmis de me. Sunt quidem omnes Prophetæ, quorum manus ad exarandam ſcripturam ſacram adhibuit Dominus, ſed tria univerſè ex illis omnibus genera conſtituuntur ſcripturæ à Chriſto Servatore noſtro, & Apoſtolo confeſſionis noſtræ. Primum eſt lex Moſchis, id eſt, Pentateuchus, ex qua, velut peremni & ſalubri fonte, ducti fuerunt omnes aliorum ſcriptorum rivi, & ad quam cæteri veteris Teſtamenti libri tamquam ad caput ſuum referri debent. Secundum eſt Prophetarum, qui nudè ſoluta oratione & voce & ſcripto Eccleſiæ Dei tradiderunt quæcumque Spiritus ſanctus clàm infundebat illis, ut cum tota Eccleſia communicarent palam. Atq; horum quidẽ Prophetarum alij qui res ante geſtas monumentis literarum conſignârunt, Prophetæ anteriores; alij qui ex præſentibus futura judicia & promiſſa Dei prædicârunt, poſteriores nuncupantur: non ab ordine collocationis (ut recentiores Hebræi ſomniarunt) ſed à rerum quas prædicârunt & conſcripſerunt argumento. Tertium verò genus eſt Pſalmorum, hoc eſt, librorum in quibus res à Moſche Prophetiſque traditæ & ſancto Dei Spiritu teſtatæ aptis numeris exponuntur, aut demonſtrantur exemplis tam publicis quàm ſingularibus. Horum igitur Pſalmorum (ut vocavit Chriſtus) commune eſt quicquid boni Patres de cantionibus veteris Eccleſiæ prædicarunt in libro laudum comprehenſis: commune argumentum, communis forma, cõmunis uſus, omnia ad eamdem gloriæ Dei prædicationem & ædificationem Eccleſiæ pertinentia. Hæc poeſis ſacra eſt, elegantiſſima Legis Prophetarumq; epitome, ab aliis libris hoc uno differens, quòd illi oratione fuſa & ſimplice audientibus narrarunt, eos docuerunt, atque commoverunt; hi verò numeroſa & brevi ad memoriam, figurata ad vim & efficacitatem oratione protulerunt eadem documenta voluntatis Dei: quæ duo (ut taceamus cantum) compages inquam numerorum & figurarum lumina, quantum in mentibus humanis poſſint, ſupervacaneum fuerit hoc loco exponere. Nam cùm tota cæleſtis theologia in vera juſtaq; Dei & noſtri cognitione ſita ſit, ſi placebit majeſtatem Dei ex natura ejus in Chriſto per libros iſtos cognoſcere, habes Proverbiorum Schelomonis partem; ſi ex creatione & adminiſtratione providentiæ, habes Ijobum; ſi ex gratioſo fœdere cum Eccleſia inito, habes Canticum Canticorum: ſin autem tibi ad cognitionem noſtri, delineari cupis vaniſſimam, quæ à natura eſt, animi noſtri, judiciorum, & actionum formam, nihil Eccleſiaſte convenientius; ſi officia ethica æquè ad pietatem ac humanitatem pertinentia, nihil aptius altera Proverbiorum parte: ſi denique omnia ſimul complecti deſideraveris, en tibi Pſalmorum (ut vulgo appellatur) librum, theſaurum, inquit Ambroſius, virtutum omnium; ſpeculum naturæ divinæ, adminiſtrationis, & gratiæ, cùm vanitatis, tum officiorum noſtrorum omniũ indicem & πάγχρηστον σύλλαβον, in quo explicatã cernas totius hominis & ψυχικοῦ & ſpiritualis anatomen, hortũ animæ Chriſtia-

*næ & odoramentorum omnium, inſtructiſſimam* παναρέτων *medicamentorum officinam, certiſſimumq́ ( ut Epiphanii verbo utamur)* πανάριον. *Quamobrem non poſſumus ſatis laudare ſanctiſſimum conſilium Principis Illuſtriſſimi & ſanctiſſimi parentis tui, qui Pſalmorum librum cogitabat ſeorſim vernaculo ſermone editum circumgeſtare ſecum, & domeſticis & ſingulis geſtandum, legẽdum, diſcendumque tradere; ut is ſibi & ſuis omnibus theſaurus eſſet. De opera autem noſtra nolumus apud* T. C. *aut viros bonos prædicare quicquam: hoc unum confirmabimus, quicquid nobiſcum artis & induſtriæ communicavit Dominus, id nos accuratè optima fide & diligentia attuliſſe cùm ad convenientem verborum interpretationem, tum ad ſimplicem & germanam rerum intelligentiam: cui non parum putamus illud conducere, quòd ordinem & viam aliquam percipiendis & comprehendendis rebus, quàm breviſſimè à nobis fieri potuit tradidimus. Neminis hic officium improbamus, neminem damnamus, nemini præjudicatum afferimus: ſcimus enim lata eſſe valdè documenta Domini, eáque ab aliis aliter æquo animo ferimus tractari & teri. Nos bonorum impulſu in agricolationem hanc incubuimus, teſtificante Domino in mentibus noſtris: itaque ( ut cum Arnobio loquamur ) hunc ſacræ Scripturæ laticem, licet tenuiter, ſitim patientibus aperimus ut ſitientes bibant: rogamúſque & obſecramus & per ſanctiſſimum nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti & glorioſum adventum ipſius, eos omneis qui ſibi Spiritu ſancto videntur ebrii, & qui re ipſa participes ſunt cæleſtium donorum ejus, ut nulla tamen ſitientibus impedimenta patiantur inferri: neque enim qui vino exuberant, aquam volentes bibere prohibent. Atque hunc quidem librum, theſaurum Eccleſiæ ſacrum, elaboratum à nobis per voluntatem Domini, indicem propenſiſſimi noſtri erga* T. C. *animi, & conſtantiſſimi ſponſorem officii, nunc demum* T. C. *offerimus; ut quemadmodum hoc commune eſt & fuit ſemper toti Eccleſiæ documentum, piis ſingulis, & Illuſtriſſimo parenti tuo, eodem etiam modo ſit tibi germano Dei Patris in Chriſto, ſanctæ & catholicæ Eccleſiæ in ſemine incorrupto verbi, & tanti parentis à natura filio, ſit ergo doctrina hæc commendatiſſima, colatur, teneatur, & feratur oculis pietatis tuæ ad gloriam Dei patris in Ieſu Chriſto capite & Servatore noſtro, ad Eccleſiæ ejus ædificationem, & ſalutem æternam* T.C.

*Illuſtriſſime* PRINCEPS, *Deum oramus & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut* T. C. *quam diutiſſimè ſervet incolumem, tibi adſit, te ſuo Spiritu regat, & omni benedictionum genere exornet cumulatiſſimè. Amen.*

T. C. ſervi addictiſſimi,
Immanuel Tremellius,
Franciſcus Iunius.

# IJOBI.

## ARGUMENTUM.

IJOB, *ſanctum exemplum patientiæ, plurimis & graviſſimis calamitatibus probatus à Deo, & omni ope deſtitutus: durioribus adhuc tentationibus ab uxore & amicis petitur. Nam illa quidem inſanis ludifidicationibus exagitat virum: hi verò à providentia & juſtitia Dei ſapientiſſima & potentiſſima, à peccatrice hominum natura, atque à prima illa Ijobi perturbati oratione conjecturam facientes; ſtatuunt in ſingulis ſuis rationibus Ijobum aut maleficentiſſimè vixiſſe apud homines, aut hypocritam fuiſſe coram Deo: alioquin nunquã futurũ fuiſſe, ut à Deo juſtiſſimo tã graves plagæ infligerentur ipſi. Hæc ſumma propoſitionis illorum ſtatus conjecturalis. Ijob verò, etſi interdum plus æquo infirmitate carnis exardeſcens, criminationes amicorum ita refellit, ut neque juſtitiam Deo, neque ſibi adimi patiatur: ſed duabus rationibus utitur ad defendendum ſe: una, quòd judicia Dei, utcunque juſta ſint, hominibus ſunt incognita: ac proinde temerè amici de ipſo judicant: altera, quòd Deus ipſe cõmuni experientia contrà oſtendit quàm illi aſſerant, etiam in hac vita bonis ſæpius malè eſſe quàm malis. Ita ad ſeipſum veniens primùm utitur teſtimonio conſcientiæ ſuæ, cui aliquando laceſſitus aſpergit murmura: deinde per ἀντικατηγορίας ſive criminis tranſlationem amicos reprehendit, quòd cauſam Dei (ut ſibi videbantur) ſuſcipientes, ipſum injuſte criminarentur. His ſermonibus ultrò citroque habitis, Elihu velut comparans animos diſſidentes ad reverentiam, documenta exponit de juſtitia & miſericordia Dei, utroſque reprehendit, & docet Ijobum humilitatem, à comparatione majeſtatis Dei cum humana ſorte. Poſtremo Deus idem documentum confirmans ab operum ſuorum exemplo, Ijobum primò ad ſilentium, deinde ad confeſſionem & reſipiſcentiam, amicos verò ejus ad reconciliationem adducit: reſtituto denique Ijobo amplius quàm antè benedicit.*

Spanhemii Hist. Jobi instar commentarii in hunc librum.

## CAPUT PRIMUM.

*Ijob pius operâ Satanæ à Deo exercetur, amiſſis facultatibus & liberis: qua calamitate preſſus in pietate permanet; & ſe ipſum conſolans benedicit Deo.*

VIR [1] erat in regione [2] Hutzi, Ijob
nomine: eratque vir ille integer, &
rectus timenſque Dei, & recedens
à malo.
2 Et huic editi fuerunt ſeptem filii & tres
filiæ:
3 Eratque poſſeſſio ejus ſepties mille pecu-
des, & ter mille cameli, & quingenta juga bo-
um, quingentæque aſinæ, & famulitium per-
multum: denique erat vir ille maximus om-
nium [3] *a* orientalium.
4 Euntes autem filii ejus faciebant convi-
vium domi *ſuæ* quiſque die ſua; & mittentes
invitabant tres ſorores ſuas, [4] ad comeden-
dum & bibendum ſecum.
5 Deinde erat [5] quum circumegiſſent dies
convivii, ut mittens Ijob [6] ſanctificaret eos, &
ſurgens mane offerret holocauſta *de* numero
illorum omnium; nam dicebat Ijob, fortaſſe
[7] peccaverint filii mei, aut *b* [8] maledixerint Deo
apud *c* animum ſuum: ita faciebat Jiob ſingu-
lis diebus [9] illis.
6 Quum itaque eſſet [10] dies hujuſmodi,
advenientib. [11] filiis Dei ut ſiſterent ſe coram
Jehova; ſimiliter advenit etiam [12] Satan inter
eos.
7 Dicente autem Jehova Satanæ, unde ve-
nis? reſpondens Satan Jehovæ dixit; [13] à pera-
grando terram, & à perambulando in ea.
8 Dicente porrò Jehova Satanæ, *d* adver-
tiſtíne animum tuum ad ſervum meum Ijo-
bum, quòd non ſit par ei in terra, vir integer;
ac rectus, timens Dei, & recedens à malo?
9 Reſpondens Satan Jehovæ, dixit; [14] an
gratis timet Ijob Deum?
10 Nónne tu [15] obſepiviſti eum, domúm-
que ejus, & quicquid *eſt* ei circumquaque? o-
perique manuum ejus ita benedixiſti ut pecus
ejus *in multitudinem* eruperit in terra?
11 Enimverò mitte, quæſo, manum tuam,
& [16] attinge quæcunque *ſunt* ei; [17] niſi [18] in *e* os
tuum maledicturus ſit tibi.
12 Itaque dixit Jehova Satanæ, ecce quæ-
cunque *ſunt* ei, in manu tua *ſunto*, tantummo-
dò in ipſum ne mittito manum tuam: & exivit
Satan à conſpectu Jehovæ.

[1] Hiſtoriã hanc fuiſſe geſtam docent perſonarũ, gentium, & regionũ nomina, liberorum Ijobi numerus, & inprimis nobilis illa reſtitutio & inſtauratio Ijobi, de qua cap. 42. deniq; teſtimonium Jechezkelis 14. 14. & Jacobi 5. 11. Tempus etſi certò definiri nõ poteſt; veriſimile tamẽ eſt ex perſonarũ, gentium, locorumque nominibus, & ex ætate quę Ijobo 42. cap. tribuitur, eum vixiſſe quo tempore Jiſraelitæ in Ægypto degebant: inprimis verò ex eo quod poſt latã legem nemini licuit alibi quàm coram arca vel tabernaculo Dei ſacrificare, ſine mandato ſingulari. nam amicorum Ijobi unus è poſteris Abrahami, alter è poſteris Nachoris, & alii è poſteris Heſaui fuerunt: vita verò tam longæva non ita fuit cum poſterioribus ſeculis communicata, ut Moſche (quem Jehudæi exiſtimant hujus libri ſcriptorem fuiſſe) teſtatur Pſal. 90. 10. Denique Jjob aut non feciſſet contra præſcriptum Legis ſacrificans; aut ſcriptura non commendaſſet illius ſacrificia; ſi veniſſet contra Legem. [2] vide Gen. 10. 23. [3] in quam regionem Abrahami filios præter Jitzchakum amandatos fuiſſe docet Moſche, Gen. 25. 6. & 18.,
*a* *Hebr filiorum Orientis.* [4] id eſt, ad convivandum: periphraſis, ut inf. verſ. 13. & 18. [5] id eſt, quotieſcumque eorum unus fratres convivio acceperat, quaſi actis in orbem vicibus. [6] id eſt, ſanctificationem imperaret, ut mundati ſequenti ſacrificio intereſſent, ut Exod. 19.
[7] opere aut verbis inter convivandum.
*b* *Heb. benedixerint: ἀντίφρασις, ut Reg. 21. 13. & infrà verſu* 11. [8] id eſt, non ita ſanctificaverint ut par eſt *αὐθεντικῶς*, quam pii adhibere ſolent in damnandis peccatis ſuis & ſuorum: cùm hypocritæ contra levare ſoleant peccata ſua etiam graviſſima, inde ab Adami labe,

*c* *Heb. cor.*
[9] quibus fiebant iſta convivia.
[10] quo convivium agitabatur apud primogenitum; infrà verſ. 13. & 18.
[11] i. angelis, divinis ſpiritibus miniſtrantibus Deo propterea qui hæredes ſalutis futuri ſũt: ſic vocantur διακριτικῶς, ut à filiis hominum diſcernantur. Sunt autem hęc humanitus dicta, & à terrenis regibus deſumta, ut 1. Regum 22. 19.
[12] ſpiritus malus, noſtræ ſalutis adverſarius, qui & ipſe Deo ſe ſiſtere & imperata facere cogitur.
[13] vide 1. Petr. 5. 8. ſic infrà 2. 2.
*d* *Heb. poſuiſtine cor tuum: ſic infrà* 2. 3.
[14] quaſi dicat, commodè poteſt te revereri, qui tantam mercedem à te accepit, quam deſcribit verſus ſequens. [15] id eſt, ab omni malo obtexiſti, & adhuc obtegis: metaphora.
[16] id eſt, attingendo amove & perde: μείωσις digna improbitate veteratoris Satanæ, ut infrà 2. 5.
[17] ſimilem phraſin vide 1. Reg. 20. 23. & 25.
[18] i. palam & abjecta omni numinis reverentia, ut alibi dicitur coram Jehova, Gen. 10. 9.
*e* *Heb. faciem tuam: ſic infrà* 2. 5.

13 [19] Quum, inquam, eſſet dies hujuſmodi;
quo filii illius & filiæ illius comedebant & bi-
bebant vinũ in domo fratris ſui primogeniti:
14 Nuncius veniens ad Ijobum dixit; quũ
boves ararent,& aſinæ paſcerẽt *f* ſecundũ eos,
15 Irruens [20] Sabæorum gens cepit ea , &
pueros percuſſerunt acie gladii:proripui autẽ
me tantummodò ego ſolus,ad indicandũ tibi.
16 Adhuc iſto loquente , alter adveniens
dixit; [21] ignis Dei cecidit è cœlo , qui exarde-
ſcens in pecudes & pueros cõſumſit eos: pro-
ripui autem me tantummodò ego ſolus,ad in-
dicandum tibi.
17 Adhuc iſto loquente,alius adveniens di-
xit;Chaldæi diſpoſitis tribus *g* agminib.irrue-
runt in camelos & ceperunt eos,puerosq; per-
cuſſerunt acie gladii : proripui autem me tan-
tummodò ego ſolus,ad indicandum tibi.
18 Dum iſte loquebatur, etiam alius veni-
ens dixit; filii tui filiæque tuæ comedebant ac
bibebãt vinũ in domo fratris ſui primogeniti:
19 Quum ecce [22] ventus magnus venit à *h*
plaga deſerti , quo *i* impetente quatuor angu-
los domus , corruit illa ſuper pueros ita ut
mortui ſint: proripui autem me tantummodò
ego ſolus,ad indicandum tibi.
20 Tunc ſurgens Ijob [23] laceravit pallium
ſuum, & [24] totondit caput ſuum; procidenſq;
in terram incurvavit ſe;
21 Dicens , [25] nudus exivi ex utero matris
meæ, & nudus redibo [26] illuc,Jehova dedit,&
Jehova recepit : ſit nomen Jehovæ benedictũ.
22 In hoc toto [27] non peccavit Ijob,neque
attribuit inſulſitatem Deo.

[19] regreſſio ad narrationẽ cœptam. verſ.6.
*f* *Hebr. ad ſpatia eorum , ſive latera.*
[20] Arabię deſertæ partem incolentium ex poſteris Keturæ , Gen.25.3. de quibus Jechezkelis 27.23.
[21] i. fulgur maximum & vehementiſſimum: nam res maximæ & vehemẽtiſſimæ apud Hebræos adjecto Dei nomine notari ſolent,ut Gen.38.8. & alibi paſſim. Sic vim divinã appellat Ulpianus titul. de damno infecto: & Latini veteres Jovis manubias dixerunt, teſte Plin. lib 2.natur.hiſt. cap 51.& Verrio.
*g* *Heb. capitibus: ut Judic.7.16.*
[22] i. turbo ab omnibus partibus domum impetens,ut deſertum perſpiratur vento : ſic Jirm. 4.11.& 13.24.
*h* *Heb. tranſitu.*
*i* *Heb. attingente.*
[23] vide Gen.37.34. ſic infr. 2.12.
[24] in ſignum luctus ex more regionis : ſic Lamentationum 2.10. & Micæ 1.15.

[25] conſolatur ſe primò à lege naturæ de ortu & exitu noſtro : deinde à prudentiſſima adminiſtratione ac ſingulari Dei patris: ex quibus concludit omnem gloriam tribuendam Deo. [26] i.in terram quo ſe projiciebat ipſe ; ut dicitur præcedente verſu. [27] i. neque facto neque dicto hactenus Deum offendit.

## Caput II.

*Ijob conſtanter pergens in pietate per Dei voluntatem à Satana corpore ſuo graviſſime affligitur : ab uxore deridetur , & ab amicis inviſitur.*

1 Iterum fuit [1] dies,[2] convenientib.filiis Dei
ad ſiſtendũ ſe Jehovæ; quum veniret etiã
Satan inter eos ad ſiſtendum ſe Jehovæ.
2 Dixit autem Jehova Satanæ , undénam
venis? reſpondit Satan Jehovæ dicens, à pera-
grando terram,& à perambulando in ea.
3 Dicente verò Jehova Satanæ , advertiſtí-
ne *a* animum tuum ad ſervum meum Ijobum,
quòd nõ *ſit* par ei in terra,vir integer,ac rectus,
timens Di, & recedens à malo? ut adhuc reti-
net integritatem ſuam? poſtquam incitaſti me
*b* ad perdendum *res* ejus [3] fruſtrà?
4 Reſpondet Satan Jehovæ, dicens; [4] pel-
lem pro pelle,& quicquid eſt viro,daturus eſ-
ſet pro *c* ſe ipſo.
5 Verùm mitte,quæſo,manum tuam,& [5] at-
tinge oſſa ejus & carnem ejus;niſi in *d* os tuum
maledicturus ſit tibi.
6 Tum Jehova Satanæ , ecce eum,inquit,
[6] in manu tua;verumtamen vitam ejus [7] ſerva.
7 Egreſſus igitur Satan à conſpectu Jeho-
væ; percuſſit Ijobum ulcere peſſimo, à planta
pedis ejus uſque ad verticem ejus:

[1] dum adhuc Ijob eſſet in recente luctu , ut apparet infrà ver.8.
[2] ut ſuprà 1.6.
*a* *Hebr. cor.*
*b* *Hebr. ad devorandum et.*
[3] i. nonne percipis ut nihil eſſeciſti , dum à me conſequutus es facultatem eum ſpoliandi bonis & liberis?
[4] q.d. verum eſt quod vulgò dici ſolet , pellem pro pelle, id eſt, nihil eſſe homini tam charum, quin illud ſui tuendi cauſa exponat:nemo homo tam probus eſt aut abſtinẽs à malo , ut curẽ ſuam cutis alienæ damno detrectet defendere, ſi ad rem veniatur: alteri potius cutem detracturus eſt & ſuorum omniũ corpora expoſiturus, quàm paſſurus offendi ſuam: nam quod ille dicebat, proximus ſum egomet mihi, omnium hominum commune eſt. +
*c* *Heb. anima ſua: ſic verſ.6.* [5] propiùs illum preme afflictionibus, ita ut ipſa oſſa & carnem ejus attingant, atque tranſverberent.
*d* *Heb faciem tuam benedicturus.*
[6] id eſt, tibi expoſitus eſt ipſe quem affligas.
[7] id eſt, nec appetito, nec adimito.

+ hinc facile Hiob et rerũ ſuarũ naufragium et filiorũ ſtragem utcunq. ferre potuit, ſed ipſius (inquit Satan) tange corpus, ipſum feri, ipſius membra affliges.

8 [8] Adeò ut aſſumeret ſibi teſtam ad ſca-
bendum ſe ea;& conſideret ipſe [9] in cinere.
9 Tum dicebat ei uxor ejus,[10] adhuc tu reti-
neres integritatem tuam; *e* benedicendo Deo
atque moriendo?
10 Cui ille,ut loqui ſolet,inquit,aliqua ſtul-
tarum loqueris : ſcilicet bonum acceperimus
à Deo , & malum non acciperemus ? in toto
hoc non peccavit Ijob labiis ſuis.
11 Quum autem audiviſſent tres amici Ijo-
bi totum malum iſtud quod obvenerat ei;pro-
fecti ſunt quiſque è [11] loco ſuo,Eliphaz [12] The-
manites, & Bildad [13] Schuchites , ac Tzophar
[14] Nahamathites : & convenerunt pariter , ut
venirent ad condolendum ei & ad conſolan-
dum eum.
12 Sed ubi ſublatis oculis ſuis è longinquo
non agnoviſſent eum , [15] poſte vociferantes [16]
fleverunt:& lacerantes quiſque pallium ſuum
inſperſerunt pulverem capitibus ſuis , *vocife-*
*rantes* in cælum uſque.
13 Ita [17] ſedebant cum eo humi ſeptem die-
bus & ſeptem noctibus : neque *erat* qui allo-
queretur eum *ullo* verbo, [18] quia videbant ma-
gnum eſſe dolorem illum valdè.

### Caput III.

14 Poſteà [19] aperiens Ijob os ſuum, [20] ma-
ledixit diei ſuo.

[8] id eſt, adeò ut ne primoribus quidem digitis commodè uti poſſet; & quia aliorum officiis deſtituebatur præ gravitate mali exhorrentium eum (ut ipſe conqueritur infrà 19.13.& ſequentibus) ſaltem confrictum teſtæ ad ſcabiẽ ſuam adhiberet.
[9] id eſt, fugeret: vide ſupra 1.20.
[10] quaſi dicat, adhuc in tua ſimplicitate perſiſtis, quòd Deo iſti benedicis, qui te in iſtas mortis anguſtias conjecit, nec uſquam exitum oſtẽdit, Sarcaſmus.
*e* *Eclipſis particulæ, ut 1. Reg.22.50.*
[11] i. è regionib. ſuis, quæ de nomine auctorum ſuorum diſtinctæ fuerũt: Gen. 25.& 36.
[12] è poſteris Themanis nepotis Heſaui ex Eliphazo , Gen. 36. 11. incolens Arabiam deſertam. [13] è poſteris Schuachi filii Abrahami ex Kethura, Gen. 25.2. incolens Arabiam deſertam , fortè quam Plinius vocat Saccæam. [14] fortè à Thimnaho ex poſteris Heſaui, de quo Gen.36.40. per literarum metatheſin : ac potius ex oppido Nahama quod poſtea ceſſit tribui Jehudæ in finibus illius Jehoſch.15.41.
[15] quam agnoverunt. [16] in Hebræo trajectio eſt , quam ad perſpicuitatem ſuſtulimus repetito verbo. [17] lugentes cum eo, ut ſupra verſ.4.
[18] i. commiſeratione tantæ calamitatis adeo afficiebantur ut verba ejus interciperet , & conſolandi facultatem adimeret. [19] i. rumpens illud ſilentium quod malorum acerbitas & admiratio rei tam inſperatæ attulerat , & in voces indignas erumpens ex humana infirmitate & impatientia. [20] nempe ex infirmitate carnis adverſus ſpiritum concertantis. Eſt autem in his verbis tranſitio ad ſequentis capitis argumentum.

## Caput III.

*Ijob ex anguſtiis, diei ortus ſui maledicens; contra naturam, & contra Deum propter vitam acceptam & conſervatam contendit.*

1 Nam proloquens Ijob,[1] dixit:
2 Utinam [2] periiſſet dies quo naſcitu-
rus eram ; & nox *qua parens* dixit , conceptus
eſt mas:
3 [3] Dies ille fuiſſet *a* [4] tenebricoſus, [5] ne re-
quiſiviſſet eum Deus ſupernè ; neq; illuxíſſet
ei ſplendor:
4 [6] Vindicaſſent eum ſibi tenebræ & um-
bra *b* lethalis, incubuiſſet ei nubes: perturbaſ-
ſent eum atrores diurni:
5 [7] Noctem illam ipſam occupaſſet caligo,
[8] ne fuiſſet gaviſa in diebus anni: in numerum
menſium ne veniſſet.
6 O ſi illa ipſa nox fuiſſet [9] ſolitaria : [10] ne e-
veniſſet cantus in ea:

[1] Pathetica eſt tota hęc oratio, & poeticis figuris plurimũ referta: cujus partes ſunt tres: Prima eſt imprecatio in diem ortus ſui uſque ad verſum 10. Secunda , deteſtatio vitæ ſuæ ineuntis, cum elegantiſſima commendatione ſtatus eorum qui exceſſerunt è vivis; à verſ.10. uſque ad 10. verſũ Tertia eſt deteſtatio præſentis vitæ & conditionis in qua verſabatur: quæ omnia ex infirmitate carnis in Ijobo ſpiritui reluctantis profeſſa eſſe oſtenditur ſuprà 2.14.
[2] Propoſitio ſumma imprecationis adverſus diem ortus atque adeo noctem conceptus ſui : quod genus argumentationis remotum vocant Rhetores : ut ſeré fit ab iis qui cum graviſſimis animi perturbationibus conflictantur.
[3] ἐργασία propoſitionis, qua invehitur in diem naturalem, duobus verſibus: deinde in noctem, inde à verſu 5. uſque ad 9. verſum.
*a* *Heb. tenebrarum dies.* [4] id eſt, quaſi in tenebris ſepultus.
[5] abdicaſſet, neque rationem ejus habuiſſet: id eſt, uno verbo, nullus fuiſſet, eſt enim hic congeries verborum eodem pertinentium.
[6] imprecationes metaphoricæ à rebus forenſibus ſumtæ: quaſi dicat, quemadmodum vindex judicis auctoritate in rerum poſſeſſionem mittitur , eas obtinet, & quæcunque diſplicent ſurſum deorſúmque vertit, ita tenebræ ſempiternáque oblivio in diem iſtum à Deo abdicatum dominatæ fuiſſent.
*b* *Hebr. mortu.* [7] ἐργασία propoſitionis, qua invehitur in noctem , quatuor verſibus, ut diximus in verſ.3.
[8] id eſt , ne hoc jus obtinuiſſet , ut inter anni partes recenſeretur: κατ' προσωποποιίαν.
[9] id eſt, à Deo creaturiſque omnibus abjecta, ut ſequentia explicant.
[10] id eſt, ne fuiſſent ortæ in ea ſtellæ, neq; ſuo modo laudes ceciniſſent Deo: vide ſimilem phraſin infrà 38.7. hyperbole proſopopœeticæ.

7 [11] Exſecrati

7 [11] Exſecrati fuiſſent illam *c* [12] qui illuſtrant
diem:[13] qui parati ſunt excitare balænam:
8 [14] Tenebroſæ fuiſſent ſtellæ diluculi ejus;
dum exſpectaret lucem, non adfuiſſet:neque
vidiſſet [15] palpebras auroræ:
9 [16] Quoniam [17] non clauſit fores *d* uteri
mei; [19] nec abſcondit moleſtiam ab oculis
meis.
10 [20] Cur non inde à vulva fui moriturus?
ex utero exiens *non* exſpiravi?
11 Quam ob rem exceperunt me [21] genua?
& quare ubera, quæ ſugerem?
12 [22] Nam nunc jacêrem & quiſcerem; dormirem,
tunc quies eſſet mihi:
13 [23] Cum regibus & conſiliariis terræ; [24]
qui ædificabant *in* vaſtitatibus ſibi:
14 Aut cum principibus quibus *erat* aurum;
qui implebant domos ſuas argento:
15 Aut ſicut abortus [25] abditus non *ampliùs*
eſſem:ut infantes, [26] *qui* non viderunt lucem.
16 Illic improbi deſiſtunt à [27] commotione;
ac ibi quieſcunt [28] defeſſi viribus:
17 Pariter vincti tranquillè agunt; non
audiunt vocem exactoris:
18 Parvus ac magnus illic eſt; ſervuſque liber
à domino ſuo.
19 [29] Quare [30] dat *Deus* ærumnoſo lucem?&
vitam amaris animo?
20 [31] Quibus præſtolantibus mortem non
*adeſt* illa; quamvis *e* perſcrutentur eam pluſquàm
theſauros abditiſſimos:
21 Qui lætantur cum exſultatione; gaudent;
quum inveniunt ſepulcrum?
22 Viro cujus via eſt [32] abdita, & quem [33]
obtexit Deus:
23 [34] Nam [35] ante cibum meum gemitus
meus advenit; & effunduntur velut aquæ [36]
rugitus mei.
24 Etenim pavor quo expaveram acceſſit
me;& quod formidaveram, obvenit mihi.
25 [37] Non quieſcebam, nec eram tranquillus,
nec requieſcebam, tamen advenit commotio.

[11] i. averſati, non feciſſent principium noctis.
*c* Heb. *illuſtratores diei.*
[12] id eſt, ſidera, quæ iſtam diei partem illuſtraverunt, nempe noctem conceptus mei:ſynecdoche.
[13] id eſt, venti, turbines & procellæ, quib. pulſatæ in profundo belluæ cum fluctib. volvuntur. vide Plin. lib. 9. cap. 3. Periphraſis ventorũ & flatuum.
[14] i. illæ quoq; noctem averſatæ finem ejus nõ feciſſent: ac proinde neque principium habuiſſet, neque finem, periphraſis, pro eo quod eſt, non fuiſſet.
[15] id eſt, primũ ſplendorem radiorum ab exorituro ſole utrinque in palpebrarum ſpeciem aſſurgentium: metaphora ab eo qui expergiſcitur & palpebras attollit, quo cum aurora poeticè cõparatur. Eãdem ſimilitudinẽ alteri ſermoni accommodatam vide infrà 41.18.
[16] ætiologia ſuperiorũ imprecationũ bimembris, pro ratione præcedentis optati.
[17] impediendo conceptum, ratio imprecationis in noctem, quæ proximè anteceſſit: metaphora.
*d* *Hebr. ventris: ſynecdoche.*
[18] id eſt, qui cõtinuit atque edidit me. [19] impediendo nativitatem & exordium vitæ: ratio imprecationis in diem. [20] ſecunda pars, contentio adverſus naturæ ordinem: ut obſervatum eſt verſ. 1. eſt enim vitæ ineuntis deteſtatio quatuor gradibus diſtincta, his duobus verſibus: quà anteponit vitæ mortem, à tempore quo geſtatus eſt in utero, quo emerſit ex utero, quo ab obſtetrice exceptus eſt, & quo admota ſunt ei ubera. [21] nempe obſtetricis curantis novum partum.
[22] ætiologia ſuperioris deteſtationis: vacatio à moleſtiis quæ fuerunt ſibi ſubeundæ: quaſi dicat, unica mors ab omnib. hujus vitæ moleſtiis me immunem reddidiſſet. nam etſi hic ſparguntur multæ concertantis carnis querimoniæ: tamen apertè his verbis oſtendit ſe adeo de futura vita ſecurum eſſe, ut tantùm fuerit ſollicitus de quiete à præſentibus calamitatibus.
[23] his quinque verſibus amplificat optatum ſuum à communi hominum ſorte: quibus omnibus, ſive ſecundis rebus utantur ſive adverſis, mors obeunda eſt. Quam ob rem quatuor genera vitæ proſperæ & adverſæ inter ſe opponit: eorum qui poſſeſſionib. & opibus prævalent, cum abortu aut iis qui ſtatim abripiuntur morte; opprimentium cum oppreſſis; magnorum cum parvis: & dominorum cum ſervis. Cum regibus autem, id eſt, ut reges ſunt, ſic verſu ſequente, cum principibus. [24] id eſt, ambitiosè ſtructuris magnificis in loco quamvis vaſto atque difficili excitatis ſibi nomen comparabant.
[25] id eſt, planè immaturus fœtus, in quo forma & lineamenta corporis nondum diſtincta apparent; ſynecdoche.
[26] i. aut fœtus grandiuſculi & jam formati, quos Nonius aborſus vocat, aut maturi fœtus qui antequam prodeant moriuntur, olim exterricinei dicti.
[27] inferenda ſubditis videlicet, aut vinctis, aut ſervis: de quibus poſtea.
[28] ex illata commotione. 29 Tertia querimoniæ pars, contentio adverſus ipſum Deum, ut obſervatum eſt verſ. 1. Tractatur autem duobus modis, per theſin, & per hypotheſin. [30] id eſt, in luce conſervat & præſente vita. [31] elegans hominum ærumnoſorum deſcriptio, quos tædet ſuæ ipſorum vitæ. 3. verſibus.
*e* *Hebr. perfodiant: metalepſis.* [32] i. malis adeò circumcluſa, ut neſciat qua erumpat, aut quem tandem ærumnarum finem conſequuturus ſit. [33] i. cooperuit malis: eſt autem hic tranſitio ad hypotheſin. quaſi dicat, ego autem ſum hujuſmodi, cur ergo dat vitam? &c.
[34] ætiologia hypotheſeos, cujus partes ſunt duæ: præſentis mali continua gravitas, 2. verſibus & mens ſibi conſcia benè anteactæ vitæ cum ſumma religione & ſollicitudine, verſ ult.
[35] id eſt, adeò gravis & perpetua eſt hæc calamitas, ut ne cibi quidem aut ullius neceſſitatis cauſa dolores poſſim fallere, & uno momento à gemitibus aberrare: ſic infrà 7.19. [36] id eſt, immanes vociferationes: metaphora à leonibus famelicis.
[37] id eſt, ſollicitè obſervabam omnes actiones meas & meorum coram Deo, ne ipſum offenderem, & ad dimovendum me de ſtatu meo provocarem facto delictóve meo: vide ſuprà 1. & 1.5.

## CAPUT IV.

*Eliphaz Ijobum fracti animi arguens, juſtitiam judiciorum Dei, quam Ijob reprehendiſſe videbatur, multis argumentis aſſerit, & homines peccati damnat: deinde omnes ad Dei miſericordiam ſuo exemplo revocandos eſſe docet: Poſtremò concludens, Ijobum dehortatur à peccato: & hortatur ad fidem & obſequium, propoſitis promiſſionibus.*

1 CUi reſpondens [1] Eliphaz Themanites,
[2] dixit.
2 [3] An proferentibus *nobis* verba apud te,
ægrè feres? ſed continere ſermones quis poſſit?
3 [3] Ecce erudiebas multos, & [4] manus remiſſas
confirmabas:
4 Labantem confirmabant ſermones tui, &
fortificabas genua ſe incurvantia.
5 Quum *autem* nunc evenit *hoc* tibi, defetiſceris?
quum attingit te, perturbaris?
6 [5] An non *a ut* [6] religio tua, ſpes tua; exſpectatio
tua, ut integritas viarũ tuarũ futura eſt?
7 [7] Recordare; quæſo *b* quis inquam innocens
periit: aut ubi recti exciſi ſunt?
8 [8] Quemadmodum vidi, [9] arantes afflictionem;
& ſeminantes moleſtiam, metunt eam.
9 [10] Ab halitu Dei pereunt; & à [11] flatu naſi
ejus conſumuntur.
10 [12] Rugitu leonis, & voce ferocis leonis,
dentibuſq; juvenum leonum commoluntur:
11 Veteris leonis [13] perituri ſine præda, &
catulorũ immanis leonis *dentibus* diſſipantur.
12 [14] Præterea ad me verbum *c* clanculùm
perlatum eſt, ex quo percepit auris mea pauxillum;
13 [15] Inter cogitationes à [16] viſionibus nocturnis:
[17] quum irruit altus ſopor in homines:
14 [18] Pavor occurrit mihi, & tremor; qui
plurimùm oſſa mea expavefecit:
15 Quum ſpiritus ante faciem meam *d*
tranſmeans, horrificaret pilos carnis meæ.
16 Dum conſtitit, non agnovi aſpectum
ejus, imagine *ejus* oculis meis obverſante: & *e*
[19] ſilendo vocem *iſtam* audivi.
17 [20] An mortalis Deo juſtior eſſet? num
opifice ſuo mundior eſſet vir?

[1] hoc caput cũ ſequente ideò conjunginius, quia unica eſt & perpetua oratio. Sunt autem illius partes quatuor: Exordium, verſ. 2. ἀνασκευὴ ſive confutatio dictorum Ijobi, uſque ad verſ. 6. capitis 5. κατασκευὴ ſive confirmatio, uſquè ad verſ. 17. & concluſio à ṽ. 17.
[2] Exordium bimembre, quo primùm deprecans faſtidium Ijobi audiẽtiam facit: deinde neceſſitatem explicat habendæ orationis iſtius à bona fide & cõſcientia, abſquã ſuperiorem orationem Ijobi diſſimulari poſſe negat, hoc ṽ. [3] ἔκθεσις, primus locus ἀνασκευῆς, id eſt, propoſitio, qua indigna Ijobi oratio reprehenditur per oppoſitionem anteactæ vitæ ἐκ τοῦ ἀτόπου: quaſi dicat, te qui alios erigebas, nunc animum abjicere, & in religione, ſpe, atq; integritate tua tibi non conſtare eſt indigniſſimum. Ineſt autẽ huic propoſitioni τοῦ φθέγγοντος διαβολή, id eſt, loquentis criminatio, his quatuor verſibus. [4] metaphoræ à corpore ad animum translatæ, quibus docet, quæ fuerint effecta eruditionis & documentorum, quæ Ijob aliis tradiderat: ſic 1. Schem. 23.16. & Jeſcha. 35.3. & infrà 8.26.
[5] Expoſitio præſentis officii ab abſurdo. Piæ religionis, inquit, & vitæ integræ certa eſt ſpes & exſpectatio: ſi ergo piè coluiſti Deum & vitam inſtituiſti, cur ſpem abjicias? Sin abjicis, malè conſcius ſis neceſſe eſt. Sic tranſitio fit ad ſequentem locum. *a* *Heb. timor tuus.* [6] Id eſt, tua illa ſollicitudo religioſa, quam antè adhibueras in adminiſtratione tua: de qua ſuprà 1.1 & cap. 3.25.
[7] ſecundus locus ἀνασκευῆς, ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, ab impoſſibili, cujus ſumma eſt, fieri non poteſt, quin ad ſalutem bonorum, ut contra in exitium improborum, Deus & omnes res creatæ comparentur; cùm hoc demonſtrent omnia manifeſtò omnium ætatum, ſi retrò memoria colligas, documenta hæc uſque ad ver. 12.
*b* *Hebr quis ipſe.* [8] ἐργασία ſuperioris loci à contrariis, cujus ſe teſtem oculatum Eliphaz aſſerit.
[9] metaphoræ conſiliorum, actionum & eventorum ab agricultura ſumtæ. Hæ autem propoſitiones in genere quidem veræ ſunt, ad Ijobum verò malè accommodantur: hinc enim concluſio hæc tacitè conficitur, Afflictionem & moleſtiam metis: ergo araſti & ſeviſti eam. [10] humanitus dicta, quibus obſcurè mortis genus perſtringit, quo occubuerant filii Ijobi, ſuprà 1.19.
[11] i. vento: ut Exod 15.8. [12] quaſi dicat, ſi Deus eos non perdit ſua, ipſorum, aut rerum inanimatarum opera, perdit per animata: ex quibus conſequitur nunquam fuiſſe filios tuos evaſuros. Significat autem *rugitu leonis*, à leone rugiente: hypallage rhetorum. [13] id eſt, graviſſimè preſſi diuturna fame, qua mox alioquin fuiſſet periturus. [14] tertius locus ἀνασκευῆς ab impoſſibili, qui primùm 17. verſu exponitur: nam ad ejus explicationem antequam veniat, fidem & auctoritatem ſibi conciliat à teſtimonio cœleſti. *c* *Heb. furtim: catachreſis.*
[15] id eſt, dum ego pervigil de rebus tuis cogitarem.
[16] id eſt, prout viſa mihi vigili & de te cogitanti ſeſe obtulerunt: ſunt enim viſa à ſomniis diſtincta, Num. 12.6 & infrà 7.14. [17] prima vigilia, cujus tempore homines primùm ſomno altiſſimo gravari ſolent: periphraſis.
[18] animos ad reverentiam viſi, fidémque revelationis comparans.
*d* *Hebr. mutans locum.*
*e* *Hebr. ſilentio.*
[19] i. dum ab horrore meo confirmatus, ad illam tacitus attenderem.
[20] tertia argumentatio, ut obſervatum eſt in verſ. 12. cujus ſumma eſt; hæc eſt communis omnium hominum ſors, ut nulla ex parte cum Deo juſtitia & puritate comparari poſſint, ac proinde multis calamitatibus juſtè à Deo affligantur. hinc autem tacitè Eliphaz concludit, quid ergo te miſero fiet, ſi pergas cum Deo contendere, ut antè feciſti? ſuprà 3.19.

18 En ſervis ſuis non crediturus eſſet [21] *firmi-*
*tatem*, angelis, inquã,ſuis appoſiturus lucem.
19 Quanto minùs [22] inhabitantibus domos
argillaceas? [23] quibus in iſto pulvere eſt funda-
mentum ſuum: *f* [24] qui conteruntur [25] ante-
quàm tinea;
20 *Quæ* à [26] mane ad veſperã contundun-
tur, [27] nemine diſponente in ęternum perituri.
21 Nónne [28] proficiſcitur excellentia illo-
rum, *quæ* inerat illis? moriuntur, ac [29] non *vi-*
*vunt* ſapientia?

[21] eclipſis conjugati, ut Gen. 31.10. Eſt autem hic ἐξεργασία ſuperioris propoſitionis per cõparationem majoris: ait enim, non eſſet judicaturus ſecundùm Angelos: ſed tum de bono ſuo tum de honore & gloria deciderent, ſi ſteti juſtitia ſua cum Deo ſe cõpararent. [22] i.ſpiritibus humanis inhabitantibus corpora, quæ domus luteæ per circumloqutionem dicuntur,ut 2.Corinth.5.1. [23] domibus, id eſt, quæ corpora ſunt caduciſſima, & velut arenæ inſtabili ſuperſtructa. *f* *Hebr. quos conterunt. vide infra* 7.1. [24] mortales. [25] i. citiſſimè,& minore negotio quàm tinea conteritur, quæ ſolo attritu eóque minimo eſt friabilis.
[26] i.totos dies atteruntur calamitatibus, & tamen ne minimam quidem vel unicam ferendo eſſent ſine ſingulari adjumento Dei. [27] i. ſua ipſorum infirmitate,ſine ullo alieno facto. [28] i. quicquid illud eſt quo ſeſe mortales aliis putant præcellere, nonne illud à natura diffugit diffluítque præ infirmitate humana,etiamſi non inſtituatur arrogans illa comparatio cum Deo,quam temerè viſus es eſflare ſermone tuo? Hoc autem eleganter expouit Auguſtinus ſermone 1. de verbis Domini. [29] i.non poſſunt ulla arte mortem effugere, eſt autem hic eclipſis contrarii,ut paſſim.

## Caput V.

1 IAm [1] advoca; éſtne qui atteſtetur tibi? [2] ad
quem verò è ſanctis te convertes?
2 Si ad ſtultum, [3] interficiet indignatio; &
fatuum morte afficiet zelus.
3 [4] Ego vidi ſtultum radicatum: cujus [5] ex-
ſecratus ſum habitaculum repentè.
4 [6] Procul abſunt filii ejus à ſalute,& con-
teruntur [7] in porta, nec *eſt* qui eripiat:
5 [8] Nam ejus meſſem [9] famelicus comedit,
quam *a* [10] è medio ſpinarum receperit: deniq;
exhaurit [11] horridus facultatem eorum.
6 [12] Quum non prodeat è pulvere afflictio,
& ex humo non effloreſcat moleſtia;
7 Sed homo ad moleſtiam edatur; [13] ut *b*
ſcintillæ prunarum in altum evolant:
8 Profectò [14] ego requirerem *Deum* fortem:
& in Deo reponerem cauſam meam:
9 ‖ [15] Faciente res magnas quarum non *eſt*
perveſtigatio, mirabiles *c* adeò ut ſint innu-
meræ.
10 Qui edit pluviam in ſuperficie terræ; &
immittit aquas in ſuperficiem *d* agrorum:
11 Ut ponat [16] depreſſos in excelſo: & [17]
pullati extollantur ſalute.
12 Qui irritas facit cogitationes aſtutorũ;
ut non perficiant manus eorum *e* quicquam:
13 Qui deprehendit ſapientes in aſtutia i-
pſorum; adeò ut conſilium reluctantium præ-
cipitetur;
14 Interdiu [18] offendant tenebras; & quaſi
de nocte palpent in ipſo meridie.
15 Qui ſervat [19] à gladio, ab ore illorum;
denique à [20] manu fortis egentem.
16 Ita adeſt tenui [21] ſpes,& [22] nequitia obdit
os ſuum.
17 [23] Ecce beatus *eſt* mortalis quem arguit
Deus: [24] quapropter caſtigationem omnipo-
tentis ne ſpernas.
18 [25] Nam idem dolore afficit,& [26] obligat;
vulnerat,& manus ejus medicantur.
19 [27] In [28] ſex anguſtiis eriperet te;etiam in
ſeptem non [29] attingeret te malum:
20 In fame redimeret te à morte;& in bel-
lo à *f* manibus armatis:
21 Quum [30] flagellat lingua,abſconderetis;
neque timeres à vaſtatione ut veniat.
22 [31] Ad vaſtationem & ad famem [32] ride-
to,& à beſtiis terræ ne timeto:
23 [33] Nam cum lapidibus agri *erit* fœdus
tuum, & beſtiæ agri erunt pacatæ tibi:
24 Et experieris pacem *ineſſe* tentorio tuo,
[34] reviſeſq; habitaculum tuum,ſi non peccabis:
25 Experieris etiam multiplicari ſemen
tuum, & prognatos te ſicut teneram herbam
terræ *vireſcere*:
26 Pervenies cum ſenio ad ſepulcrum; ſic-
ut *g* [35] abit meta frugum tempore ſuo.
27 [36] Ecce hoc, perveſtigavimus hoc, ita eſt:
auſculta huic,& tu cognoſce *h* bono tuo.

[1] Quartus ἀνασκευῆς locus ἐκ τοῦ ἀσυμφόρου, ab inutili: quaſi dicat; cùm jam apud Deum nihil contendendo efficere queas, advoca ſi potes, qui patrocinetur tibi: concedentis verba. [2] quarti loci ἐργασία per dilemma hujuſmodi: aut pios ad patrocinium tuũ advocaturus es, aut impios. Si pios, nolent; ſi impios, non poterunt. Jam igitur ad quem qui ſuſcipiat patrocinium? [3] patronum ſimul & clientem interficiet ira & zelus Dei. [4] Confirmatio alterius membri dilemmatici, à teſtimonio ſuo & communi experientia. [5] i. videns exſecrationi addictum exhortui: metalepſis. [6] ſecundum genus calamitatũ quod improbis immittit Deus, poſteritatis exitiũ deploratum. & quidem acclamante publico omnium conſenſu. [7] id eſt,publicè,metonymia: vide Gen.34.20. [8] tertium calamitatum genus,quòd nulla pars bonorum penes improbos manet;ſed omnia ad alios perveniunt. [9] id eſt, tenuiſſimus quiſque, cui nihil alioqui ſuperfuiſſet alimenti. *a* *Hebr. inter de ſpinis:pro,de inter ſpinas:anaſtrophe.* [10] id eſt, difficillimè, maximis ſumtibus ſeverit, & proventu nullo receperit cum immani cruciatu. [11] id eſt, aut prædo,aut hoſtis: ſic dictus, tum quia plerumque ita conſtituti ſunt,ſynecdochicè: tum quia horrorem incutiunt obviis, metonymicè:ſic Pſalm.68.22. [12] ἔκθεσις ſive propoſitio κατασκευῆς ἐκ τοῦ σαφοῦς, ab evidente;cujus ſumma eſt,quum non ſint calamitates acceptæ ferendæ terræ aut caſibus fortuitis, aut denique earum cauſæ aliò derivandæ, ſed hæreant in ipſo homine propter peccatum ejus: omnibus rebus creatis omiſſis, ad Deum confugiendum eſſe. [13] id eſt,cùm homo ad innatum ſibi peccatum exardeſcat, ut carbones accenduntur igne,ac proinde ſubeant omnibus momentis ex eo calamitates,ut ſcintillæ è prunis emicant,&c. *b* *Heb. filii prunæ exaltant volare.*
[14] non autem ut tu adverſus Deum contenderem. ‖ *Infr.9.10.*
[15] ſecundus locus κατασκευῆς, exaggeratio ſuperioris propoſitionis à prædicatione potentiæ Dei. Tractatur autem duobus argumentis: ab adminiſtratione proventuum terræ,& hominum, ex quibus hoc modo concludit à conſequente: Primùm ſi res tam magnificas præſtat,& terram irrigat ad hominum bonum; quanto magis homines curaturus eſt? ut Chriſtus Matth.6. Deinde, ſi res humanas ita adminiſtrat,ut improbos eorumque conſilia perdat ad defendendam innocentiam in ſingularibus cauſis; quanto magis vim ſuam exſertutus eſt,in tuenda electorum & credentium ſalute? *c* *Hebr. uſque ad non eſſe numerum.*
*d* *Heb. locorum foris.* [16] penuria & fame. [17] i.lugentes ex inedia: ſynecdoche. *e* *Hebr. eſſentiam, id eſt, ut ſit quicquam.* [18] i. in rebus etiam evidentiſſimis cæcutiunt: tranſlatæ loquutiones.

[19] id eſt, à violentis dictis & factis illorum. [20] id eſt,facultate: metonymia. [21] id eſt, quod ſperavit, metonymicè. [22] id eſt,vir nequam obmuteſcit pręſtupore, adeò præſentib. Dei judiciis percellitur: ſed hæc hypallage eſt ἐμφατικωτέρα: ut Pſal. 107. 42. [23] tertius locus κατασκευῆς ἐκ τοῦ συμφέροντος, ab utili: quo tranſitur ad concluſionem totius orationis. [24] Concluſio: cujus partes ſũt, dehortatio à malo, 5.verſibus & hortatio tum ad officium erga Deum; tum ad doctrinæ cõprehenſionem, verſib. reliquis, Eſt autem hic dehortatio ad Ijobum, continens tacitam reprehenſionem dictorum Ijobi, uſq; ad 22. verſ. [25] ætiologia proximæ dehortationis. [26] ac proinde obligaturus eſſet te,ſi non ſperneres, ſed ſubmiſſo animo te ei committeres,ut ſuprà 8. [27] i. in multis afflictionibus verſantem.
[28] i.in plurimis: numeri definiti pro indefinitis: eſt autem hæc pars ætiologiæ uſque ad verſum 22.à promiſſionibus Dei hypotheticis ſive conditionalibus, ſi credas,& non ſpernas caſtigationes Dei. [29] ut ſuprà 1.11.
*f* *Hebr. manibus gladii.* [30] i. à calumniis & obtrectationibus protegereris.
[31] altera pars concluſionis, hortatio ad veram fidem & opera fidei afflictiones omnes in virtute Dei ſuperantis. [32] i. adeò fide perſuaſus eſto de reconciliatione & benevolentia Dei, ut nullum ex rebus adverſis damnum metuas:nempe argumento ſummæ illius propoſitionis qua utebatur Eliphaz ſuprà 4.6.
[33] hortationis αἴτιον: id eſt, ſi cum Deo primùm reconciliatus fueris,lapides, feræ,denique omnes res creatæ jure federis tibi ſubſervient: humanitus dictum, ut Hoſch.2.18. [34] i. reſtitueris in integrum, ſi non amplius Deum offendes.
*g* *Hebr, aſcendit.* [35] id eſt,deportatur in horreum. Sunt autem hic promiſſiones allegoricæ,à re ruſtica ſumtæ. [36] altera hortatio ad doctrinam percipiendam tribus argumentis, ab experientia ipſorum; à certiſſima rei ipſius veritate,& ab utili. *h* *Hebr tibi.*

## Caput VI.

*Ijob reprehenſis acriter amicis neglecti officii, & confirmatis Eliphazi rationibus cauſſam ſuam de integro conſtituit coram illis. Quam deinde explicat narratione ærumnarum ſuarum, & indignationis in quam ex tantarum ærumnarum ſenſu animus ejus abripiebatur vehementiſſime.*

1 REſpondens verò Ijob, [1] dixit:
2 [2] Utinam *a* accuratè [3] penderetur
[4] indignatio mea, & [5] ærumnæ meæ lancibus
attollerentur pariter.
3 [6] Nam nunc *quidem* arena marina [7] gravior
eſt *indignatio*: idcircò verba mea [8] deglutiun-
tur.
4 [9] Sed ſagittæ omnipotentis in me *gravio-*
*res ſunt*, quarum virus ebibit ſpiritum meum:
conturbationes Dei,acie inſtructa oppugnan-
tes me.

[1] Illius orationis Ijobi ſummæ partes ſunt duæ; ἀνασκευὴ ſive confutatio ſermonis quem habuerat Eliphaz,cap.6.uſq; ad verſum 28.& ἔκθεσις χειρισμοῦ, ſive expoſitio quæſtionis quæ agitur, & in ſequentibus controvertitur; ad finem uſque ſeptimi. [2] Exordium patheticum à voto,quo Ijob ita ſummam τοῦ χειρισμοῦ explicat,ut à judicio Eliphazi ad ſaniorum hominum judicium provocet.
*a* *Heb. pendendo penderetur. i. m. & ærumnas meas lancibus attollerent. p.*
[3] translatio à rebus corporeis. [4] i.æſtus & conflictatio animi mei ex ærumnarum ſenſu proficiſcens,prout explicatur infr.7.11.& ſequentibus.
[5] i.mala iſta adventitia indignationem animi generantia,de quibus infrà 7.1.& ſequentibus. [6] ætiologia duobus membris ſuperioris verſus reſpondens: hic enim explicatur indignatio;& ærumnæ,ſequente verſ. [7] numero & pondere: hyperbole metaphorica. [8] i. tum præ multitudine indignationis imparia ſunt illis enunciandis: tum præ gravitate ſemeſa verba aut potius ſuſpiria mihi excidunt. [9] i.ærumnæ immiſſæ à Deo: verſ.2 q.d. miramini tantam indignationem qua tranſverſus rapitur animus meus:ſed eheu, multum abeſt à gravitate & innumerabilitate malorum quæ ego ſentio: quam ob rem mala ſua ſummè emphaticis tranſlationibus exprimit, quum illis acumen ſagittarum tribuit:quibus manu omnipotentis immiſſis ac velut veneno ita ejus infectis ſe ita tranſverberatum eſſe profitetur,ut ſpiritum ipſis exhauriant,conturbent,& quaſi inſtructa acie oppugnent:pathetica omnia.

5 [10] An

5 [10] An rudit onager apud [11] teneram her-
bam? boátne bos ad farraginem ſuam?
6 An comeditur inſulſum, abſque ſale? éſt-
ne ſapor in *b* [12] albumine vitelli?
7 [13] Renuit attingere animus meus: [14] iſta
ſunt planè languores cibi mei.
8 [15] O ſi [16] quis daret evenire petitionem
meam, ut exſpectationem meam daret Deus.
9 Et placeret Deo conterere me; [17] ſolveret
manum ſuam, ut conficeret me.
10 [18] Eſt enim adhuc conſolatio mea, [19] dum
exæſtuo dolore, nec parcit *Deus*; quòd [20] non
celaverim ſermones ſancti.
11 [21] Quæ *eſt* vis mea ut durem? aut quis
[22] finis meus, ut prorogem vitam meam?
12 An vis [23] lapidea *eſt* vis mea? an caro
mea [24] chalybea?
13 [25] An verò nulla *eſt c* defenſio mea penes
me? aut *d* quod res eſt depulſum à me?
14 [26] Contra *e cum* [27] cujus liqueſcit erga
amicum ſuum benignitas: & *qui* timorem o-
mnipotentis [28] dereliquit?
15 [29] Fratres mei *f* fefellerunt, ſicut torrens,
ut validiſſimi torrentes tranſiverunt:
16 Qui [30] tetri ſunt à glacie; in quibus ab-
ſcondit ſe nix.
17 Quo tempore [31] æſtu diffluunt *homines*,
*torrentes* [32] exſcinduntur; dum calet quiſque,
*g* diſpereunt è loco ſuo:
18 [33] Huc illuc avertuntur à ſemitis *h* ſuis
conſuetis; abeunt in nihilum, & pereunt.
19 *Quod* intuenteis cœtus commeantium
ex [34] Thema; turbas Sabæorum *qui* exſpecta-
tionem habuerant in illis,
20 *i* Pudet fiduciam habuiſſe: venientes
coúſque erubeſcunt.
21 Nunc enim *qui* fuiſtis, non *eſtis*: videntes
[35] conſternationem, timetis.
22 [36] An quia dixerim, date mihi? aut ex fa-
cultatibus veſtris [37] munera exhibete propter
me.

[10] primus locus ἀνασκευῆς ἐκ τοῦ ἀσυμφόρου, ab inutili variis ſimilitudinibus expreſſus, quarum explicatio eſt verſu 7. q.d. nō poſſunt me in hac conditione verſantem paſcere ſermones veſtri, quia partim alieni ſunt, partimque inſulſi: quam ob rem ut onagri & boves cibo ſuo acquieſcūt, contrà verò deſtituti vociferātur: non debet vobis mirū eſſe ſi abhorreo à ſermonibus veſtris, nec eis paſci animus poteſt, aut in eis (ut vultis) acquieſcere.
[11] id eſt, pabulū ſuum.
*b* *Heb. ſaliva: à forma & lentore perſimili.*
[12] inſipido, cujuſmodi ſunt verba veſtra.
[13] i. ex animo repudio ſermones veſtros.
[14] i. ſermones iſti quos habetis, q.d. tantùm abeſt ut ſermonibus veſtris recreet aut eorū condimento reficiatur vita mea; ut contrà cibū ipſum mihi amariorem, vitamque injucundiorem & languidiorem reddant.
[15] exclamatio patergos ex abrupto, graviùs afflicto & perturbato Ijobi animo ex ſermone Eliphazi. q. d. quandoquidem tam iniqui judices eſtis adverſum me, neque æquioris ullius cognitoris adipiſcendi facultas oſtenditur: jam ad vota mea præcedentia redeo.
[16] i. utinam morerer illico, ut antè petiveram: periphraſis mortis, duobus verſibus. [17] id eſt, non amplius inhiberet; ſed toto impetu injiceret in me: humanitus dictum, ut illud pſalm. 74 inhibere manum ſuam è ſinu ſuo.
[18] ætiologia poſtulati proximi, quòd ſibi benè ſit conſcius. [19] tacita occupatio objectionum, quibus Eliphaz & alii uſuri fuiſſent, nimirum à ſenſu præſente carnis, & à gravitate manus Dei. [20] i. profeſſus ſim fidem & cultum Dei ſine intermiſſione. [21] altera ætiologia optati, verſ. 8. & 9. ab infirmitate ipſius cum ſuis ærumnis comparata. [22] activæ, i. quem iſtis ærumnis meis poſſim imponere. [23] ut ſuſtineat tantas ærumnas. [24] ut frangat eas.
[25] regreſſio ad ἀνασκευὴν, cujus hic eſt ſecundus locus ἐκ τῆς εὐφημίας αὐτοῦ, à commendatione fidei & conſcientiæ ſuæ. q. d. utcumque ſermones veſtri me dejecturi eſſent, erigit tamen me fidei & veritatis quâ nitor conſolatio.
*c* *Hebr. auxilium meum.* *d* *Hebr. eſſentia.* [26] i. contra te Eliphaz, & quemcumque alium. Ineſt autem his verbis tranſitio ad tertium locum ἀνασκευῆς ἐκ τῆς τοῦ ὑπάρτατος διαβολῆς, à criminatione ejus qui ſermonem contra habuerat. *e* *Hebr. contra liqueſcentem ab amico ſuo benignitatem: ſynecdoche.*
[27] i. diffluit atque evaneſcit, ut ſequentium verſuum allegoria explicat.
[28] arrogando ſibi auctoritatem judicandi fratris, Jacobi 4.11.
[29] explicatio allegorica tertii loci, uſq; ad ver. 22. cujus ſumma eſt: quemadmodum torrentes hiberno imbrium tempore exundant, quum non eſt opus ampliore aqua; æſtivo verò & ſiticuloſo dilabuntur, & exareſcente terra, quaſi ludificantur ſpem hominum, quum refrigerio aquarum opus eſt: ita mihi uſu venit ab amicis meis. nam ſecundis rebus quum uterer, videbat mihi circumfluere illorum adjumentis: nunc verò in tanto calamitatum æſtu, nullum eis ſolamen percipio, quaſi exaruiſſent omnes. Dicuntur ergo Ijobi fratres, Eliphaz & alii.
*f* *Heb. perfidè egerunt.* [30] i. μελαμβαθεῖς, ut elegantiſſimè appellant Græci, q.d. hieme horrent præ aquarum copia: periphraſis. [31] i. æſtate flagrante.
[32] id eſt, celerrimè pereunt, quaſi uno momento reſecarentur: metaphora: ſic etiam proximum extinguendi vel diſpereundi verbum.
*g* *Heb. exſtinguuntur.* [33] i. diffluunt. *h* *Heb. via ſua, id eſt, conſuetudinis.*
[34] Arabiæ deſertæ ex Ketura, & ex poſteris Jiſchmaelis, Gen. 25.4. & 15.
*i* *Heb. quod fiducia* fuerit. *ſic in emendatiſſimo exemplari manuſcripto legimus ex Bibliotheca Illuſtriſſ. Principis Electoris Palatini.* [35] id eſt, calamitatem amici veſtri, quæ eſt vobis conſternationi, & deterret vos ne ii ſitis erga me, qui fuiſtis antehac. Apodoſis ſive applicatio ſuperioris allegoriæ.
[36] quartus ἀνασκευῆς locus ἐκ τοῦ ἀπρεποῦς, ab inhoneſto, per dilemma: Si (inquit) aliquid de facultatibus veſtris peterem (quod honeſtè amicus alter ab altero exigit) aut mihi, aut aliis propter me erogari, operámve adhiberi: inhoneſtum eſſet amico laboranti recuſare: at quanto magis futurum eſt vobis dedecoroſum, ſi ne illud quidem levamen præſtatis, quod præſtare poſſetis ſine ullo diſpendio jacturaque veſtra? Sin autem inhoneſti à vobis aliquid peto, docete me & redarguite. [37] ad corrumpendum judicium: id eſt, jus aliqua ratione propter me convellite.

23 Aut [38] liberate me è manu hoſtis? & è
manu violentorum redimite me?
24 [39] Docete me, & ego ſilebo: & quid erra-
vi intelligendum date mihi.
25 [40] O quàm [41] acres ſunt ſermones recti!
ſed quid [42] reprehendit reprehenſio à vobis?
26 An reprehēdere verba cogitatis? & *k* vē-
tilare ſermones *hominis* animo abjectiſſimi?
27 [43] Etiam in pupillum irruitis; quum fo-
ditis *foveam* contra amicum veſtrum.
28 [44] Sed nunc [45] acquieſcite, [46] reſpicite ad
me: & *l* [47] expoſitum *erit* vobis, ſi mentiar.
29 [48] Revertimini queſo; [49] ne eſto iniquitas;
revertimini inquam iterum, [50] juſtitia mea ſibi
*conſtet*.
30 [51] An erit in lingua mea iniquitas, an pa-
latū meum non dabit intelligendas ærumnas?

[38] i. vim quæ mihi allata fuit, vi armata aut quocunque modo repellite.
[39] quintus ἀνασκευῆς locus ἐκ τοῦ ἀδυνάτου ab impoſſibili, per conceſſionem, q.d. ego tam benè mihi ſum conſcius, ut pro certo habeam nullam mei incuſandi materiam vobis ſubminiſtratam eſſe: ſed quandoquidem ita vultis, agite, experimini ſiquid poteſtis reprehendere.
[40] ultimus ἀνασκευῆς locus ἐκ τοῦ ἀνακολούθου, ab inconſequente, amplificatus contrario epiphonemate: magna eſt, inquit, vis & auctoritas piæ ac veræ reprehenſionis: at veſtra cujuſmodi eſt? inanis eſt, tantùm hærens verborum aucupiis, & miſerum exagitans contra quàm debuiſſetis, ſic utitur ἀντικατηγορίᾳ ſive criminis relatione. [41] i. efficaces ad animos permovendos percellendóſque. [42] id eſt, continet aut efficit, puta non conveniens cum reprehenſione recta. *k* *Hebr. vento* dare. [43] Concluſio ἀνασκευῆς ἐκ τῆς φαυλοτάτων διαβολῆς à criminatione eorum qui ſermonem adverſum habuerāt: qua ſtatuit Ijob iſtos non minus iniquos eſſe, quàm ſi pupillum aut innocentem puerum (cujus defenſio omnibus ætatibus lege Dei & naturæ commendata eſt) violentia ſua, quaſi mole injecta opprimerent. [44] Tranſitio ad ἔκθεσιν alteram orationis partem, cujus exordium tribus his verſibus comprehenditur.
[45] audientiam facit precibus, primùm à perſona ſua; deinde cognitione & judicio æquiorum auditorum, quod illis defertur à Ijobo, poſtremò ab averſatione & deprecatione præcedentium offenſarum. [46] i. habete rationem mei, obſecro, & attendite. *l* *Heb. ante faciem veſtram.* [47] i. ipſi judices eſtote.
[48] i. animos veſtros perturbatione abreptos ad rem ipſam revocate: ideóque omnia utrinque integra ſunto, & omiſſa modò dictarum offenſarum recordatione, æquè inter nos audiamus. [49] i. ponamus neque me à vobis, neque vos à me ullo verbo offenſos eſſe. [50] i. relinquamus juſtitiam meam ſuo loco, & rationem anteactæ vitæ meæ. [51] i. ſi mentiar exponendo calamitates meas coram Deo & vobis, obſervate, & ipſi judicate.

## Caput VII.

1 [1] NOnne [2] militiæ *dies* mortali in terra;
& ut dies mercenarii *ſunt* [3] dies ejus?
2 [4] Sicut ſervus adſpirat ad umbram, & ſic-
ut mercenarius exſpectat *a* dum fecerit:
3 [5] Sic effectum eſt mihi ut poſſideam men-
ſes vanitatis; [6] etiam noctes moleſtiæ *b* con-
ſtitutæ ſunt mihi.
4 [7] Si quando decumbo, dico; ecquando
ſurgā, & *ſpatium ſuum* emenſus fuerit [8] veſper?
adeò ſatior jactationibus uſq; ad diluculum:
5 [9] Induit caro mea vermes, & [10] ramentū
pulveris: cutis mea [11] diſrumpit ſe, & liquefit.
6 [12] Dies mei velociores fuerunt radio *te-
xtoris*; & conſumti ſunt cum inopia ſpei.
7 [13] [Recordare [14] ventū eſſe vitam meam,

[1] ἔκθεσις toto hoc capite, cujus partes ſunt duæ, una explicatio ærumnarum, uſque ad ver. 11. altera, explicatio indignationis, uſq; ad finē capitis; prout utramq; propoſuerat ſup. 6. 2. Propoſitio autem ærumnarum cōtinetur duobus locis κατὰ σύγχυσιν: unus eſt à communi præſentis vitæ miſeria atque laboribus verſ. 1. alter à ſingulari Ijobi ſorte verſantis in ſummis difficultatibus, quæ per comparationem communis illius ſortis amplificatur verſibus ſequentibus. Summa eſt, miramini quod expetivi aut me non natum eſſe, aut quamprimùm emori: ſed duo argumenta graviſſima me cò pertrahunt, ærumnæ meæ, & indignatio. [2] id eſt, nonne ſingulis diebus hujus vitæ ſuum eſt malum, Matth. 6. ſuaque certamina ſemper præſto ſunt, adeo non niſi cum ipſa vita terminentur labores vitæ noſtræ? ac proinde ſecundùm naturam finem laborum expeto. [3] id eſt, labores quotidiani ejus: ſynecdoche. [4] ſecundus locus à ſingularibus ſuis calamitatibus quas amplificat hoc modo: Si alii homines ex communi naturæ lege à labore vacationem expetunt: quid aliud poſſum expetere ego quidem quàm mortem? cùm tota vita mea dies & noctes cum infinitis & graviſſimis calamitatibus confligetur, quarum finem mors unica eſt allatura. *a* *Heb. feciſſe ſuum.* [5] id eſt, indeſinenter in labore rigidiore verſor quàm ſervus & mercenarius ullus.
[6] quæ aliis ad quietem datæ ſunt. *b* *Heb. conſtituerunt; impersonali ſignificatione pro linguæ more: ut ſuprà 4.19.* [7] Ἐργασία proximæ querimoniæ de ſuis calamitatibus, quas noctu, interdiu, perpetuas & indeſinentes eſſe gradatim oſtendit. [8] id eſt, nox incipiens à veſpere: ſynecdoche, ut Gen. 1.5.
[9] id eſt, totum corpus vermibus circumiectum eſt, quaſi veſtimento.
[10] id eſt, ulcerum manantium ſordes concretas, ut tabum, meliceridas, & ſimilia. [11] videlicet erumpentibus ulceribus, & liquefit manantibus.
[12] Occupatio, qua anticipat objectionem naſcentem ex ſermonibus Eliphazi, ſupra 5.17. & ſequentibus, quorum hæc erat ſumma: ſi tibi benè es conſcius; oportet animum tuum confirmari de promiſſionibus Dei ad vitam hanc pertinentibus. Reſpondet verò Ijob, ad utrumque confirmatus ſum, ad vitam, & ad mortem: ſed cùm tempus proſperitatis tanta celeritate effluxerit, & nunc tam manifeſta ſint indicia & documenta ad mortem; quorſum mihi hujus vitæ exſpectatio?
[13] Concluſio prioris partis ἐνδιαθέτως per apoſtrophen ad Deum. Quaſi dicat, quandoquidem Deus ita planè teſtatur mihi de hac vita cedendum eſſe, nolo vobiſcum ampliùs contendere: ſed ad Deum orationem convertam; cujus ſumma futura eſt; cùm tot modis oſtendas, ô Deus, vanitatem brevitatemque vitæ meæ, quæſo ut potius tollas, quàm ut me diutius in malis hærere ſinas:
[14] id eſt, mox evanituram.

c oculum meum iterũ non viſurum [15] bonum,
8 Nec contemplaturum eſſe me oculum
d perſpicaciſſimum, etiam [16] oculis tuis ad me
reſpicientibus me non *fore amplius*,
9 [17] Ut conſumitur nubes & abit; ita qui de-
ſcendit *in* ſepulcrũ, non aſcenſurum *amplius*,
10 Nec reverſurum amplius domum ſuã;
neq; agniturum eum amplius [18] locum ipſius.
11 [19] Proinde ego non cohibeo os meum,
loquor in anguſtia ſpiritus mei; queror in a-
maritudine animi mei.
12 [20] An mare ſum? an [21] cete? quòd diſpo-
nis circa me cuſtodiam?
13 [22] Quum dico, ſolabitur me ſponda mea;
levabit querelam meam cubile meum:
14 Tum conſternas me [23] ſomniis & præ
[24] viſionibus conturbas me:
15 Adeò ut eligat [25] ſtrangulationem ani-
mus meus, mortem [26] *eligat* ex oſſibus meis.
16 Aſpernor, ne [27] in ſeculum vivam: [28] de-
ſiſte à me, nam [29] vanitas ſunt dies mei.
17 [30] Quid *eſt* mortalis, ut magni facias
eum? & ut apponas ad eum e animum tuum?
18 Ut [31] viſites eum temporibus matutinis?
momentis explores eum?
19 [32] Quamdiu non reſpicis [33] *alior ſum* à me?
non deſeris me, [34] dum deglutiam ſalivam
meam?
20 [35] Peccavi, [36] quid agerem tibi: ô [37] cuſtos
hominum? quare [38] propoſuiſti me ſcopum ti-
bi: adeò ut *ipſe* mihi ſim oneri.
21 Imò [39] quid non condonas [40] defectio-
nem meam, & aufers iniquitatem meam, [41]
cùm jã in iſto pulvere decumbã? aut *quid non*
[42] f tempeſtivè requiſiviſti me, ut non eſſem?

c Heb. non reverſurus eſt oculus meus ad videndum bonum. [15] ſub. in hac vita: ſic ſequentia. d Hebr. viſus. [16] humanitùs dictum, ut infra ver. 21. [17] γνώμη, qua ſe cõſolatur Ijob; ſi vitæ finẽ obtinuerit, deſituras in perpetuũ calamitates, ut 2. Schem. 12. 23. & ſup. 3. 12. [18] id eſt, populares ejus: metonymia. [19] tranſitio ad alteram partem ἐνδείξεως de indignatione animi, quæ tota in ſequentibus per apoſtrophen ad Deum enunciatur. [20] primus locus ἐνδείξεως, quo comparat conſtitutionem animi ſui cũ gravitate afflictionum quibus opprimitur: quaſi dicat, ſúmne ita ferox ut mare fervens & æſtuans, aut ut immania cete? quin potiùs nónne omnib. modis ſtudui ſollicitè ut obtemperarem tibi: at tu, ô Deus, quaſi excubiis contra me poſitis dies & noctes infeſtas animum meum, & ad vitæ præſentis horrorem adducens efficis ut præoptem mortem. [21] de cujus robore, motu & validiſſima agitatione vide infra 41. [22] i. quum me ad quietem compono, tum ab iſtis quaſi emiſſariis tuis invador. [23] dormientem. [24] pervigilem: vide ſup. 5. 13. [25] Quamvis duriſſimam, ſed præſentiſſimam mortem. [26] i. eligam non ſolùm animo ſed etiam corpore, cujus partes etiam ſolidiſſimæ & ἀναίσθητοι in eamdem electionem deſideriumq; conſpirent.

[27] i. diutius. [28] hoc eſt, ne ampliùs vitam prorogato, ſed morte finem affligendi facito, ſic concludit locum primum à precatione. [29] id eſt, quicquid mihi ampliùs vivendum eſt, futurum eſt mihi calamitoſiſſimum: ſic judicat Ijob, ut ſupra ℣. 6. [30] ſecundus locus ἐνδείξεως à communi hominum ſorte, quaſi dicat, compara, quæſo, tenuitatem hominis cum aſſiduis probationibus & exercitamentis tuis: an tam magni facis eum ut magnis & continentibus ærumnis probare velis eum? e Hebr. cor. [31] affligendo. [32] accommodatio ad ſuam perſonam. [33] i. aliò iram tuam convertis: ut Pſal 79. 6. & inf. 14. 7.

[34] i. minimo momento ſaltem. [35] tertius ἐνδείξεως locus per confeſſionem & deprecationem culpæ & pœnæ, argumentis ſumtis à natura & officio ſeu adminiſtratione Dei. & à perſona deprecantis. Peccavi autem, id eſt, fateor me eſſe peccatorem. [36] i. ſolvendo impar ſum. [37] id eſt, qui pro bonitate naturæ tuæ ſervas, & adminiſtrationem ſalutis tibi uni vindicas.

[38] in quem, præter ordinarium illum tuæ adminiſtrationis curſum, collimes & ejaculeris furorem tuum: ut ſup. 6. 4. [39] Concluſio dilemmatica: aut ſatis jam habeto his pœnis, aut me occidito. [40] i. afflictiones, defectionis & iniquitatis pœnas. [41] id eſt, cùm tu me in pulverem uſq; abjeceris, & ego me ſiſtam tibi animo abjectiſſimo: locus eſt commiſerationis à præſente conditione. [42] vide ſupra in verſ. 8. periphraſis, pro eo quod eſt, cur jamdiu non occidiſti me? f Heb. manè requiſiviſti.

## Caput VIII.

*Bildad Ijobum graviter reprehendit quaſi obloquentem juſtitiæ Dei: eam teſtimoniis & exemplis probat, & Ijobum minis deterrere conatur, promiſſionibuſque revocare.*

1 Tunc reſpondens Bildad Schuchites, [1] di-
xit:
2 [2] Quouſq; effaberis iſta? & [3] ventus vali-
dus ſermones oris tui *futuri ſunt*?

[1] Oratio eſt ἐπιτιμητική ſive reprehenſiva; cõſtans propoſitione, ℣. 2. confirmatione reprehẽſionis ſuę, uſque ad ℣. 20. & concluſione à promiſſionibus Dei, ſumma eſt; Ijobum temerè & impiè adminiſtrationi Dei obloqui, quòd non damnet anteactam vitam ſuam & ſuorum, neque judiciis Dei patienter acquieſcat: Finis verò, ut ad ſeriam peccatorum confeſſionem & reſipiſcentiam ſe comparans benedictionem à Deo exſpectet. Ita quidem ſancta eſt theſis, ſed in hypotheſi ſive ſingulari quæſtione facti peccatur, dum argumentatur Bildad ex præſentibus calamitatibus, Ijobum hypocritarum more in peccatis vixiſſe, eorum nomine affligi, & adhuc mala fide agere quòd infitietur peccata ſua; cujuſmodi fere eſt ſequentium reprehenſionum in Ijobum ratio. [2] Propoſitio reprehenſionis ἐκ τῆς τοῦ φθονοῦντος διαβολῆς, quòd Ijob perturbato vehementiſſimè animo ſermones indignos haberet indigniſſimè. [3] i. quaſi bruto impetu ferris ad conviciandum Deum, proruendum judicia ejus, & convellenda omnia.

3 [4] An *Deus* fortis perverteret judicium? aut
an omnipotens perverteret juſtitiam?
4 [5] Si filii tui peccaverunt ei; ideò dimiſit
eos in a [6] poteſtatem defectionis ipſorum.
5 Si tu ſedulò requireres *Deum* fortem; &
omnipotentem deprecareris;
6 [7] Modò purus & rectus ſis: certè jam [8] ex-
pergiſceretur tua cauſa; & [9] perficeret habita-
tionem [10] juſtitiæ tuæ,
7 Eſſentq; b priora tua [11] perexigua: adeò
poſteriora tua augerentur valdè.
8 [13] Nam conſule quæſo ætatem priſcam;
& compara *te* ad [15] perveſtigationem majorum
illorum:
9 [14] Quandoquidem c heſterni ſumus, neq;
experti ſumus; nam [15] umbra *ſunt* dies noſtri
ſuper terram.
10 An non [16] illi docturi ſunt te? [17] dicturi ti-
bi? & ex animo ſuo prolaturi verba?
11 [18] An attollit ſe juncus abſq; cœno? auge-
tur ulva abſque aquis?
12 Adhuc exſiſtens [19] in virore ſuo, *quum*
nondum decerpitur; tamen ante omne gra-
men areſcit.
13 Ita ſunt ſemitæ omnium obliviſcentium
*Dei* fortis: nam exſpectatio hypocritæ perit,
14 [20] Quem faſtidit ſpes ſua; cujus fiducia
[21] eſt domus aranei,
15 Innitentis domui ſuæ, quæ nõ conſiſtit;
apprehendentis eam quæ ſtare non poteſt.
16 [22] Succoſus *fuerit* iſte, [23] ante ſolem; &
[24] ſupra hortum ſuum tener ramus ejus pro-
dierit:
17 [25] In acervo radices ejus implexæ fue-
rint, [26] domum lapideam inſpexerit.
18 [27] Quum perdit eum à loco ejus; adeò ut
ementiatur eum *locus dicens*, non vidit te:
19 [28] En illa lætitia viæ ejus; quum ex pul-
vere faciunt alter effloreſcat.
20 [29] Ecce *Deus* fortis non ſpreturus eſt in-
tegrum: ſed non [30] confirmat manum malefi-
ciorum;
21 [31] Donec [32] impleverit riſu os tuum, & la-
bia tua jubilo:
22 Oſores tui induantur pudore; & tento-
rium improborum nuſquam *ſit*.

[4] primus reprehenſionis locus ἐκ τοῦ ἀτόπου, ab evidente: quaſi dicat, quis neſcit Deum juſtiſſimum eſſe, neq; tua neque alterius cauſa æquum & bonũ convellere? [5] ἐργασία ſuperioris loci dilemmatica; neceſſe eſt, inquit, ut Deum juſtiſſimum cõfitearis, ſive filios tuos, ſive te ipſum ſpectes: nã utroſq; caſtigavit peccatorum nomine: ſed illos quidem ad mortem; te verò, ſi ſapis, ad reſipiſcentiã, cui benedictiones conjunctæ ſunt. a Heb. in manum. [6] i. ut ipſos ſua defectio perderet. [7] i. modò converſio non ſit hypocritica, & impura oratio. [8] i. oſtenderet te ſibi eſſe curæ: humanitùs dictum, ut Pſal. 35. 23. [9] i. abſolutè bearet. [10] i. tuam, quum juſtè vives: hypallage αὐξητικῶς. b Heb. principium tuum perexiguũ, adeò conſequens tuum augeretur. [11] i. propè nihil eſſet prior ille ſtatus tuus ad eum qui tibi divinitus obventurus eſſet. [12] ſecũdus locus confirmationis ἐκ μαρτυρίας παλαιῶν, à teſtimonio majorum omnium temporum univerſe. [13] i. ſciſcitandos & percunctandos majores antiquiſſimos.

[14] ætiologia, cur modeſtè reticendo ſuum teſtimonium ad Priſcorum auctoritatem & fidem Ijobum revocet, ut confirmet propoſitionem Eliphazi ſuprà 4. 8. Eſt autem tota hyperbolica per μείωσιν dicta, & per comparationem ſui cum priſcis majoribus. c Hebr. heri. [15] i. breviſſima ætas noſtra eſt, comparata cum majorum ætate, fluxa. inſtabilis, & ipſa ultrò abiens. [16] majores, de quibus verſ. 8. [17] id eſt, dicta mea confirmaturi bona fide. [18] tertius confirmationis locus ἐκ παραβολῆς, ex comparatione, qua oſtenditur tam eſſe ex ordine & jure adminiſtrationis Dei, ut impii & hypocritæ intercidant, eorumque exſpectatio præſcindatur; quam ordinarium eſt, juncum in ſiticuloſis locis areſcere, aut diſſipari telam aranei.

[19] id eſt, tempore viriditatis ſuæ, quo adhuc creſcere ac non decerpi ſolet, deficiente aqua emoritur.

[20] i. eum quaſi faſtidiens fugit id ipſum quod ſperat, adeò ut inſperatis calamitatibus opprimatur; metaphora. Eſt autem hîc amplificatio ſuperioris loci ab exemplis duobus, aranei, & arboris, uſque ad verſ. 19.

[21] i. adeo fragilis & fallax, ut illa eſt: quod exponitur ſequente verſ.

[22] alterum exemplum quo exprimitur allegoricè primùm felicitas improborum: deinde luxurians in aliorum damnum propagatio; & poſtremo exitium. Succoſus autem, id eſt, abundans & circumfluens bonis inſitis & adventitiis.

[23] i. palam, in oculis omnium agat commodiſſimè: ut 2. Schem. 12. 12.

[24] id eſt, plus æquo luxuriet: his omnibus tacitè Ijobum & ejus filios perſtringit. [25] id eſt, ita latè radices diffundat, ut fundamenti ſtruem offendat in ædibus domini ſui.

[26] id eſt, luminibus domus officiat: quaſi dicat, ſupra & infra damnoſus ſit familiæ domini ſui.

[27] dominus ejus funditus exſtirpando è loco ejus, ita ut nullum veſtigium ejus appareat; quod in ſequentibus per proſopopœiam exprimitur.

[28] Apodoſis ironica ſimilitudinis, Ijobum graviter mordens: etſi ſtatim lenitur promiſſionibus, q. d. ubi eſt gloria & jactatio illius, cùm avulſæ nullum veſtigium ſuperſit, & in locum ejus altera ſuffecta ſit?

[29] Concluſio à promiſſionibus Dei ad ſuperiores minas mitigandas; ſed tamen oppoſitione ſtatus improborum illuſtrata, velut aculeo infixo in animum Ijobi; ut partim metu à malè gerenda via deterreret, partim ſpe revocaret ad Deum.

[30] vide ſupra 4. 6. [31] Tranſitio à theſi ad hypotheſin: quaſi dicat, te ergo ſi integer eris, non ſpernet Deus; ſed acceptum habebit uſque dum, &c. ut ſuprà verſ. 6. [32] id eſt, dederit ampliſſimam materiam gaudii, tibi benefaciendo, & inimicos confundendo.

## CAPUT IX.

*Ijob agnita & celebrata juſtitia, ſapientia ac potentia Dei, infitiatur criminationem vitæ ſuæ ſibi ab amicis objectam; & juſtitiam ſuam aſſerens docet ex præſentibus Dei judicijs non eſſe de hominibus judicandum. Poſtremò querimonias ſuas repetens, à Deo multis argumentis adductis mala ſua deprecatur, & concludit flebili optato.*

1 RESpondens verò Ijob,[1] dixit:
2 [2] Verùm *eſt*, novi ita eſſe: nam qui
juſtus eſſet mortalis *comparatus* cũ *Deo* forti?
3 [3] Si volet litigare cum eo, non poterit re-
ſpondere ei [4] *ad* unum ex mille.
4 [5] *Eſt* ſapiens [a] animo; & fortis viribus:
[6] quis obdurans *animum* adverſùs eum pro-
ſperitate utitur?
5 [7] Qui refigit montes ita ut [8] non anim-
advertant *homines*: qui ſubvertit eos in ira ſua.
6 Qui commovet terram è loco, adeo ut
[9] columnæ ejus contremiſcant:
7 [10] Quo interdicente Soli, non oritur; qui
ante ſtellas obſignat viam:
8 ‖ Qui extendit cælos ſolus; & [11] calcat ex-
celſa maris:
9 [12] Qui facit [13] Arcturum, [14] Orionem &
[15] Plejadas; ac [16] penetralium Auſtri *ſidera*:
10 Qui facit res magnas, [b] adeoq; imper-
veſtigabiles; & mirabilia, adeóq; innumera.
11 [17] Ecce, tranſit præter me, tamen non
poſſum videre: ſi tranſmeat, tamen non ani-
madverto eum.
12 [18] Ecce, rapuerit, quis cogat eum reſtitue-
re? quis dicat ei, quid facis?
13 [19] Deo non revocante iram ſuam: ſub ipſo
incurvantur [20] adjutores ſuperbiæ.
14 [21] Quanto minùs ego reſponſarem? [22] e-
lecturus verba mea *quibus uterer* contra eum?
15 Cui [23] ſi juſtus ſim, non reſponſabo; *ſed* ju-
dicem meum [24] deprecabor.
16 [25] Si invocantem exaudivit me; non cre-
derem [26] auribus percepturum vocem meam?
17 [27] Qui [28] turbine contereret me; & mul-
tiplicaret vulnera mea [29] impunè.
18 Non ſineret me revocare ſpiritum me-
um; ſed ſaturaret me amaritudinibus.
19 Si viribus *experirer*, fortiſſimum ecce:
[30] ſin judicio, [31] quis vadimonium conſtitueret
mihi?
20 [32] Si juſtum me aſſererem, os meum con-
demnaret me: ſi [33] integrum me, [34] perverteret
me.
21 [35] Integer ſum, [36] non habui rationem a-
nimæ meæ; ſprevi vitam meam.
22 [37] [c] Una eſt, propterea dico; integrum,
ut improbum ipſe conſumit.
23 [38] Quandoquidem flagello mortẽ affert
repentè; ad probationem innocentium ridet:
24 [39] Terra traditur in manum improbi,
[40] faciem judicum ejus obtegit: ſi non [41] *ille fa-
cit*, quiſnam eſt?
25 [42] Nam [43] dies mei velociores fuerunt
curſore; aufugerunt, non ſunt experti [44] bonũ:
26 Tranſmearunt cum navibus [d] veloci-
bus; ſicut aquila involans in eſcam.
27 [45] Si dico, [e] obliviſcar querimoniæ meæ;
derelinquam [e] iram meam, & recreabo me:
28 Formido omnes dolores meos; reco-
gnoſco fore ut [46] non purges me:
29 *Sed* me tamquam [47] improbum fore;
quare jam in vanum [48] laborarem?
30 [49] Si lavero me aquis nivalibus: & emun-
davero ſmegmate manus meas:
31 Tum in foveam demerges me, & [50] abo-
minabuntur me veſtes meæ.
32 [51] Quamvis non ſit vir ſicut ego, *ut* re-
ſponſem ei; *ut* conveniamus [52] pariter in judi-
cium:
33 Neque ſit inter nos arbiter, interpoſitu-
rus manum ſuam inter utrumque noſtrum:
34 [53] Amoveat à me virgam ſuam, & terror
ejus ne perturbet me:

[1] Iſtius reſponſionis Ijobi ſummæ partes ſunt tres: Prima ὁμολογητική, ſive confeſſoria juſtitiæ & potentiæ Dei, uſq; ad ver. 21. Secunda, ἀπαγορευτική, infitians criminationem ſui & defendens integritatem ſuam uſque ad finem capitis: Tertia ἔκθεσις ſive expoſitio indignationis & querimoniæ apud Deum, ca. 10.

[2] Confeſſio ad primam Bildadi propoſitionẽ reſpondens, ſup. 8.3. quam in ſequentibus explicat primò per theſin, uſq; ad ℣. 14. deinde per hypotheſin & accommodationem ad perſonam ſuam, uſq; ad ver. 21.

[3] homo videlicet de juſtitia, adverſus ſapientiſſimam & potentiſſimam Dei juſtitiam.

[4] i. millies peragetur reus.

[5] Confirmatio propoſitionis ſuperioris à natura Dei.

[a] Heb. à corde.

[6] ab eventu: eſt autem prolepſis hoc verſu, cujus duæ argumentationes à natura ejus, & ab eventu, ſigillatim ſequentibus explicantur. [7] confirmatio prioris argumentationis de natura Dei, ab operibus ejus uſque ad verſ. 11.

[8] nempe amotionem, adeoque ullum veſtigium eorum.

[9] i. ima fundamenta; quaſi dicat terram à ſummo ad imum.

[10] i. qui efficit noctem & diem: periphraſis: nam donec oriatur Sol, eſt nox: & adventante die contra, quaſi obſignatæ occultantur ſtellæ & via quaſi occluſa eſt ne prodeant in conſpectum noſtrum. ‖ Gen. 1.

[11] i. æſtum & fluctus ferventis maris quaſi pede comprimit.

[12] i. qui facit ac moderatur annum, cujus partes à ſignis cœli ordinariis deſignantur, principio ducto à Septembri, prout numeratur civilis annus.

[13] cujus ſidus exoritur undecim diebus ante æquinoctium Autumni, & dimidiam anni partem terminat.

[14] ſidus quod totis noctibus menſe Decembri in hemiſphærio ſupero verſatur. & deinceps uſque ad vergiliarum tempus conſpicuum eſt.

[15] Latinè vergilias, quæ unà cũ vere oriuntur & durant uſq; ad Autumnum.

[16] intelligit æſtiva ſidera, ut eſt canicula, &c. quæ quia ad polum Antarcticum ſive axem meridianum ſpectant (qui polus velut inferior ſubeſt horizonti noſtro) penetralium Auſtri ſidera appellantur: dicuntur enim penetralia Auſtri elegante phraſi per hypallagen pro Auſtro penetralium, i. abſtruſo & quaſi in penetralibus mundi à nobis abſcondito.

[b] *Hebr. uſque ad non perveſtigationem, & uſque ad non numerum: ſupra 5.9.*

[17] confirmatio ſecundæ argumentationis, ab exemplis eventorum. eſt autem hoc primum hypotheticum à perſona ſua, quaſi dicat: ſi quod documentum potentiæ, & ſapientiæ & juſtitiæ ſuæ edit ob oculos meos, non ſum is qui eam cognoſcere & perveſtigare poſſim, adeo inſcrutabilia ſunt judicia ejus & imperveſtigabiles viæ ejus, Rom. 11. 13. [18] ſecundum exemplum κατὰ θέσιν à perſona eorum quos Deus malis afficit arbitratu ſuo.

[19] tertium exemplum, à perſona eorum qui vires ſuas conſumunt, & alienas adhibent, ut obſiſtant Deo. [20] i. ſuperbi & eorum patroni.

[21] altera pars confeſſionis, ut diximus in verſ. 2. qua primum ſtatuit ſe non reſponſaturum, ſed ſubmiſſo animo deprecaturum Deum: deinde hoc inſtitutum ſuum duabus propoſitionibus hypotheticis confirmat. Quod autem dicit, Quanto minus, comparatio majoris eſt: ſi nemo, inquit, quantumvis potens & validis auxiliis fultus Deo utiliter obloqui aut obſiſtere poteſt, quid ego miſer, ſolus, &c?

[22] i. de induſtria litigarem & ſtuderem agendæ cauſæ meæ, ut ſupra verſ. 3.

[23] i. ſi ſapiam, & velim in mea juſtitia pergere.

[24] ut facit ſub finem ſequentis capitis.

[25] Propoſitio prior hypothetica, qua docet quàm malè ſibi ſit ceſſurum, ſi cum Deo judicio aut viribus certare velit: quod amici tamquam homini malè ſano & furenti exprobrabant. Huc autem ingreditur argumento à ſimili: invocantem me audivit toties, & non audiret reſponſantem atque laceſſentem?

[26] accepturum provocationem meam.

[27] id eſt, miſerrimè perderet me: periphraſis duob. verſibus.

[28] i. ſubita, violenta & fragoſa plaga, qualem experti fuerant ipſius filii, ſup. 1. 19.

[29] i. ſine ullo damno ſuo, ac nemine vindicante me: ſic Proverb. 1. 11.

[30] i. ſi in jus vocare vellem.

[31] i. quis tãdem judicis partes agẽs me & illum in jus vocaret ad agendũ cauſam noſtram?

[32] altera propoſitio hypothetica: q. d. ſi juſtitiam meam cum illius juſtitia comparare vellem, meis ipſius verbis, ut meo gladio, jugularem me.

[33] comparatione Dei.

[34] videlicet os meum.

[35] Secunda pars reſponſionis ad propoſitionem Bildadi, quæ eſt ſupra 8. 6. & ſequentibus. Eſt autem hoc verſu prolepſis ſequentium in reſponſione partium, nam primum integritatem ſuam, fidem & conſcientiã adverſus probra quæ objiciebant illi, aſſerit: deinde oſtendit ſe ſine mala fide faſtidire vitam ſuam, quod capite ſequente explicat. Integer ſum, (inquit) comparatione veſtri in hac defenſione mea: nam integer ſum ab iis peccatis quæ mihi objicitis fuiſſe in cauſa cur ita affligat.

[36] ſic diſtinguimus ſequuti fidem manuſcripti exemplaris: non ſum mihi conſcius: ex animo meo ſperno vitam meam. Etſi communis lectio ſervari hoc modo poteſt convenientiſſime, *non novi animam meam*, nimirum præ integritate: pro eo quod eſt, in ea integritate ſum, ut nunquam animæ aut vitæ meæ ratione abduci potuerim, aut poſſim ab integritate mea. Atque huic interpretationi verſus proximè ſequens adhæreſcet hoc modo: *una eſt, propterea dico*, &c. Senſus eſt, anima mea ſemper eſt eadem, itidémque ſibi conſtans in integritate mea: quo teſtimonio conſcientiæ fretus dicere non dubitaverim contra quam ſtatuitis, integrum ut improbum conſumit Deus.

[37] ἀνασκευή confutatio argumentationis illius Bildadi: Si juſtus eſſes, non affligeret te Deus, ſup 8. 6. 20. Atqui te affligit, Ergo injuſtus es. Cui ita reſpondet Ijob, utcunque afflictus ſim, mihi ſum benè conſcius: itaque concludo probos ut improbos à Deo affligi; ampliùs dico, pro arbitrio ipſius utroſque conſumi.

[c] *Heb. unum hoc propterea dico: antecedens cum relativo: pleonaſmus.*

[38] id eſt, quandoquidem innocentes necat ſubitò, aut graviſſimis afflictionibus eos probando delectatur: humanitus dictum.

[39] confutatio alterius partis argumentationis Bildadi ſup. 8. 11. qua dixerat, ut probis benedicit Deus, ſic è contrario improbis & actionibus eorum in hac vita palàm & apertè reipſa maledicere: confutat autem Ijob ab experientia.

[40] id eſt, bonos etiam condemnat, à quibus fuiſſet improbus condemnandus: à ſigno ſynecdochicè, ut Eſtheræ 7. 8.

[41] nimirum Deus. [42] confirmatio ſuperioris argumentationis ab exemplo ſuo: oſtendit enim, utcunque integer ſit, tamen amiſſam eſſe quàm celerrimè proſperitatem ſuam, verſ. 25. & 26. deinde graviſſimè & ſine intermiſſione affligi, verſibus ſequentib. [43] proſperi, ut ſupra 7. 6. [44] diurnum & conſtans.

[d] *Heb. deſiderii, i. ita conſtitutis, ut quam citiſſimè victorem ad deſiderium perducant.*

[45] q. d. ſi quando ſuccurrit, ut de liberatione à malis meis ventura cogitem, præcidunt mihi ſpem mala præſentia.

[e] *Heb. faciem: ſic Levitici 17. 10. & 1. Schem. 1. 18.*

[46] id eſt, ut purum me à calamitatibus liberes: ita concludit Ijob ex rebus præſentibus, ut ſuprà 7. 6.

[47] ita tractatum iri, ut vos de improbo dixiſtis.

[48] de fovenda aliqua ſpe adverſus iſtas exitiales ærumnas: ſic refellit ſermonem Bildadi ſupra 8. 6. [49] id eſt, quamvis puriſſimus eſſem hominum, tamen ita affligeres me: apoſtrophe ad Deum. [50] i. horrebunt me etiam omnia mihi proxima, & ea ipſa quæ ſunt juris mei: hyperbole.

[51] Concluſio ſuperioris ſermonis, μεταβατική, i. tranſitiva ad querimoniam ſequentis capitis, conjuncta propoſitione quæ eſt in verſ. 35. & principio ſequentis capitis, quia ita ſtatuit Ijob; etſi neque mihi eſt auctoritas cum illo contendendi, neque alteri judicandi aut arbitrium interponendi: non dubitabo tamen expoſtulare cum illo familiariter, fretus bona fide & conſcientia.

[52] id eſt, æquis inter nos legibus; ut inter litigantes ex æquo diſputari ſolet.

[53] i. tantum mihi ſpatium interſpirationis concedat Deus, quo res meas poſſim eloqui: ſic exponi poſtulat verſus ſequens: ut infra 13. 20.

35 Eloquar,quum non timebo ab eo:nam
non [54] ita ſum conſcius mihi.

[54] nimirum ut vos exprobratis mihi.

## Caput X.

1 FAſtidit [1] anima mea vitam meam;*a* depo-
nam à me querimoniam meam; loquar
in amaritudine animæ meæ;
2 Dicam Deo, [2] ne condemnes me;notum
fac mihi quam ob rem [3] contendas mecum.
3 [4] An bonum eſt tibi,quòd opprimis?quòd
ſpernis laborem manuum tuarum? & conſi-
lium improborum illuſtras?
4 [5] An oculi carnei ſunt tibi? an ut videt
mortalis vides?
5 [6] An ſimiles diebus mortalium dies tui
*ſunt*?aut anni tui ſimiles diebus viri?
6 [7] Ut inquiras iniquitatem meam, & de
peccato meo quæras?
7 [8] In notitia tua *eſt* me non eſſe impro-
bum:[9] nec tamen eſt quod eripiat à manu tua.
8 [10] Manus tuæ dolore afficiunt me, quæ
fecerunt me: unà circumquaque *ſunt* quibus
exſorbeas me.
9 Recordare,quæſo,‖ quòd ſicut argillam
feciſti me:& in pulverem reduces me?
10 Nonne [11] ſicut lac fudiſti me?& tanquam
caſeum coagulaſti me?
11 [12] Cute & carne induiſti me? oſſibuſque
& nervis texiſti me?
12 [13] Cum vita benignitatem exercuiſti erga
me?& viſitatio tua conſervavit ſpiritum meũ?
13 [14] At iſta recondidiſti in *b* animo tuo:no-
vi hoc eſſe apud te.
14 [15] An ſimulac pecco,obſerves me?& ab
iniquitate mea non purges me?
15 Si improbus ſim, hei mihi; ſi juſtus ſim,
non [16] poſſum attollere caput meum: ſatiare
[17] ignominia, & reſpice afflictionem meam.
16 [18] Quum attollit ſeſe, ut ferox leo [19] ve-
naris me; & *c* [20] rurſus mirificum te exhibes
contra me.
17 Renovas [21] teſtes tuos contra me, au-
gens indignationem tuam adverſus me: [22] vi-
ces & exercitus ſunt contra me.
18 [23] At quare è vulva eduxiſti me? *ô ſi* ex-
ſpiraſſem,& oculus non vidiſſet me:
19 Eſſem ac ſi nunquam fuiſſem; ex utero
in ſepulchrum elatus fuiſſem.
20 [24] Annon pauliſper diebus meis [25] ceſſa-
bit? deponet *exercitus ſuos* procul à me, ut re-
creem me pauliſper?
21 Quum [26] nondum abivero unde [27] non
ſum rediturus; [28] in terram tenebroſam & [29]
umbræ lethalis;
22 Terram obſcuriſſimam,ſimilem caligi-
ni, umbræ lethalis, & [30] expertem viciſſitudi-
num; [31] quum *maximè* ſplendet, ſimilem cali-
gini.

[1] ut ſupra 9.21. Tertia pars reſponſionis, ἐκθέσεις indignationis & querimoniæ propoſitione, verſ.2. confirmatione, verſ.4. confutatione à verſ.7. ad 19.& concluſione conſtans reliquis verſ.

a Heb.relinquam de ſuper me.

[2] Propoſitio deprecationis primùm,deinde oprati: ut Deus ſeveritatis ſuæ in Ijobum cauſam explicet, cũ ipſe ſibi benè ſit conſcius.

[3] flagellando me.

[4] Confirmatio propoſitionis à rebus abſurdis; quæ etſi in Deũ cadere non poſſunt, tamen pro forma judiciorum ab humana infirmitate de Deo cogitari poſſent. Eſt autẽ hic primum abſurdum,ut Deus juſtus opprimat hominem ſibi benè conſcium: ſecundum,ut opifex ſpernat ſuum opus: tertium, ut probus improbis faveat hoc verſu.

[5] quartum abſurdũ, ut Deus omnium cognitor judicio fallatur.

[6] quintum abſurdum concludens ſuperiora omnia: an tota, inquit, æternitate tua quicquam tibi humanum evenit? ſynecdoche. Sic tranſit Ijob ad hypotheſin cauſæ ſuæ.

[7] nempe quaſi jam omnia non eſſent tibi exploratiſſima: ut aſſerit ſequente verſ.

[8] Confutatio, cujus hæc eſt propoſitio prima,confutans abſurdum primum, de quo ſupra ꝟ.3.

[9] πάθος ad movendam miſericordiam: quaſi dicat, verumtamen ne mea quidem integritas, cujus tu mihi teſtis es, facit ut hac plaga liberer; ut qui nihil facto meo coram te promereri poſſim.

[10] Propoſitio ſecunda pathetica reſpiciens ad abſurdum ſecundum verſ.3. amplificata, primùm κατὰ σύγκρισιν ſive comparationem antecedentis operis Dei cum præſentibus calamitatibus: deinde per enumerationem ſingulorum Dei operum erga ſe inde à conceptu. ‖ *Gen.27.*

[11] i. conceptum humanum & naturalem effeciſti:periphraſis.

[12] id eſt,in utero formaſti.

[13] id eſt,animaſti,& in vita conſervaſti.

[14] ὑποφορά,ſive ſubjectio fidei ad præcedentes quæſtiones. b *Heb.corde.*

[15] Tertia propoſitio, reſpondens tertio abſurdo per dilemma: alia eſt, inquit,apud te ratio eorum qui ex infirmitate peccant,alia improborum. Si ex infirmitate offendi, an mecum eadem ratione acturus es atque cum improbo?

[16] ita ærumnarum gravitate opprimor:quam ob rem ad orationem patheticam ſtatim confugit. [17] mea videlicet, i. deſine me ignominia afficere miſertus mei. [18] nimirum caput meum,cujus meminit præcedente verſ.eſt autem hic precationis αἴτιον,duobus verſibus.

[19] i.inſectatis plagis:humanitus dictum. c *Heb.reverteris,& mirificum.*

[20] i. ſubinde mirificos dolores mihi affers.

[21] i.plagas,teſtes indignationis tuæ,ut infrà 16.8.

[22] i.velut copiæ aliæ aliis ſuccedentes oppugnant me, ἐν διαδοχῇ.

[23] Contentio fervens adverſus Deum, ἐκ τοῦ πάθους,ex infirmitate carnis proficiſcens:vide ſup 3.10 & ſeq.

[24] Concluſio à voto & ardente gemitu, repreſſa ſuperiore contentione adverſus Deum,quaſi victoris ex ea erigentis ſe ad Deum.

[25] renovare dolores & caſtrametari contra me? videtur autem Ijob ex his verbis novos eo momento aculeos & tela dolorum perſenſiſſe,quibus ad Deum excitaretur.

[26] i. mortuus fuero:periphraſis.

[27] vide ſup.7.9. & 10.

[28] deſcriptio ſepulcri periphraſtica.

[29] i. umbroſiſſimam.

[30] in temporibus videlicet:eſt enim perpetua nox ibi. [31] i.quæ quantumvis ſole lucente perluſtretur terra,ſemper opaca permanet.

## Caput XI.

*Tzophar ſermonem Ijobi à comparatione majeſtatis divinæ refellens, docet unicam ſalutis viam eſſe fidem & reſipiſcentiam; ad quam Ijobum hortatur:*

1 CUi reſpondens Tzophar Nahamathi-
tes,[1] dixit;
2 [2] An multitudini verborum nõ reſpõde-
retur? aut an *a* vir loquax juſtus haberetur?
3 [3] Ad mendacia tua homines ſilerent? [4] &
te ſubſannantem nemo pudore ſuffunderet?
4 [5] Dixiſti enim, [6] pura eſt diſciplina mea,
[7] mundus ſum ante oculos tuos.
5 [8] Ac certè,*ô ſi* quis darer Deum loqui;ô ſi
aperiret labia ſua adverſus te:
6 Et indicaret tibi *b* myſteria occulta ſa-
pientiæ [9] duplo majora eſſe iis quæ exſiſtunt:
agnoſce ſaltem exigere abs te Deum *aliquid*
de iniquitate tua.
7 [10] Ad profunditatem *ſapientiæ* Dei inve-
nias?aut ad perfectionem *ſapientiam* omnipo-
tentis invenias?
8 *Altior eſt c* altiſſimis cælis, quid agas?
profundior [11] ſepulcro *imo*, quod cognoſcas?
9 Lõgior terrâ menſura ejus:& latior mari.
10 [12] Si tranſmeabit ut [13] dedat,ſive ut [14] con-
greget;quis verò avertet eum?
11 [15] Nam ipſe novit [16] homines vanos,& vi-
dens nequitiam,an non [17] conſideraret:
12 [18] Ut vir [19] vacuus fiat cordatus; [20] & pul-
lus onagri [21] *d* efficiatur homo:
13 [22] Si tu [23] comparans animum tuum;ex-
panſurus es ad eum manus tuas:
14 Si nequitia eſt in manu tua, procul a-
move eam; & ne ſinito habitare in tentoriis
tuis iniquitatem.
15 Tunc enim [24] extuleris faciem tuam è vi-
tio:[25] eriſque validus, & non timebis.
16 Nam tu moleſtiæ oblivi ſceris; ſicut a-
quarum *quæ* [26] præterierunt recordaberis:
17 Et [27] ſupra meridiem exſurget tempus;
[28] *e* evolabis,ſimilis matutino eris.

[1] Hujus orationis ſummæ partes ſunt. Exordium, ꝟ. 2.& 3. Ἀνασκευὴ ſive confutatio ſermonis quem habuerat Ijob à ꝟ. 4. uſq; ad 13. Κατασκευὴ ſive cõfirmatio promiſſionum Dei in reſipiſcẽtem, uſque ad ꝟ.18. Et Concluſio, inde uſq; ad finem ver.3.

a *Heb. vir labiorum.*

[2] Exordium à neceſſitate, in quam ſibi adduci videbatur Tzophar ut ſermones Ijobi refelleret. Ejus neceſſitatis loci ſunt quatuor amplificati cõtentione vehementiſſima hoc & ſequente verſu:Primus ἐκ τοῦ αἰσχροῦ, ab inhoneſto; Si tibi inhoneſtum eſt tot verba effutire, nobis adhuc inhoneſtius foret ea diſſimulare: & Secundus,ἐκ τοῦ ἀσυμφόρου, ab inutili, Loquacitas nõ efficiet juſtum,

[3] Tertius locus, ab injuſto; injuſtum eſt mendaciis aſſentati.

[4] Quartus ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, ab impoſſibili: non poſſunt pii non obſiſtere blaſphemantibus.

[5] ἀνασκευῆς ſive confutationis ἔκθεσις, propoſitio argumenti quod ſtatuit confutare. [9] i.ego ex puro corde, conſcientia bona & fide non ſimulata verſatus ſum in utenda doctrina Dei,ſup.6.10. [7] vitæ ratione, ſup.10.7.

[8] ſummum & unicum argumentum confutationis à teſtimonio Dei quod Ijobo δι' εὐχῆς, precationis modo objicit, velut obſtinatè omnibus hominum documentis reſiſtenti. b *Heb.occultationes ſapientiæ.* [9] i. te multo graviores pœnas tuis peccatis meritum eſſe, quàm ſunt hæ quibus affligeris, ſi Deus tecum ſummo jure agere vellet; ut Hetzræ 9.13. Atque hæc ſumma propoſitio eſt totius orationis iſtius: occulta Dei ſapientia duplo major eſt quàm exſiſtens æque revelata: Eſt autem revelata ſapientia quæ exigit abs te iniquitatem tuam: quid ergo te futurum eſſet miſero, ſi expeteretur pro occulta ſapientia ſua?agnoſce ſaltem, &c. [10] Ἐργασία ſuperioris propoſitionis de occultiſſima ſapientia Dei, quam metaphoricè cum rerum corporearum exemplis comparat,omnibus humanis dimenſionibus eam ſuperiorem eſſe confirmans,hoc verſ & duobus ſeq.

c *Heb.altitudinibus:hypallage.*

[11] i. omnibus inferis. [12] i. ſi operibus exſeret ſe,ut ſup. 9.11. [13] abjiciens à ſe. [14] recipiens ad ſe. [15] Ἐργασία alterius membri in propoſitione adducti de peccato hominis & cognitione ejus. [16] ut eſſe præſumeris ex verbis tuis,& ex pœnæ quam ſuſtines gravitate. [17] ad judicandum & ad puniendum. [18] Uſus animadverſionum Dei, quo comparatur tranſitio ad κατασκευήν. [19] corde & intelligentia. [20] i. etiam breviſſimus inde ab ortu ſuo.

[21] per regenerationem,cujus adminiſtræ ſunt viſitationes Dei,hoc enim denotatur Hebræo verbo. d *Heb.generetur.* [22] Κατασκευὴ ſive confirmatio hypothetica promiſſionũ Dei, qualem alii amici adhibuerunt ſup.5.17.& 8.5.& 20.

[23] i. ſi ex animo reſipiſces. [24] i. te erexeris, & in vitio non amplius jacebis:ſic perſtringit Ijobum quaſi in peccato jacentem.

[25] quod ante planè imparatus jactabas,ſup.9.35.

[26] videlicet non reverſuræ. [27] i.illuſtriſſima gloria circumfulgebis.

[28] i. quaſi uno momento ex ærumnis iſtis emerges atque eveheris.

e *vel ſplendebis.*

19 [29] Confides

18 [29] Confides igitur, dum eſt ſpes: ſi [30] *f* per-
ſcrutatus fueris, ſecurè cubabis:
19 Et recubantem nemo exterrebit: imò
precabuntur faciem tuam multi.
20 [31] Oculi verò improborum deficient;
perfugiúmque peribit ab eis, & [32] ſpes eorum
exſpiratione animæ.

[29] Cõcluſio exhortatoria ad fidem & reſipiſcentiam tempeſtivam, partim à promiſſionibus Dei adjunctis, partim à metu judiciorum ejus: quem aculeum adhibet ad fodicandum Ijobum: ut ſuprà 8.20. [30] id eſt, vias tuas exploraveris, & reſipiſcente animo à te abjeceris: ſic Lamentationum 3.40. *f* *Heb. perfoderis: metaphora.* [31] id eſt, improbi ſua ſpe fruſtrati vitam in lacrymis & ejulatu conſument. [32] h. miſera morte de rebus ſperatis decident.

## Caput XII.

*Ijob confutatis amarulenter ab experientiâ & communi rerum creatarum teſtificatione argumentis Tzopharis, & reliquorum mendacibus ſermonibus repudiatis, omnes injuriæ in Deum arguit. Poſtea redintegrans conſtitutionem cauſæ ſuæ; expoſtulat cum Deo de illatis calamitatibus, eaſque argumentis aliquot deprecatur.*

1 Reſpondens verò Ijob, [1] dixit.
2 [2] Scilicet vos eſſe [3] populum; & [4] vo-
biſcum morituram ſapientiam.
3 [5] Etiam mihi eſt animus ut vobis; [6] non
*a* inferior ſum vobis: [7] & apud quem non *ſunt*
hujuſmodi?
4 [8] Ut *qui* deriſui *eſt* amico ſuo ſum, [9] quem
clamantem ad *ſe* exaudit Deus: [10] deriſui *eſt* ju-
ſtus, integer.
5 [11] Tæda contempta *eſt* ad cogitationem tran-
quilli, is qui conſtitutus eſt in [12] nudationibus
pedis.
6 Tranquilla ſunt tentoria [13] vaſtatoribus,
& ſecuritates provocantibus iram *Dei* fortis,
cuicunque efficit Deus ut eveniat *optatum* ad
manum.
7 [14] Enimverò interroga, quæſo, jumenta,
& docebit te *illorum quodq;*, aut volucrem cœ-
li, & indicabit tibi:
8 Aut confabulare cum terra, & docebit
te: etiam enarrabunt tibi piſces maris.
9 [15] Quis non cognovit ex omnibus iſtis,
manum Jehovæ facere illud?
10 In cujus manu *eſt* anima omnis viventis,
& ſpiritus totius carnis humanæ.
11 [16] An non auris verba probabit; ut pala-
tum cibi guſtum aſſumit ſibi?

[1] Hujus reſponſionis Ijobi ſummæ partes ἀνασκευὴ ſive confutatio partim ſingularis ſermonum Tzopharis: partim univerſalis amicorum omnium uſque ad ℣.17. cap. 13. Et nova ἔκθεσις, hoc eſt, propoſitio ſive cõſtitutio cauſæ ſuæ coram Deo, uſque ad finem.
[2] Exordium ironicum: primus locus ἀνασκευῆς, à reprehenſione amarulenta eorum qui ſermonem habuerãt.
[3] i. verè homines; quibuſcum ego cõparatus ſum vir vacuus, & quaſi pullus onagri, ſupra 11.12.
[4] i. præter vos neminem eſſe ſapientem: Sarcaſmus.
[5] amplificatio ironiæ ſuperioris per comparationem ſui.
[6] id eſt: non minus habeo animi & intelligentiæ quàm vos: ſic infrà 13. 2.
*a* *Hebr. non cado ego præ vobis: ſic infrà 13. 2.*
[7] altera amplificatio ironiæ.
[8] ſecundus locus ἀνασκευῆς, ἐκ τοῦ ἀπρεποῦς ab inhoneſto; ſed κατ' ἀναχωρισμὸν in tertia perſona enunciatus, ut ſupra 6.14. tum ut minus amicorum animi offendantur; tum ut commodius ad theſin tranſeatur.
[9] amicum, &c. i. cui in præſentia Deus benedicit, ut fruatur tranquillitate vitæ; ac proinde quem indignius eſt de miſero amico malè judicare, maximè qui juſtitiam & integritatem ſuam aſſerit: ſic accipi flagitant ſequentia.
[10] Tranſitio ad theſin. [11] Tertius locus ἀνασκευῆς, Theſis ſive propoſitio contraria ex adverſo illi quam poſuerat Tzophar, ſuprà 11.13. & ſequentibus. Tu (inquit) dicis fore ut probus ſecurè in hac vita degat, & glorioſa proſperitatis luce meridiem ſuperet: ego verò contra ab exemplo meo confirmo, primùm virum integrum ad multas mutationes & caſus tota hac vita comparatum eſſe: deinde ad opinionem eorum qui tranquillè vivunt quaſi abſumtam tædam abjectum eſſe, nedum ut luceat veluti ſol: contra verò multa improbis ex animo ſuccedere, utcunque ſtatueris, ſuprà 11.20.
[12] id eſt, calamitatibus, quæ parum abeſt quin ipſum hominem proſternant: elegans metaphora, ut Pſalm. 18.37.
[13] id eſt, improbis, qui non tantum contra ſecundam legis tabulam, ſed etiam contra primam veniunt.
[14] Tertius ἀνασκευῆς locus ἐκ τοῦ ἀτόπου, ab abſurdo, nam oſtendit Ijob abſurdum eſſe ut iſtam adminiſtrationem Dei negent illi quam ipſi ob oculos vident, & omnes res creatæ quantumvis ratione & anima deſtitutæ confirmant.
[15] id eſt, quis non diſcat ex iſtorum ſingulorum documentis? ἐργασία ſuperioris propoſitionis de calamitatibus bonorum, & ſecundis rebus improborum.
[17] Pathetica reprehenſio, quam de induſtria inſeruit Ijob in medium hunc locum de adminiſtratione Dei, ut amicos graviùs perſtringeret: q.d. vos hactenus rebus à Deo creatis uſi eſtis, & ſenſibus veſtris diſcrevitis ea, quæ vobis ſapiebant, placebant ad viſum, &c. ſed cùm omnia iſta totidem ſint documenta magnificæ ipſius adminiſtrationis Dei; an non tandem aliquando aurem & animum advertentes melius judicabitis de adminiſtratione Dei? an ſemper cæci, ſurdi, fatui, & ſtupidi futuri eſtis in percipiendis omnium rerum documentis, & ſermonibus meis?

12 [17] In decrepitis erit ſapientia? & *in* lon-
gitudine dierum intelligentia?
13 [18] Penes illum *eſt* ſapientia & fortitudo:
illius *eſt* conſilium & intelligentia.
14 [19] En *ita* [20] deſtruit ut non ædificetur:
[21] occludit viro *ita* ut non aperiatur.
15 Et ita [22] cohibet aquas ut areſcant: aut ita
emittit eas ut ſubvertant terram.
16 Apud illum *eſt* robur & [23] ſubſtantia: e-
jus *eſt* [24] errans & in errorem inducens.
17 Qui facit ut [25] conſulti deveniant *in* de-
mentiam, & judices ſtultos reddit:
18 [26] Vinculum regum diſſolvit; & cingu-
lum alligat lumbis eorum;
19 Qui facit ut [27] præſides deveniant *in* de-
mentiam; & valentiſſimos pervertit:
20 Qui [28] amovet *b* ſermonem eloquenti-
bus; & judicium ſenum recipit:
21 Qui effundit contemtum ſuper inge-
nuos; & zona validos deſtituit:
22 Qui [29] revelat profunda è tenebris; & e-
ducit in lucem [30] umbram lethalem:
23 Qui [31] auget gentes & perdit eas; qui
[32] expandit gentes & abducit eas:
24 Qui [33] amovet animum primoribus po-
pulis terræ; & facit ut aberrent in loco inanita-
tis avio,
25 Palpantes in tenebris *c* deficiente luce;
quum facit ut [34] errent ſicut *errat* ebrius.

[17] Exaggeratio ſuperioris argumenti ab ætate amicorum Ijobi, ut qui jam provectiores debuerant experientia lõgiore iſta didiciſſe. Jam verò ſe oſtendit reipſa comperire penes Deum unũ eſſe, & ab illo ſolo percipi ſapiẽtiam, ℣. ſeq.
[18] regreſſio ad ἐργασίαν quę fuerat intermiſſa à verſu 11. in qua adminiſtrationem Dei confirmat primùm à natura ejus, deinde ab effectis, qualia inter homines quotidiè obſervantur. Penes illum, inquit, id eſt, ejus ſunt, & in ejus adminiſtratione hæc inſunt omnia: ſic naturam adminiſtrationis explicat hoc verſu.
[19] id eſt, ineluctabilis eſt adminiſtratio ejus, cujus exponuntur effecta uſque ad finem capitis per antitheſin membrorum. [20] ut Sedomum, &c. Gen. 19. [21] id eſt protegit quaſi objecta ſtructura, & obſerata porta, ut Lotum. ibidem. [22] ut Gen. 7. & 8.
[23] i. exiſtentia (ut vocant) rerum omnium. [24] ſive corpore, ut Pſalm. 107, 4. & 40. ſic animo, ut Geneſ. 3. de ſerpente, Adamo & Chava.
[25] ſicut Exodi 1. & ſequentib. capitibus. [26] ut Gen. 14.
[27] ut ſupra verſ. 17. [28] ut in hiſtoria Schecemitarum, Gen. 34.
*b* *Heb. labium.* [29] ut in hiſtoria Joſephi, Gen. 37. & 41.
[30] i. rem abſtruſiſſimam. [31] ut ante diluvium, Gen. 5. & 6.
[32] ut Gen. 10. & 11. [33] Exodi 8. & 14. *c* *Heb. non luce.*
[34] Gen. 19. 11. & 2. Reg. 6. 18.

## Caput XIII.

1 En [1] omnia vidit oculus meus, audivit
auris mea, & percepit ſibi.
2 Utique quod ſcitis, ſcio ego quoq;: non
ſum inferior vobis.
3 [2] Profectò ego pro omnipotente loquar
& diſceptare pro Deo forti volo.
4 [3] Etenim vos concinnatores mendacii;
medici nihili omnes eſtis.
5 [4] O *ſi* quis daretur ut *a* omnino ſileretis:
nam eſſet vobis pro ſapientia:
6 Audite jam diſceptationem meam: &
ad contentiones labiorum meorum attendi-
te.
7 [5] An pro Deo forti loqui debetis iniqui-
tatem? aut pro eo loqui debetis fraudem?
8 [6] An perſonam ejus accipere debetis,
quum pro Deo forti contenditis?
9 [7] An bonum *futurum eſt* quum [8] perve-

[1] confirmatio ſuperiorũ; quæ docet Ijob ſe iſta omnia partim experientia cognoviſſe, partim fide habere exploratiſſima: quam ob rẽ nos in ſuperioribus exempla omnia ex priſcis illis temporibus adduximus.
[2] altera pars ἀνασκευῆς, confutatio univerſalis ſermonum quos amici in Ijobum ad defendendam Dei juſtitiam habuerant, cujus propoſitio hoc verſu eſt ejuſmodi: vos me exiſtimatis litigare adverſus Deum, & illi (ut vobis quidem videtur) patrocinamini; ſed ego contra tranſlationem criminis inſtituam in vos, quia vos ii eſtis qui Deum patrocinio veſtro offenditis, & gravem ei injuriam facitis, quaſi mendaciis cauſa ipſius defendenda eſſet.
[3] ἀπολογία inſtituti iſtius ἀντεγκλήματος à duabus cauſis; una, quod Deo nihil proſunt mentiendo; altera, quòd ne Ijobo quidem proſunt ineptis pharmacis & medicamentis adhibitis.
[4] audientiam facit primùm κατ' εὐχὴν: deinde ab inhoneſto, quia ſtultus qui tacet, ſapiens reputabitur, Proverb. 17. 28. poſtremo ab utili, quia increpationem ſuam ſperat utilem eis & ſalutarem fore.
*a* *Heb. ſilendo ſileretis.* [5] Propoſitio increpationis: Pro Deo loqui ſanctum eſt; ſed iniquitatem loqui impium. Iniquitatem verò vocat Ijob, quod ordinariam illam adminiſtrationem Dei, quam aſſeruit ſuperiore capite, ſinguli pernegaverant, Eliphaz ſupra 5.3. & ſequentibus: Bildad ſuprà 8.11. & ſequentibus: & Tzophar ſupra 11.13. & 20.
[6] i. an ita reſpectu perſonæ Dei abripimini, ut nullam habeatis rationem mei? quod ne quidem cum ipſius Dei juſtitia eſt conſentaneum: ſic infra verſ. 10. hactenus argumenta ab injuſto.
[7] argumentum ab inutili; quo oſtendit primum hanc rationem ipſis fore inutilem, hoc verſu: deinde verò pernicioſam juſto judicio Dei, tribus verſibus ſequentibus.
[8] i. recognoſcet & expendet patrocinium veſtrum.

ſtigabit vos, ſi ut illuditur mortali,[9] illuſeritis ei?

10 *b* Omninò reprehendet vos;*etiam* ſi clàm perſonam accipiatis:

11 [11] An non excellentia ejus perturbat vos, & pavor ejus irruit in vos?

12 [12] Memoriæ veſtri *ſunt c* ſimiles cineri; *d* tumulis luti altiora veſtra.

13 [13] Silentes deſiſtite à me, ut eloquar ego &[14] obveniat mihi quidvis.

14 [15] Quam ob rem [16] auferrem carnem meam dentibus meis, &[17] animam meam ponerem in manibus meis?

15 [18] Si enecaret me, non ſperarem? verumtamen vias meas ante faciem ejus probo. 59.

16 [19] Etiam ipſe mihi *erit* ſaluti: quamvis in conſpectum ejus [20] hypocrita non veniat.

17 [21] Audite *e* indeſinenter ſermonem meũ, & enunciationem meam auribus veſtris.

18 [22] Ecce jam diſpono judicium; ſcio me [23] fore juſtum.

19 [24] Quis *eſt* qui contendat mecum? [25] Si nunc ſilerem, exſpirarem.

20 [26] Tantummodò duo ne facias contra me; tunc à facie tua non abſcondam me.

21 [27] Manum tuam procul amove à me: & terror tuus ne perturbet me.

22 Deinde inclama, ut ego reſpondeam: aut eloquar, ut reddas reſponſum mihi:

23 [28] Quot mihi iniquitates & peccata *ſint*; defectionem meam & peccatum meum notum fac mihi:

24 Quare faciem tuam abſcondas, & [29] reputes me inimicum tibi.

25 [30] An folium impulſum exagitares? aut ſtipulam aridam perſequereris?

26 Quod [31] reſcribis contra me amaritudines, & efficis ut poſſideam hæreditario jure [32] iniquitates pueritiæ meæ.

27 Ac [33] ponis in compede pedes meos, & [34] obſervans omnes ſemitas meas, [35] ſuper radices pedum meorum imprimeris?

[9] id eſt, mendaciis, cavillis, & tergiverſationibus cauſam illius egeritis, quę ad decipiendos homines & turpes cauſas velãdas adhiberi ſolet.

b Heb. *reprehendendo reprehendet.*

[10] i. quãtumvis obſcuriç ſint rationes veſtræ, & hominum noti tiam fugiant: tamen pater ille cæleſtis videt in ſecreto, & ſuo tempore repoſciturus eſt.

[11] alter locus ἐκ τοῦ ἀσυμφόρου, q. d. nonne majeſtas Dei pręſens vos percellit & deterret à me cõdemnando, ut etiam facit metus venturi illius judicii? ſuperiore verſu: gradatio.

[12] i. quicquid in vobis eſt maximè memorabile, & altũ ſi cũ Deo comparabitur, & reipſa, nihil eſt: confirmatio proximi argumenti ex comparatione conditionis noſtræ cum excellentia Dei.

c Heb. *ſimilitudines.*

d Heb. *altũ luti.*

[13] Concluſio ἀνασκευῆς, conjunctà cũ tranſitione ad novã ἔκθεσιν.

[14] i. ſinite me meo periculo loqui.

[15] Occupatio: qua docet Ijob non eſſe cur de ipſo metuant quaſi deſperante, ac præ deſperatione adverſus Deum contendente in ſuam ipſius perniciem,

[16] id eſt, me ipſum in deſperationem abiens conſumerem?

[17] i. vitæ & animi mei omnem curam abjicerem? vide ſimile 1. Schem. 19.5.

[18] Amplificatio occupationis à circumſtantia mortis: quaſi dicat, tantum abeſt ut omnem vitæ ac ſalutis meæ rationem abjecerim, ut potius in mortis anguſtiis fidem in Deum habiturus, rationem vitæ meæ apud eum depoſiturus, & ſalutem ab eo conſtantiſſimè exſpectaturus ſim, vero, ſimplice & integro animo.

[19] nempe quia probat vias meas, ut mihi ſum conſcius. Sic ab illorum argumento ſup. 4.6. & alibi; confirmat ſermonem ſuum Ijob ſæpe.

[20] qualem me cogitatis eſſe, & nominatim vocavit Bildad ſupra 8.13.

[21] Exordium ἐκθέσεως. e *Heb. audiendo.*

[22] primum argumentum exordij, à bona fide & conſcientia ſua, quam ſtatuit explicare coram Deo.

[23] id eſt, juſtum habitum iri coram Deo. [24] quaſi dicat, cùm Deus me juſtificet, quis intentabit crimina adverſus me? ſic Rom. 8.33.

[25] ſecundum argumentum à neceſſitate, quaſi dicat, rumperer, ſi hic æſtus apud me continendus eſſet, & non daretur liber expoſtulandi locus.

[26] altera pars Exordii, ſermone converſo ad Deum: qua poſtulat Ijob ut ad æquam & legitimam diſceptationem cauſæ attendat Deus: idque duobus modis. unus; ut ceſſet ab infligendis plagis & inhibeat eas, verſ. 21. alter, ut ſibi ipſi det ſecuritatem à plagis, & ipſius animum confirmet, quo audeat expoſtulare cum Deo, verſ. 22. ut ſupra 9.34.

[27] id eſt, plagas, metonymia. [28] Propoſitio ſumma, ac velut ſtatus totius cauſæ his duobus verſibus; quia Ijob aſſumta actoris perſona cum Deo expoſtulans, ſe tam benè ſibi conſcium eſſe oſtendit, ut non poſſit ſtatuere cum animo ſuo ſe propter peccata ſua tam graviter flagellari: ac proinde ſi quid ejuſmodi eſt (cujus ſe neſcium profiteretur) exponi ſibi à Deo poſtulat. Dicit enim, Quod, id eſt, quid & quantum peccaverim, fac ut ſciam.

[29] id eſt, mecum, ut cum inimico, agas rigidiſſime.

[30] primus locus contentionis veluti forenſis, ad miſericordiam adducens Deum ab indigno, per comparationem majeſtatis divinæ cum tenuitate ſua: nam Ijob ſe cum folio depulſo & quiſquiliis arentibus comparat: judicium verò Dei graviſſimis & vehementiſſimis figuris explicat, duobus verſibus ſequentibus: quaſi dicat, indignum eſt majeſtate tua ut miſellum homuncionem & abjectiſſimum tot & tantis calamitatibus obruas.

[31] id eſt, judiciali reſcripto tuo in me decernis plagas tam amaras atque difficiles. humanitùs dictum ex forenſi uſu.

[32] id eſt, pœnas inde à pueritia mea iniquitate meritas.

[33] i. me coerces iſtis malis, quaſi ſontem compedibus vinctum.

[34] id eſt, ſingulis malis circumcludens me, quaſi armatis cuſtodibus, ut ſupra 10.7. [35] id eſt, veſtigia iræ tuæ uſque ad extremos pedis articulos pertingunt, ut quum pes ſontis totus uritur gravitate compedum, radices autem pedum vocat ipſos primores vel extremos pedes, qui in digitos quaſi radicis partes diffinduntur.



## Caput XIII.

28 [1] NAm [2] iſte velut putredo veteraſcit, ut veſtis quam edit tinea.

## Caput XIIII.

2 Homo natus muliere, brevis *a* ætate, & ſatur commotione.

3 Ut flos ſimulac egreſſus eſt, ſucciditur; & fugit velut umbra, neque conſiſtit:

4 Etiam contra [3] iſtum [4] aperias oculum tuum? & me adducas in judicium tecum?

5 [5] Quis edat mundum ex immundo? ne unus *quidem.*

6 [6] Quandoquidem præciſi ſunt dies ejus, numerus menſium ejus penes te *eſt*: determinationes ejus feciſti, quas non tranſgrediatur,

7 [7] Reſpice *aliorſum* ab eo, donec deſiſtat: uſq; dum [8] exſolverit, ut mercenarius, *b* diurnum ſuum.

8 [9] Nam eſt de arbore ſpes, ſi exſcindatur, adhuc repullulaturam; & tenerum ramum ejus non deſtiturum.

9 Quum valdè ſenuerit in terra radix ejus, & in pulvere jam moriturus eſt pes ejus *ſucciſæ*;

10 [10] Ex odore aquarum regerminat: & agit ramum [11] velut planta.

11 At vir moritur debilitate factus: quumque exſpiravit homo, ubinam eſt?

12 [12] Abeuntibus aquis è lacu, ut flumen exſiccatum exareſcit:

13 Ita vir quum occubuit, non reſurgit [13] uſque dum non *erunt* cæli: non excitabuntur, *viri*, neque expergiſcentur à ſomno ſuo.

14 [14] Utinam in ſepulcro [15] occultares me, abſconderes me donec averſa eſſet ira tua; diſponeres mihi [16] determinationem, recordatus mei.

15 Quum moritur vir, an [17] revicturus eſt? omnibus diebus præfiniti temporis mei [18] ſperarem, donec rediret immutatio mei:

16 [19] Revocares, & ego reſponderem tibi: opus manuum tuarum expeteres.

17 An [20] nunc [21] greſſus meos numeras; *ac me* non [22] ſervas, propter peccatum meum?

18 Et obſignata *ut* in faſciculo defectione mea, [23] conſuis *eum* ob iniquitatem meam?

19 Enimverò mons ruens decideret: & rupes refigeretur è loco ſuo:

20 [24] Lapides exterunt aquæ: *c* inundatione abripis è pulvere terræ ſponte naſcentia ejus: ita ſpem mortalis perdis.

[1] Ἐξέτασις eſt primi contentionum loci; quem verſu 25. ſummatim propoſuit Job: primum κατὰ θέσιν à cõditione hominum univerſè; deinde κατ' ὑπόθεσιν, à conditione ipſius ſingulari.

[2] homo natus muliere; verſ. 2. cum folio & ſtipula cõparatus.

a Heb. *diebus.*

[3] hominem, ac nominatim me, qui ſum iſta conditione, & ex ipſorum numero: ſic tranſitio fit à theſi ad hypotheſin.

[4] id eſt, nominatim reſpicis, & quæſitionem habes?

[5] ſecundus locus contentionis ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, ab impoſſibili, quaſi dicat, ſi mecum peccatorum & immunditiæ nomine experiris, noſti neque me, neque alium mortaliũ quempiam ſuis viribus ab immunditia liberari poſſe, ac proinde, aut judicium tuum graviſſimum illis ſubeundum eſſe, aut adhibẽdam miſericordiam tuam, quam tu ipſe miſertus infirmæ carnis promiſiſti. Gen. 8.21.

[6] tertius locus captandæ miſericordiæ ἐκ τοῦ πρέποντος, ab eo quod magis Deum miſericordem decet, quaſi dicat, convenientius futurum eſt majeſtati tuæ præſenti morte contentus ſis, quàm ut toto vitæ curriculo me miſerum hominem rigidiſſimè & præter ordinem exagites.

[7] vide ſup. 7.19.

[8] id eſt, tranſegerit vitam. b *Heb. diem ſuum.* [9] ἀνθυπολογία ſuperioris loci ἐκ [illegible] à comparatione contrarii, qua Dei miſericordiam captat hoc modo: ſi homo tanta facultate præditus eſſet quantam habet arbor, quæ ſine graviore periculo putatur & ad radicem uſque cæditur, deinde facili negotio repullulat; exiſtimarem lenius calamitates mihi perferendas eſſe: jam verò cùm neque ligneus ſit homo, neque tam vividus ut ſemel occiſus ſponte repullulet, reſpice aliorſum à me. &c. [10] id eſt, vel tantillo humore: metaphora.

[11] id eſt, ac ſi novella planta, aut vivi radix eſſet. [12] amplificatio ab altera ſimilitudine aquarum pereuntium è lacu, id eſt alveo ſive conceptaculo ſuo: quam ſimilitudinem aut à cognito exemplo, aut hypotheticè propoſuit; cujuſmodi exemplum memorabile eſt apud Dionem Nicęum in Auguſto & Trajano.

[13] id eſt, nunquam in vitam hanc revertetur.

[14] quartus locus contentionis, optatum hypotheticum ſive conditionale. ſi homo hanc vitam recepturus eſſet, ut verſus ſequens oſtendit. [15] ut radix arboris abſconditur terra, ubi ab externis injuriis tuta eſt. [16] id eſt, tempus quo vitam reciperem.

[17] hac præſente vita. [18] de hac vita à calamitatibus immuni recipienda, ut pes arboris repullulans, ſi res ita ſe haberet. [19] in vitam hanc, & me redivivus ſiſterem. [20] Concluſio pathetica ex comparatione ſeveritatis judiciorum Dei, hoc & ſequente verſu, cum infirmitate omnium rerum creatarum. ℣. 20. & 21. nominatim vero hominis, uſque ad finem. [21] i. ſingula facta mea recenſes, & ad amuſſim metiris.

[22] i. Perdis. μείωσις. [23] i. ſi tanquam faſciculum conſarcines conſuaſque, & univerſam peccatorum meorum recordationem accumules, quis mons? quæ rupes? quæ virtus rei creatæ ferat?

[24] i. continuis plagis, quantumvis in ſpeciem mollibus edomas res duriſſimas & res altiſſimè radicatas aufers.

c *Hebr. inundas.*

21 Prævales ei in æternum, ita ut abeat; & mutans vultum ejus dimittis eum.

22 [25] Si augeantur filii ſui, ignorat: ſin diminuantur, non animadvertit ad eos.

23 Tantummodò caro ejus dolore in [26] ipſo afficitur, & animus ejus de ipſo luget.

[25] i. morte allata, ſenſū omnē illis & notitiā rerum præſentium etiam chariſſimarum adimis.
[26] i. dum vivit, & caro ejus ſemper doloribus infeſta eſt, & animo ſemper aliquid mœroris hæret: adeò hæc vita abundat & circumfluit malis.

## CAPUT XV.

*Eliphaz altera hac oratione Ijobum inſipientiæ & protervia in Deum nomine objurgans, revocat ad agnitionem peccati ſui per comparationem juſtitiæ Dei: deinde juſtitiam Dei commendans a manifeſto exitio impiorum in hac vita, Ijobum ab iſta fiducia ſua dehortatur.*

1 Cui reſpondens Eliphaz Themanites, [1] dixit:

2 [2] An ſapiens reſponderet ſcientiam *a* [3] ventoſam? aut [4] impleret Euro ventrem ſuum,

3 Diſceptando verbo *quod* non prodeſt; & ſermonibus quibus non proficit?

4 [5] Etiam tu irritam facis reverentiam; & detrahis confabulationem *b* cum *Deo* forti.

5 [6] Nam docet iniquitatem tuam os tuum; [7] cùm eligas *adhibere* linguam aſtutorum.

6 Condemnat te os tuum, non autem ego; & labia tua teſtantur contra te.

7 [8] An primus hominum genitus es? aut ante colles formatus es?

8 An arcanum Dei *c* intelligis? & [9] contrahis ad te ſapientiam?

9 Quid noſti quod neſciamus? *quid* intelligis quod non *ſit* apud nos?

10 Et canus, & decrepitus *eſt* inter nos; grandior quàm pater tuus *d* ætate.

11 [10] An parvæ *ſunt* præ te conſolationes *Dei* fortis? aut aliquid [11] obvolvit *eas* apud te?

12 Quid *e* abripit tibi animum tuum? aut [12] quid collimant oculi tui?

13 Quòd convertis contra Deum fortem [13] ſpiritum tuum, quum depromis ex ore tuo ſermones?

14 [14] Quid *eſt* mortalis ut mundus ſit? & ut juſtus ſit, *quid* natus muliere?

15 En, ſanctis ſuis non crediturus eſſet firmitatem: & *f* cælites non ſunt mundi in oculis ejus:

16 Quanto magis abominabilis & fœtidus; vir [15] imbibens ut aquam iniquitatem?

17 [16] Indicabo tibi, audi me: nam id vidi quod enarrabo,

[1] Hujus reſponſionis ſummæ partes ſunt duæ ἀνασκευὴ ſive confutatio ſermonum Ijobi, uſque ad verſ. 17. & κατασκευὴ ſive cōfirmatio earumdem reprehenſionum, quas ipſe & alij Ijobo enunciaverant, inde uſque ad finem capitis.
[2] Exordium ſive primus confutationis locus ἐκ τῆς τοῦ φιλαύτου διαβολῆς, à criminatione Jiobi; quem locum bifariā tractat, per communē locum, ver. 2. & 3. & per ſingularem hypotheſin accōmodationémque ad Ijobum, tribus ſequentibus.
*a* Hebr. venti.
[3] i. evanidam, ut ventus, quæ nihil habet præter verba in ventos fugientia.
[4] i. intus in animo vanas, procelloſas, ac fluctuantes cogitationes admitteret.
[5] i. nūc demùm video te planè deſipere, omni reverētia & invocatione Dei abjecta, ita liberè criminatur, quod prius hypotheticè propoſuerat, ſuprà 4. 6.

*b* *Heb. coram Deo.* [6] ætiologia ſuperioris criminationis, quaſi dicat, nos non damnamus te; ſed tu ipſe: ut ſequente verſu. [7] id eſt, ſciens & prudens cavilleris, ut ſolent aſtuti.

[8] ſecundus confutationis locus ἐκ συγκρίσεως, id eſt, à contentione ſive comparatione perſonarum colloquentium. quaſi dicat, neque antiquitas, neque peritia, neque auctoritas in te ſunt tantæ, ut nos ulla ratione ſuperare poſſis; quod deinde amplificatur ἐξ ἀντιθέτου, id eſt, contraria aſſertione, verſ. 10. Imò verò, inquit, nos tibi ætate, peritia & auctoritate præimus.

*c* *Heb. in arcano Dei audu: ſic Deut. 28. 49.* [9] id eſt, omnibus aliis ademtam tibi ſoli vindicas eam.

*d* *Hebr. diebus.* [10] Tertius confutationis locus ἐκ τῶν ἀκολούθων, à conſequentibus, quo ita argumentatur: cùm nos non vulgares aliquas conſolationes, ſed divinas tibi propoſuerimus, cujuſmodi vir bonus non poteſt abiicere: omnino neceſſe eſt ut tu aut ex præfidentia tui labores, divinas conſolationes faſtidiente; aut aliquo præjudicato alióve ſtudio abreptus ſis; quid abripit tibi, &c.

[11] id eſt, ita præſtinguit oculos animi tui, ut illas non percipias, quaſi res involucris tectas. *e* *Heb. capit te corde tuo.* [12] id eſt, quid ſpectas? quo ſtudio tranſverſus rapetis? metaphora à jaculatoribus ſumta.

[13] i. animum indignatione accenſum. [14] poſtremus confutationis locus, à comparatione naturæ humanæ cum divina, qua idem Eliphaz uſus fuerat ſup. 4. 17. & ſequentibus.

*f* *Hebr. calo, metonymia.* [15] id eſt, cui tam ordinarium eſt & familiare peccatum, quàm cibus & potus.

[16] κατασκευῆς, id eſt, ſecundæ partis in reprehenſione, exordium: quo audientiam facit Eliphaz duobus argumentis, à teſtimonio experientiáque ſua, & à communi ſapientum, priſcorum, potentiorum, juſtorúmque hominum conſenſione.

18 Quod ſapientes nunciant; & non celant *acceptum* à majoribus ſuis:

19 [17] Quibus ſolis tradita fuit terra; ac non tranſibat alienum *quicquam* per medium eorum.

20 [18] Omnibus diebus improbi, [19] ipſe doloribus ſe conficit: & *g* [20] pauci anni [21] reconditi ſunt violento.

21 [22] Sonus pavorum *eſt* in auribus ejus; [23] in ipſa pace vaſtatorem invaſurum eum.

22 [24] Non credit ſe rediturum è [25] tenebris; [26] ſed explorari ſe *ut exponatur* gladio.

23 [27] Vagatur propter cibum, *dicens*, ubinam *inveniam*? ſcit paratum, ad manum ei eſſe diem tenebrarum.

24 Perturbant eum oppreſſio & anguſtia: [28] prævalet ei, ut rex paratus cum pilata acie.

25 Quia intendit adverſus *Deum* fortem manum ſuam; & contra omnipotentem [29] ſe exhibuit virum;

26 [30] Incurret ei in collum; [31] in *h* toroſum *opus*, crepidines ſcutorum ejus.

27 Quia operuit vultum ſuum adipe ſuo; & [32] effecit ſtrigas ad illa:

28 [33] Et inhabitavit civitates exciſas; domos quæ non inhabitabantur; quæ [34] comparaturæ fuiſſent ſe in acervos;

29 Non diteſcet, neque ſtabunt opes ejus: [35] neq; extendet ſe in terra perfectio iſtorum:

30 [36] Non recedet à tenebris, tenerum ramum ejus arefaciet flamma: denique recedet [37] ſpiritu oris illius.

31 [38] Ne credat vanitati qui ſeducitur: nam vanitas futura eſt *i* compenſatio ejus.

32 *k* Ante diem ejus [39] complebitur: [40] nam ramus ejus non vireſcet.

33 Violenter [41] auferet *Deus* omphacem ejus ut vitis; & abijciet ſicut oleæ [42] florem ejus.

34 [43] Nam congregatio hypocritarum erit ſolitaria; & ignis abſumet tentoria *l corruptorum* munere:

35 [44] Concipiendo moleſtiam ac pariendo laborem, dum venter eorum comparat dolum.

[17] i. qui eā auctoritate & potentia qua fuerunt prædìti, inprimis uſi ſunt ad jus, bonū & æquum tuendū, & ad injuſtum quidvis & alienum à ſuo officio propulſandum.
[18] Propoſitio, qua conatur Eliphaz quod dixerat ſuprà 5. 3. probare, Improbum, utcunque prima ſpecie efferri videatur, tamen tum aſſiduis ſuæ conſcientiæ ſtimulis excitari, vexari, & conſternari; tum ſeveriſſimis Dei judiciis flagellari & perdi in hac vita; quod Ijob ſingulis reſponſis ſuis diluerat.
[19] i. ejus conſcientia ipſum.
*g* *Hebr. numerus annorum.*
[20] i. facile numerabiles, ſic paſſim.
[21] i. dolores aſſervari juſto judicio Dei, qui exponuntur infrà uſq; ad verſ. 31. & vitā ipſius minuunt vehementiſſimè.
[22] i. eum exagitat ſuus terror à ſequentibus incommodis prout interminatur Deus Levitici 26. 36. & Deut. 28. 65.
[23] i. omnibus diffidit.
[24] i. deſperat; qui ſummus eſt diffidentiæ gradus
[25] i. ex adverſis.
[26] Amplificatio prioris mali: quaſi dicat, ne ijs quidem fidem habet, qui in ejus ſalutem intenti ſunt: ſed omneis ſtatuit vitæ ſuæ inſidias ſtruere. [27] i. terroribus conſcientiæ ita divexatur, ut in maxima abundantia ſummè egeat, laboret de victu ſupra modum, & præſens exitium ſemper ſibi adeſſe cogitet. [28] i. ut potente, denſo, & perpetuo exercitu contra ſe armato circumcluditur, & opprimitur terroribus conſcientiæ ſuæ. Pilatam verò aciem, id eſt, confertam & preſſam in orbem dicimus, & auctoritate Varronis & Servi, [29] i. arroganter Deum oppugnavit, ut Num. 15. 30. eſt autem hîc altera pars propoſitionis de judiciis Dei adhibitis ad præſentem pœnam improborum. [30] humanitus dictum, id eſt, quaſi jugulo aut corporis trunco prehendens, impetum faciet in eum.

[31] i. in præſidia firmiſſima quibus circummunitus erat: hæc autem cum ſcutis toroſo opere confectis, & crepidines toroſas habentibus comparantur.

*h* *Heb. denſitatem.* [32] i. ita obeſavit corpus, ut pingue in cute plicaturas effecerit, deſcriptio ſummæ abundantiæ, ut Pſalm. 17. 9. & 73. 7.

[33] i. regionem labefactatam conſtituit & confirmavit ad munitionem ſuam: adeò potentia valuit.

[34] id eſt, mox fuiſſent corruituræ: vide ſimile ſuprà 3. 3.

[35] id eſt, non procedent illi amplius in ſuo ſtatu, qui alioquin perfectus videbatur. [36] id eſt, ſemper latebit in terra; aut ſi efferetur, mox tenerum ramum, &c. [37] id eſt, verbo & mandato ex ore procedente: humanitus dictum, ut Pſalm. 33. [38] Concluſio ἐκ πλαγίου obliquè Ijobum perſtringens in tertia perſona, qua dehortatur eum à fiducia vana, argumento ſumto ab infelice hominum præfidentium exitu.

*i* *Hebr. permutatio.* *k* *Hebr. non die ejus.* [39] nimirum compenſatio, id eſt, antequam juſtum vitæ ſpatium decurrerit, in hac vita luet.

[40] id eſt, neque facultatibus, neque genere, neque gloria ſecundabitur, allegoria arboris, hoc & ſequente verſu. [41] i. tollet poſteros ejus violentia, ut ſideratione acinos viti adimit. [42] id eſt, gloriam & expectationem, ut quum oleæ flores decutit ſideratio. [43] Apodoſis ſive interpretatio ſuperioris allegoriæ, Ijobum obliquè perſtringens, cui iſta obvenerant.

*l* *Hebr. muneris.* [44] i. dum ipſorum animus in eo tantùm laborat, ut moleſtiam aliis afferat, aut eos circumveniat dolo: allegoria frequens puerperii.

## CAPUT XVI.

*Ijob increpatis graviſſimè amicis, oſtendit quàm indignè ab ipſis exagitetur, quam graviter*

V u

*manu Dei prematur ; & quantopere ſe ipſe abjiciat : deinde confirmationem graviſſima reprehenſione redorſus, patronum & cognitorem à Deo ſibi dari petit ad tuendam gloriam Dei & innocentiam ſuam coram omnibus. Poſtremò amicos ad reſipiſcentiam hortatus concludit ſibi tantùm de morte cogitandum eſſe.*

1 RESpondens verò Ijob, [1] dixit:
2 [2] Audivi hujuſmodi multa: [3] conſo-
latores moleſti omnes eſtis.
3 [4] An finis *eſt* verbis *a* ventoſis? [5] aut quid
exacerbat te, ut reſpondeas?
4 [6] Etiámne ego ſicut vos eloquerer ? ſi eſ-
ſet [7] anima veſtra loco animæ meæ, accumu-
larem contra vos verba ? aut [8] moverem con-
tra vos caput meum?
5 [9] Fortificarem vos ore meo : & motus la-
biorum meorum cohiberet *dolorem veſtrum.*
6 [10] Si loquar, non cohibetur dolor meus: ſi
deſiſtam, quid à me abit?
7 Tantùm nunc [11] fatigat me: [12] deſolaſti *me*
toto [13] cœtu meo.
8 Quòd rugas obduxiſti mihi, pro [14] teſte
eſt : & exſurgens in me macies mea, in facie
mea teſtatur.
9 [15] Ira ſua rapit, quaſi inteſtino odio pro-
ſequatur me, frendit contra me dentibus ſuis:
*quaſi* hoſtis meus, *b* aciem oculorum ſuorum
vibrat in me.
10 [16] Diſtendunt contra me os ſuũ, [17] pro-
broſè percutiunt maxillas meas : unà contrà
me congregantur.
11 [18] Dedidit me Deus fortis [19] iniquo : &
in manus improborum inclinavit [20] me.
12 Tranquillus eram & [21] diſrupit me, &
prehendens cervice mea diſſipavit me; & ere-
mit me ſibi in ſcopum.
13 Circumſtant adverſum me [22] jaculato-
res ejus, [23] diſſecat renes meos, nec parcit; ef-
fundit in terram fel meum.
14 [24] Irrumpit in me *c* irruptione alia ad a-
liam; incurrit in me ut robuſtus.
15 [25] Cilicium [26] conſui ad ulceroſam cutem
meam : redactus ſum in pulverem [27] cornu
meo.,
16 Facies mea lutulenta effecta eſt præ
fletu; denique palpebris meis [28] *adeſt* umbra
lethalis.
17 [29] Propterea quòd non *eſt* [30] violentia
in manibus meis; ideò oratio mea pura *eſt*
*hæc.*
18 [31] O terra, [32] ne tegas ſanguinem meum;
& [33] ne ſit locus clamori meo.
19 [34] Etiam nunc ecce in cælis teſtem meum,
& conſcium meum in excelſis.
20 [35] In ludibrium traducunt me amici
mei: [36] apud Deum ſtillat oculus meus:
21 [37] Ut diſceptet *cauſam* viri cum Deo; ſic-
ut filius hominis *cauſam* amici ſui.
22 [38] Nam *d* anni pauciſſimi evenerunt, &
[39] itinere *unde* non ſum reverſurus abeo.

## CAPUT XVII.

23 Spiritus meus corruptus eſt, dies mei
exſtinguuntur, [40] ſepulcra mea *ſunt.*

[1] Hujus reſponſionis ſummæ partes ſunt tres: Ανασκευὴ ſive confutatio, à verſ. 2. uſque ad verſ. 17. Κατασκευὴ ſive confirmatio præcedentis ſuæ querimoniæ uſque ad verſ. 9. cap. 17. Et poſtremò epilogus.

[2] Confutationis exordiũ ἐκ τῆς τῶν ϕησαύτων διαβολῆς, à criminatione confabulantiũ, partim ex locis inſitis, verſ. 2. & 5. partim ex aſſumto, verſ. 4. & ſequentibus. Eſt autem hîc primus ἐκ τοῦ ἀσυμφόρου, ab inutili, ait enim inutiliter res ſibi perſpectas toties recantari.

[3] ſecũdus locus ab inhoneſto, quod moleſtiã miſero inhoneſtè & præter officiũ afferat.

[4] id eſt, ſatisne dixiſti ? ſic nominatim compellat Eliphazum.

[a] *Hebr. venti.*

[5] Tertius locus ab injuſto, injuſtè hominẽ non laceſſitum in calamitoſum invehi.

[6] aſſumtus locus per hypotheſin, à comparatione perſonę ſuæ, & officii quod amicis exhibiturus eſſet, ſi loco ipſius verſarentur.

[7] id eſt, ſi vos eſſetis loco meo.

[8] id eſt, ridetémne & ludificater vos? ut 2. Reg. 19. 21.

[9] ὑποφορά, ſubjectio ſui officii quod præſtiturus eſſet.

[10] Secunda pars Ανασκευῆς, narratio flagellorum Dei & injuriæ quam ab amicis accipiebat Ijob : ut harum partium inter ſe comparatione amplificetur indignitas facti. Senſus eſt, ſemper, loquens & tacens doloribus excrucior, prout ſequentia oſtendunt uſque ad verſum 10.

[11] dolor meus. [12] Apoſtrophe ad Deum. [13] id eſt, familia, ſuprà 1. cap. & amicis. [14] quantopere fatiget me dolor.

[15] metaphoricæ loquutiones de Deo humanitus dictæ.

[b] *Heb. oculos ſuos acuit in me.* [16] id eſt, inflant buccas, & pleno ore debacchantur in me: alterum narrationis membrum, ut obſervatum eſt in verſ. 6.

[17] id eſt, me palam in os afficiunt inhumaniſſimis contumeliis.

[18] Amplificatio ſuperioris querimoniæ à damnis ante acceptis Chaldæorum Sabæorúmque opera, ſuprà cap. 1. & Dei ipſius manu, verſu ſequente: quorum utrumque exaggeratur circumſtantia temporis : quod tum maximè ex inſperato accidit tanta calamitas, quum ſecundis rebus uteretur. quaſi dicat, Ego cùm hoſtium quos non offenderam injuria, tum manus Dei violentia preſſus, omnino diffluo, his duobus verſibus :; ſed accedit jam ab amicis iſtis cumulus iſte calamitatum, ut in me certatim velut in ſcopum jaculentur, adeóque in virum Deo & hominibus exoſum, quod hîc allegoricè verbis caſtrenſibus exponitur. [19] Chaldæis & Sabæis.

[20] id eſt res meas. ſynecdoche.

[21] igne & turbine, ſuprà cap. 1. [22] uxor, amici, & alii conviciis me proſcindentes: elegans metaphora, ut Geneſ. 49. 23.

[23] id eſt, morbis & malis, tamquam immiſſis telis, undiquaque confodit totum corpus meum & ejus intimas partes; cùm ſupra præcordia, ubi jecur cum felle ſitum eſt, tum infra præcordia, ubi renes velut ſagittis tranſverberat.

[24] id eſt, infligit mihi ſubinde recentes plagas vehementiſſimè.

[c] *Hebr. irruptione ante faciem irruptionis.*

[25] altera amplificatio querimoniæ ab effectis, duobus verſibus : quod per tantas ærumnas in luctu, ignominia, ſqualore, & præſentiſſima morte verſatur.

[26] id eſt, adeò manant ulcera corporis mei, ut lugubris amictus, quem primò ſuperiorum ærumnarum cauſa indueram, ſuprà 1. & 2. carni meæ quaſi conſutus hæſerit. [27] id eſt, robur & gloria mea in pulverem abiverunt; quanto magis cætera?

[28] i. caligant oculi mei tãquã moribundi.

[29] Tranſitio ad κατασκευὴν, argumento à bona fide & conſcientia ſua.

[30] i. maleficium illud quòd exprobrant mihi amici mei.

[31] Exordium patheticum: cujus ſumma eſt, Ijobum terram & res omnes creatas obteſtari, ut innocẽtię ipſius teſtificationem edant: inprimis verò Deum, ut partim adverſantes ſibi redarguat, partim Ijobi cauſam probet.

[32] imprecatio hypothetica. q. dicat, ſi quam cædem maleficiúmve quod objicitis patravi, illud revelet ac teſtificetur terra.

[33] i. ne in cælum efferatur recipiatúrve clamor meus, ſi ſum ejuſmodi.

[34] prior cauſa imprecationis à teſtimonio Dei, & conſcientiæ ſuæ.

[35] poſterior cauſa imprecationis à perſona adverſariorum, quod ne in intimis quidem amicis inveniat fidem, qua cognoſcant de æquitate cauſæ ſuæ.

[36] Propoſitio κατασταтικὴ, ſive (ut vocant) cõſtitutiva cauſæ quam in ſequentibus acturus eſt, quaſi dicat, à Deo cum lacrymis peto ut diſceptet, &c.

[37] Status cauſæ, ut alterutram partem litigantem adverſus Deum compeſcat auctoritate ſua & cauſam hominum inter ſe litigantium definiat humana ratione: quemadmodum jam bis poſtulavit ſup. 9. 34. & 13. 20.

[38] ætiologia conſtitutionis cauſæ quæ modò dicta eſt, à perſona ſua, q. d. Deum vellem jamjam in præſentia diſceptationem in ſe recipere, quia ad mortem propero.

[d] *Hebr. anni numeri: ſimile eſt Geneſ. 34. 29.* [39] ut ſup. 7. 9. & 10.

[40] q. d. aliis omnibus rebus valedico atque renuncio.

## CAPUT XVII.

1 QUandoquidem [1] non ſunt [2] ludificatio-
nes apud me; ſed in [3] exacerbatione i-
ſtorum pernoctat oculus meus:
2 [4] Diſpone, quæſo, *a* conſponſorem mihi
tecum: quis eſt? [5] manui meæ plaudatur.
3 [6] Nam animum iſtorum [7] abſcondiſti ab
intellectu: idcirco [8] non exaltaturus es.
4 [9] Incumbere adulationi indicabit ami-
cos; oculos verò *b* deditorum ei [10] defectu-
ros.
5 Nam fore ut [11] inſtituat me ad præſiden-
dum populis; quamvis *c* tympanotribarum
materia antè fuerim,
6 [12] Caligétque præ indignatione oculus
meus, & membra mea velut [13] umbra *ſint* o-
mnia.
7 [14] Obſtupeſcant recti ſuper hac *re*; & in-
nocens contra hypocritam ſeſe excitet.
8 Et [15] contineat juſtus viam ſuam; mundúſ-
que manibus *d* ampliùs fortificetur.
9 [16] Enimverò *e* quotquot eſtis [17] revertimi-
ni, & venite quæſo : nam non invenio inter
vos ſapientem.

[1] Secunda pars κατασκευῆς, petitio; cujus cauſæ ſummatim, verſ. 1. petitionis ſumma, verſ. 2. continentur.

[2] i. criminationes quibus iſti ludificãtur me: metonymia.

[3] i. iſti dies noctéſque nõ ceſſant exacerbare animum meũ.

[4] i. effice ut unus aliquis tuam & meam cauſam uno patrocinio defendat adverſus iſtos; & tua ac mea cauſa vadimonium cõſpondeat: ineſt autem huic forenſi loquendi formulæ: ſynecdoche, quũ petit ſponſorem vadimonii, id eſt, qui cõſponſo vadimonio ſe ſiſtat, cauſam agat utriuſque, &c.

[a] *Hebr. conſpondere mihi: infinitivus pro nomine.* [5] id eſt, ſpondeatur mihi porrecta manu ab eo quiſquis ſit : ſynecdoche à communi ſpondentium forma : cui ſimilis eſt Jirm. 50. 15. [6] ἐργασία cauſarum quæ poſitæ ſunt verſ. 1. primùm à perſona adverſariorum, verſ. 3 & 4. deinde à ſua, verſibus ſequentibus.

[7] id eſt, feciſti ut nihil intelligant, ac proinde cauſa cadent.

[8] ſecundùm illos judicando. [9] Propoſitio ſumma orationis quam conſponſor habiturus eſſet ad aſſerendam Dei juſtitiam & innocentiam. Ejus autem duæ ſunt partes: una, ἔλεγξις vel redargutio amicorum, eventu eorum conjuncta, hoc verſ. altera, confirmatio Ijobi & defenſio coniuncta Dei promiſſionib. de eventu ſecundo, primùm quidem erga ipſum, verſ. 5. & 6. deinde verò erga Eccleſiam & pios omnes, ver. 7. & 8. [b] *Heb filiorum ejus* adulationis.

[10] i. fore ut confuſi abeant, dejectis in terram oculis. [11] i. reſtituat me Deus in dignitatem meam, & altiùs provehat. [c] *Heb.* τυμπανισμὸς, ſive ut ita dicamus, tympanizatio. [12] i. totus humore exhauriar, ac viribus.

[13] corporis, ac non amplius corpus: hyperbole. [14] i. animo, dictis, & factis viri boni glorientur in Deo, & de hypocritarum confuſione exſultent: ſummus finis agendæ iſtius cauſæ, duobus verſib. [15] i. perſeveret in ſua juſtitia, ac non iſtarum offenſionum argumento avertatur.

[d] *Hebr. addat fortitudinem.* [16] Epilogus, cujus partes ſunt duæ: una hortationis ad amicos coniuncta reprehenſione ſermonum antecedentium : altera, querimonia triſtis de miſeria conditionis ſuæ.

[e] *Heb. omnes ipſi, ut 1. Reg. 22. 28.*

[17] id eſt, reſipiſcite.

10 Dies mei prætererunt: [18] cogitationes meæ avulſæ ſunt; *f* [19] quas poſſidere ſolebat animus meus.

11 [20] Noctem diſponunt diei; luci propinquæ, ob [21] tenebras.

12 [22] Si exſpectem, ſepulcrum domus mea *eſt*: in tenebris [23] inſtruo ſtrata mea.

13 Foveam appello, [24] pater meus es: [25] matrem meam & ſororem meam, vermes.

14 [26] Et ubi jam *eſt* exſpectatio mea? aut ipſam exſpectationem meam quis contemple-tur?

15 [27] Vectibus *g* ſepulcralibus deſcendent; ſiquidem pariter in pulvere *h* deſcenſus *earum futurus eſt*.

[18] de diebus meis & ſtatu illorũ recuperando. *f* *Heb. poſſeſſiones cordis mei.* [19] i. fauſtæ illæ & læræ cogitationes quas animus meus fretus bonitate cõſcientiæ & benedictione Dei proprio quodã iure ſibi vindicabat. [20] id eſt, præſentium malorum cogitationes efficiunt, ut dies, quamvis lucidus: mihi ſit nox; prout ſequentibus explicatur. [21] id eſt, calamitates, ut ſuprà 15.22. [22] reſtitutionem mei, quam proponitis, fruſtra exſpectavero. [23] i. jam me ad jacendum in ſepulcro compono, qui tenebrarum eſt locus. ſuprà 10.21. [24] i. tuus domeſticus ſum, ut filius parentum. [25] i. cognationis veſtræ ſum: hyperbolæ, quibus ſignificat ſe jam omnem iſtius vitæ cogitationem & uſum abdicaſſe. [26] q.d. quid eſt quod in animo meo poſſit exſpectationem iſtam quam proponitis accendere? aut quis ita dejectus & morti proximus, vitæ præſentis redintegrationem contemplari? ſic loquitur ex præſente ſenſu carnis, prout judicium fieri poterat humanitus.

[27] i. mox videbitis iſtas exſpectationes quas prædicatis, unà cum corpore feretro efferri in ſepulcrum; unà intercident cum hac vita mea.

*g* *Heb. ſepulcri.* *h* *Heb. deſcenſus* erit.

## CAPUT XVIII.

*Bildad Ijobum graviſſime increpat, velut omnia ſibi arrogantem, & amicorũ monita judiciaq; Dei damnantem: deinde elegantiſſimis allegoriis improborum ſtatum infelicem percurrit.*

1 CUi reſpõdens Bildad Schuchites, [1] dixit:

2 [2] Quouſque [3] imponetis fines ſermonibus? *quouſque* inſtruetis, ut poſteà loquamur?

3 [4] Quare reputamur ut jumenta? ſordemus in oculis veſtris?

4 [5] O qui diſcerpit animam ſuam ira ſua, an propter te derelinquetur terra, & refigetur rupes è loco ſuo?

5 [6] Imò [7] lux improborum exſtinguitur; neque ſplendet [8] ſcintilla ignis ejus:

6 [9] Lux tenebricoſa fit in tentorio ejus; & lucerna ejus in eo exſtinguitur.

7 [10] Anguntur greſſus roboris ejus; & dejicit eum conſilium ſuum.

8 Nam [11] immittitur in rete pedibus ſuis; & in caſſem indeſinenter ambulat:

9 Prehendit *eum* calcaneo laqueus; conſtringens prævalet ei [12] horridus:

10 Abſconditus eſt in terra funiculus ejus; & decipula ejus in ſemita.

[1] illius reſponſionis ſummæ partes ſunt duę: Exordium patheticum conſtans pura reprehẽſione Ijobi, uſq; ad verſum 5. & Propoſitio, ad finem uſque: cujus ſtatus eſt, utcunq; ſe Ijob pertinaciter velit defendere, tamen abundè ex comparatione juſtitiæ Dei cum judiciis præſentib. & dictis factiſq; Ijobi, amicorũ dicta confirmari, Ijobi verò confutari.

[2] Exordium ex abrupto, velut hominis ſe in medium ſermonem Ijobi inferentis perturbato animo. Eſt autem totum epitimeticum, cujus increpationis loci ſunt duo: ab indigno, verſ. 2. & 5. & ab impoſſibili, verſ. 4. [3] plurale eſt ironicum per conceſſionem, quaſi dicat, quandoquidem tu unus in ſententia tua inſtar omnium noſtrûm haberi vis, eſto ſanè; an continuò dignum eſt ut ſilentium indicas nobis arbitratu tuo? deinde per gradationem; an etiam ut docendi nos auctoritatem tibi uni arroges, & loquendi formulas præſcribas? [4] ſecundus locus ab indigno, per gradationem, q.d. an dignum eſt nos à te toties proſcindi, ac non majoris fieri quàm beſtiæ rationis expertes, & cum rebus ſordidiſſimis & abjectiſſimis cõparari? ſuprà 12.7. & 17.3. & 9. [5] alterum membrum Exordii ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, ab impoſſibili, amplificatum illuſtri comparatione, hoc modo: tu ipſe vides cum animo tuo, te nihil ira tua & indignatione amplius conſequi, quàm ut teipſum excarnifices (quod tamen negaverat Ijob ſuprà 13.14) putares ne te qui ultrò in perniciem tuam ruis, efficere poſſe ut omnia ſurſum deorſum ferantur, aut cælum terræ miſceatur? atqui perinde facis quum ordinem juſtitiæ Dei oppugnas, arrogans juſtitiam tibi, ac proinde abjudicans Deo, ac ſi ordinem ſapientiſſimæ iſtius adminiſtrationis convelleres: nam idem eſt juſtiſſimus adminiſtrator hominum, & ſapientiſſimus omnium creaturarum rector Deus.

[6] Propoſitio theſeos, id eſt, documenti univerſalis de infelice impiorum exitu: cujus accommodatio ad Ijobum aut tacitè fiebat, aut ab Ijobo in capite ſequente interrupta eſt. [7] ſic refellit propoſitionem Ijobi dicentis, utcunque ſibi benè ſit conſcius: tamen exſtingui dies ſuos, ſup. 16.23.

[8] i. vel tantillum proſperitate utitur. In vetere codice manuſcripto mutata litera una legitur, ambitus ignis ejus, quod per gradationem ita accipiendum eſſet, neque lucem ejus duraturam, neque tum quidem quum ingentem focum accenderit præbiturum lucem. eſt autem his duobus verſibus prima allegoria lucis ad figurandam conditionem improborum.

[9] i. aut imaginaria eſt proſperitas, ſi qua eſt, aut ſtatim diſperit.

[10] Secunda allegoria à feris & avibus, quibus ſemper comparatæ ſunt tendiculæ: qua oſtendit quamlibet proſperitatem improbi, ut firmiſſima videatur, eſſe perexiguam & perangustam, adeoque ſuis conſiliis everſam: ita confirmat dictum Eliphazi ſup. 15.20. & ſequent.

[11] Deo diſponente, & illum ſuo ipſius facto deturbante.

[12] nimirum venator ſive auceps, ut ſupr. 5.5.

11 [13] Circumquaque perturbant eum [14] terrores; & [15] disjiciunt eum ad pedes ejus.

12 [16] Fit famelicum robur ejus; & [17] calamitas comparatur ad latus ejus.

13 [18] Comedit [19] vectes cutis ejus, comedit vectes ejus [20] primogenitus mortis.

14 [21] Avulsâ à tentorio ejus fiduciâ ejus, adigit eum *terror* ad [22] regem terrorum.

15 [23] Habitat in tentorio ejus ut non *ſit fiducia* ei; ſpargitur ſuper habitaculum ejus ſulphur.

16 [24] Infernè radices ejus exareſcunt; & ſupernè ſucciditur ramus ejus.

17 [25] Memoria ejus perit è terra; neque nomen *eſt* ei *a* in plateis.

18 *b* Depellitur à luce in tenebras; & à terra habitabili deturbatur.

19 Neque filius ei, neque nepos in populo ejus; neq; ſuperſtes ullus *eſt* in habitationibus ejus.

20 De die ejus ſtupent poſteri; & præſentes apprehendunt horrorem.

21 Profectò iſta ſunt tabernacula iniqui; & iſte locus *viri c* non agnoſcentis *Deum* fortem.

[13] tertia allegoria ab exemplo forenſi reorum, qui graviſſimis criminibus tenentur, uſque ad ver. 16. [14] ut lictores & apparitores regis, cujus meminit verſus 14. Sic enim iſti ſatellites in tota hac allegoria nominantur. [15] i. fugientis & vagabundi veſtigiis inſiſtũt, perſequẽdo reum, donec ſiſtant ipſum regi. [16] i. ſpoliatur omnibus bonis, quæ in indicem relata annotantur fiſco. [17] i. tormentis ſubjicitur, & tundıtur lateribus, ut mancipia & ſontes tundebantur olim. [18] i. graviſſima fame premitur, dum cognoſcitur cauſa ejus: hyperbole. [19] id eſt, artus qui trunco corporis, ut vectes, infixi hærent. [20] id eſt, cruentiſſima mors ac funeſtiſſima. nam Hebræi res ſummas in ſuo genere primogenitas vocant, quaſi dicas, duplas: metaphora ſumta à primogenitorum jure, de quo Deut. 21.17. ſic Jeſch. 15.3.

[21] i. omnibus quibus confidebat: puta liberis, familia, bonis, & ſi quæ ſunt ejuſmodi, deportatis, omnia addicuntur regi. [22] i. principem, qui terrori eſt improbis. Eſt autem hæc periphraſis mortis improbos percellentis, ut præcedente verſu. [23] i. poſtquam cauſâ cognitâ ab illo abjudicata ſunt bona, immittuntur lictores ad incendendas ædes ejus, in facti perpetuam deteſtationem.

[24] quarta allegoria, qua idem fuerat uſus ſuprà 8.16. & ſequent.

[25] Apodoſis ſive accommodatio ſuperiorum allegoriarum ad theſin de ſtatu improbi, ut obliquè perſtringat Ijobum. Sunt autem hæc ſumma illius capita: ignominia, ipſius & poſterorum excidium, omnium admiratio & horror de judiciis in eum, ac poſtremò cædis illius obliteratio.

*a* *Heb. in facie plateæ.* *b* *Hebr. depellunt eum, deturbant eum: impersonaliter ſumtum: ut ſuprà 7.3.* *c* *vel quem non agnoſcit Deus fortis.*

## CAPUT XIX.

*Ijob rejectis ſuperioribus contumeliis amicos explicatione ſuarũ ærumnarum ad miſericordiã hortatur; fidem & innocentiam ſuam palam fieri optat teſtificatione Dei, & beneficio reſurrectionis vitaque æternæ ſe conſolatur: poſtremò illos dehortatur ab inſectatione ſui.*

1 REſpondens verò Ijob, [1] dixit:

2 [2] Quouſque mœrore afficietis animum meum; & atteretis me ſermonibus?

3 Jam [3] *a* decies ignominia affeciſtis me: nõ erubeſcitis *quod* obfirmatis vos contra me.

4 [4] Enimverò *b* eſto, erraverim; mecum [5] pernoctet error meus.

5 An verò contra me *c* ampliùs debetis diſceptare? an diſceptare contra me probro meo?

6 [6] Agnoſcite jam quòd Deus [7] ſubvertit me, & rete ſuum circumegit mihi.

7 En exclamans violentiam, [8] non tamen exaudior: vociferanti non *adeſt* judicium.

8 [9] Viam meam ſepſit ut non poſſim tranſire; & ſemitis meis tenebras appoſuit:

9 *d* Gloria mea me nudavit; & amovit coronam capitis mei.

[1] Hujus reſponſionis Ijobi ſummæ partes ſunt tres: ἀνασκευὴ ſive confutatio ſuperiorum criminationum, conjuncta deprecatione pathetica, uſq; ad verſ. 23. κατασκευὴ ſive cõfirmatio fidei & innocentiæ ſuę, verſib. 6. & Concluſio de amicorum erga ſe officio, verſ. ult. [2] Exordiũ ἀνασκευῆς ex abrupto, ad refellendum illud quo utebatur Bildad, ſuprà 18. Sunt autem illius loci duo: unus, ab injuſto, verſ. 2. alter, ab inhoneſto & maximè importuno, verſ. 5. [3] i. multoties: finitus numerus pro infinito, ut Levit. 26.16.

*a* *Hebr. decem vicibus.* [4] primus locus ἀνασκευῆς hypotheticus, ſive per conceſſionem dictus, ἐκ τοῦ ἀδίκου, ab injuſto. nam ſic argumentatur Ijob: Jam profeſſus ſum integritatem, fidei & conſcientiæ meæ: ſed ut illud taceam, & confitear me errando provocaſſe iram Dei an continuò dignum eſt vobis, ut miſerias accumuletis miſero, & numeroſas, & falſis probris conjunctas?

*b* *Hebr. verè.* [5] id eſt, adhuc hæream in errore meo: metaphora.

*c* *Hebr. amplificabitis* diſceptare? [6] alter locus ἀνασκευῆς ἐκ τοῦ πρέποντος, ab honeſto: honeſtum eſſe ut calamitates afflicti cognoſcantur, & miſericordia de illis capiatur, quas propterea Ijob explicat, uſque ad verſ. 21. deinde amicorum miſericordiam implorat.

[7] i. de priſtino ſtatu dejecit, quaſi volucrem irretitam.

[8] id eſt, non ſublevor ab iſtis calamitatibus.

[9] ut ſuprà 3.22.

*d* *Heb. gloriam meam à me nudavit: hypallage.*

10 [10] Demolitus eſt me circumquaq; [11] ut
abeam; & [12] amovit tamquam arboris exſpe-
ctationem meam:
11 Et accedens contra me iram ſuam; repu-
tavit me ſibi ſicut hoſtes ſuos:
12 Simul advenientes [13] turmæ ejus, agge-
râtunt contra me viam ſuam; & caſtra fecerũt
circa tentorium meum.
13 [14] Fratres meos procul à me abegit; & fa-
miliares mei [15] tantùm abalienant ſe à me:
14 Deſinunt propinqui mei, & noti mei
obliviſcuntur mei:
15 Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ *e*
extraneum reputant me; alienigena ſum in o-
culis eorum.
16 Servum meum inclamo, ſed non reſpõ-
det; dum ore meo deprecor eum:
17 Spiritus meus [16] alienus eſt uxori meæ;
utcunque ſupplicem per [17] filios ventris mei:
18 Etiam parvuli ſpernunt me; quum ſur-
go obloquuntur mihi:
19 Abominantur me omnes homines *f* in-
timi mihi; & quos diligo averſantur me.
20 Cuti meæ [18] ut carni meæ adhærent oſ-
ſa mea; denique ereptus ſum [19] cum cute den-
tium meorum.
21 [20] Miſeremini mei, miſeremini mei, vos
amici mei; quia manus Dei plagis afficit me.
22 [21] Quare perſequimini me, ſicut *Deus*,
fortis? & [22] carne mea non ſaturamini?
23 [23] O *ſi* quis jam daret [24] ut ſcriberentur
ſermones mei: ô *ſi* quis daret ut in libro exſcul-
perentur:
24 [25] Stylo ferreo atque [26] plumbo, in per-
petuum in rupe inciderentur.
25 [27] EQUIDEM ego [28] novi [29] redemtorem
meum [30] vivere; & [31] poſteriorem ſuper pulve-
rem reſurrecturum:
26 Et poſtquam *vermes* confoderint [32] i-
ſtud, evigilante me; tum carne mea me viſu-
rum eſſe Deum.
27 [33] *Idem* qui ſum, ac non alienus viſurus
ſum mihi, & oculi mei aſpecturi: *tamen* conſu-
muntur [34] renes mei in ſinu meo.
28 [35] Quia dicitis; quid perſequimur eum?
[36] cùm radix rei inſit mihi.
29 [37] Metuite vobis *g* à gladio: nam æſtum
iræ *excitant* [38] iniquitates *h* cruentæ, [39] ut co-
gnoſcatis quod ex jure *eſt*.

[10] i. ablaqueavit & deruit, tamquam terrá arboris radicitùs exſtirpandæ. [11] id eſt, peream, ex uſu Arabum. [12] id eſt, evulsũ exarefecit me, ſine ſpe reſtitutionis. [13] id eſt, multiplices copiæ afflictionum ipſi miniſtrantium contra me: elegans allegoria à forma caſtrenſi. [14] id eſt, auxiliaribus deſtituit me: quod alterũ eſt damnum in re militari. [15] i. non niſi alieni ſunt à me; illorum nemo accedit me. [e] Hebr. in extraneum. [16] id eſt, avertit faciem ſuam à me, ac ſi gravè olentem halitũ à me non poſſet ferre. [17] i. per ſanctum-jus conjugii & fructus ejus. [f] Hebr. ſecreti mei. [18] id eſt, ut naturaliter ſolent adhærere carni. [19] id eſt, labiis. q.d. nihil remãſit integrũ præter ſermonis inſtrumenta. [20] tertius locus ἀνακεφαλαιώσεως, nimirum πάθος: quo miſericordiam implorat à commemoratione ſuarum calamitatum, duobus verſibus. [21] q.d. ſatis eſto vobis me tãtopere à Deo premi. [22] q. d. ſatis eſto vobis carnem meam eſſe conſumtam; neque velut immanes feræ etiam oſſa quæ ſuperſunt comminuite.

[23] Κατασκευὴ ſive confirmatio, in qua fidem ſermonum ſuorum apud amicos pathetico voto ſive oratione confirmat, his duobus verſibus. deinde fiduciam in Deum de ſalute æterna & carnis reſurrectione profitens ſe bona fide & conſcientia præditum eſſe coram Deo & hominibus oſtendit, verſibus 3 & injuriam amicorum teſtatur inſtituta fidei ſuæ & integritatis cum injuria illa comparatione, verſ. 28. [24] ut palàm & in æternum teſtata fieret fides mea & æquitas cauſæ meæ. [25] id eſt, cælo ad literas exarandas.
[26] in ſulcos literarum intuſo.
[27] propoſitio rei, quam inſcribi optavit Ijob, ut perpetuum exſtaret documentum & ſuæ piæ fidei, & acceptæ injuriæ, quaſi dicat, ſciant ergo poſteri, ſi neſcite vultis: nam fruſtra laboro ut probem vobis juſtitiam meam. hæc verò demum eſt gloria mea, nimirum teſtificatio conſcientiæ meæ; quia ita acquieſco in promiſſionibus Dei de reſurrectione & vita æterna mihi ipſi obventura, ut hoc me adverſus omnium tentationum procellas, ac nominatim contumelias veſtras conſoletur. [28] fidei notitia.
[29] ſive vindicem, qui tum perſonam meam ab interitu tandem vindicaturus eſt in æternum adventu ſuo, tum cauſam meam nunc à procellis totius mundi & contumeliis veſtris. Eſt autem is Deus Pater in Filio per Spiritum.
[30] ac proinde utcunque cauſam meam homines oblivione ſepeliant, tamen illam integram apud Deum vivum aſſervari.
[31] id eſt, hominem redivivum die reſurrectionis in adventu Chriſti: nam poſterior homo, qualis in reſurrectione futurus eſt, cum hoc priore comparatur, ut 1. Cor. 15. 45. Etſi haud ſcio an totum hunc verſ. de perſona Chriſti Redemtoris oporteat accipi in hanc ſententiam: novi & amplector certa fide Redemtorem meum Chriſtum: qui quidem jam reipſa & ab æterno vivit, qua Deus eſt: qua homo verò, vel ſecundùm humanitatem Redemtor meus poſterior tempore futurus eſt, ſed prior tamen reſurrecturus & futurus primitiæ dormientium, 1. Cor. 15. 20. nam vivificabitur unuſquiſque ſuo ordine: primitiæ, Chriſtus; poſtea qui ſunt Chriſti in adventu ipſius. Ergo poſterior quidem futurus eſt tempore (inquit Ijob) ſed reſurrecturus prior, hoc verſu: poſtea verò evigilabo, ut cæteri qui ſunt Chriſti, in adventu per vocem ipſius, ſequente verſu.
[32] iſtas reliquias mei prioris hominis, recubituri in pulvere. Eſt autem ὕστερον πρότερον in his verbis.
[33] id eſt, ego ipſe hac mea ipſius carne, hiſce oculis, 1. Corinth. 15. 53. & ſequentibus.
[34] i. conſumor totus, ab una parte ad alteram: ſynecdoche. [35] i. negatis quod modò vobis exprobravi, verſ. 22. ſic autem accipitur perſequendi vel inſectandi verbum, Gal. 4. 29. quamobrem etiam perſequutiones iſtius generis iniquitates cruentæ appellantur, ſequente verſ.

[36] i. cum pia fide in Deum radicatus ſim, qua pertexi adhuc in mea integritate, & nũc verba veritatis coram Deo profero, ut fidei radicatæ in ipſo fructus, non autem folia aut fallaces verborum flores, quales effunditis. [37] Concluſio ὑποτρεπτική.
[g] Hebr. à facie gladii. [38] vide in verſ. 28. [h] Hebr. gladii.
[39] i. ut ſaltem metu & horrore judiciorum ejus ad officium cognoſcendum perfungendúmque erga afflictum revocemini.

## CAPUT XX.

*Tzophar occaſione ex verbis Ijobi ſumta eamdem propoſitionem de miſero improborum exitio repetit: & à juſtitia Dei, exemplis ordinariis, atque auctoritate verbi divini confirmat.*

1 CUi reſpondens Tzophar Nahamathi-
tes, [1] dixit:
2 [2] Propterea cogitationes me reducunt *ut*
*loquar:* propter *illud* inquam [3] feſtinatio mea *eſt*
in me.
3 Caſtigationem *a* ignominioſam mihi au-
dio: ſed ſpiritus ex intelligentia mea jubet me
[4] reſpondere.
4 [5] An hoc noſti? ab æterno, *b* ex quo poſuit
*Deus* hominem ſuper terram,
5 [6] Cantum improborum [7] à propinquo,
& lætitiam hypocritæ uſque ad momentum
*eſſe*?
6 [8] Si aſcenderit in cælos excellentia ejus;
& caput ejus nubem ipſam attigerit:
7 Sicut ſtercus ipſius, in perpetuum peri-
bit: qui viderant eum, dicent, ubi eſt?
8 [9] Tamquam ſomnium avolat quod non
inveniunt; & fugatur ut viſum nocturnum.
9 Oculus qui contuebatur eum non per-
get; neque ampliùs contemplabitur eum *in*
loco ipſius.
10 [10] Filii ejus [11] ſtudent gratificari tenui-
bus; etiam manus ipſius coguntur reſtituere
[12] ſubſtantiam ſuam.
11 [13] Oſſa ejus implentur [14] *peccato* adole-
ſcentiæ ejus; donec cum eo in pulvere jaceat.
12 [15] Quum dulce fuerit in ore ipſius ma-
lum, [16] celaverit illud ſub lingua ſua;
13 Parcens ei [17] non dereliquerit illud: ſed
continuerit illud *c* intra palatum ſuum:
14 [18] Cibus ejus in viſcera ejus converſus,
[19] fel aſpidum *d* in ipſo *fiet*.
15 Opes abſorpſit; & evomit illas: è ventre
ejus depellit eas *Deus* fortis.
16 [20] Venenum aſpidum ſuxerit; occiderit
eum lingua viperæ.

[1] Hujus reſponſionis ſummæ partes ſunt tres: Exordium, verſ. 2. & 3. κατασκευὴ ſive cõfirmatio ſuperioris propoſitionis, Improbis malè eſſe à verſ. 4. ad 27. & Cõcluſio. [2] quod dicis nobis metuendum eſſe à Deo & explorãdum quid ſit ex jure, ſuprà 19. 29. Eſt autem hîc exordium conſtãs duabus partibus: quarũ una audientiam facit & neceſſitatem proponẽdę iſtius doctrinæ oſtẽdit ἐκ τοῦ δικαίου, ab juſto, quod objecerat Ijob; altera ab honeſto per cõceſſionem, verſu 3. qua oſtendit Tzophar, ſe hoc ſponte carni & infirmitati Ijobi cedere, ut ipſos afficiat probris: ſe illis nihil moveri, ac proinde nolle refellendis illis operam dare: ſed tantùm in rebus in mediũ afferendis, quarum teſtimoniũ perhibeat Spiritus Dei ſpiritui ſuo. [3] i. ſtudium eloquendi ſtimulat, urget, & accelerat me. [a] Hebr. ignominiã mea. [4] ad quæſtionẽ videlicet, omiſſis probris quæ in nos conjicis. [5] Confirmationis ἔκθεσις ſive propoſitio, Malis malè eſſe: quam eo graviùs enunciat, quod nominatim appellat conſcientiam Ijobi, & exempla omnium temporum adducit. [b] Hebr. à ponere hominem.
[6] i. proſperitatem: metonymia. [7] i. modò tantùm & recens cœpiſſe, ac mox deſinere. [8] ἐργασία ſuperioris propoſitionis, uſque ad finem capitis. Eſt autem hic primus ejus locus per conceſſionem hyperbolycam. [9] alterum ſimile ad amplificationem ſuperioris loci, de vanitate & interitu improbi, per comparationem ſomnii, cujus rem non inveniant ſomniantes, quum evigilant: ſic Jeſch. 29. 7. & 8. [10] ſecundus locus de calamitate improbi, non ipſum tantùm, ſed poſteros etiam pervadente.
[11] i. tenuiores ſunt ipſis tenuibus. [12] quam tenuibus ademerat.
[13] amplificatio prioris loci de perſona malefici, per comparationem proſperi ſtatus quo abuſus eſt, cum flagellis & judiciis Dei ſubſequentibus.
[14] i. ſupplicium anteactæ vitæ inde ab adoleſcentia hominem totum proſternit, velut tabes aut putredo exedens oſſa ejus.
[15] allegoria de ſtatu improborum, quinque verſibus: qua improborum mala cum cibis comparantur, quæ ipſis venenata & exitialia dicuntur eſſe.
[16] nimirum illud veluti cibum mandens.
[17] i. non exſpuerit, ut ſequens membrum oſtendit: his autem verbis figurat hypocritam, & obliquè Ijobum perſtringit, docens Deum pœnas ab illo repoſcere non quidem palam malè actæ vitæ; ſed malæ mentis & mali animi, cujus venenum ipſe cogatur ebibere.
[c] Hebr. in medio palati. [18] i. malum quod comparabat animo, ut cibus comparatur ore. [19] i. fit venenum lethale ei.
[d] Hebr. in medio ejus. [20] i. perinde cedet ipſi maleficium ſuum, ac ſi venenum hauſiſſet potentiſſimum, aut à vipera fuiſſet morſus.

[21] elegans apoſtrophe quaſi exſultantis adverſus improbum, & ingentè illius exſpectationem ludificantis, cum illuſtribus hyperbolis.
[22] id eſt, affluentiam rerum ſecundarum ſuavium & molliter ſibi ex animi ſententia ſuccedentium.
[23] amplificatio per hypotheſin: etiamſi poſteà laboret ſedulò, & ſuo labore lacunam damni à Deo illati expleturus ſibi videatur & opes amiſſas compenſaturus, fructum nó percipiet tamé, ne raptim quidem, ac nó gaudebit eo.
e Heb. opes compenſationis ſua: hypallage.
[24] i. fruetur: ſicut exponitur ſequente verſu.
[25] ætiologia ſuperioris doctrinæ de vana felicitate improborum, primùm ab infirmitate ipſorum, verſib. tribus: deinde à judicio Dei perſequentis; ſive immediatè (ut loquuntur) à verſu 25. uſque ad 26. ſive mediatè & rerum creatarum opera, verſ. 27. & 28.

17 [21] Ne ſpectet rivos; flumina, torrentes
[22] mellis & butyri.
18 [23] Repetens laborem, non abſorbebit
tamen: vel e compenſationem opum ſuarum,
non [24] exſultabit tamen:
19 Quia quaſſavit, dereliquit tenues; do-
mos diripuit, non exſtruxit eas.
20 [25] Nam nihil experitur tranquilli in [26]
ventre ſuo: cum re deſiderabili ſua non prori-
pit *ſe*.
21 [27] Non *eſt* reſiduum cibo ejus: propterea
non manet proſperitas ejus:
22 Quum plena eſt ſufficientia ejus, [28] an-
guſtia eſt ei: omnis manus moleſti invadit eũ.
23 *Quum* eſt impleturus ventrem ſuum,
immittit in eum *Deus* æſtuantem iram ſuam:
*quam* depulit in eum loco cibi ejus.
24 Fugientem ab armis ferreis, tranſverbe-
rat eum arcus chalybeus.
25 Stringentis *gladius* [29] exit è corpore, &
[30] coruſcus è felle ejus: [31] abeuntem invadunt
terrores.
26 Omnes tenebræ reconditæ ſunt in [32] re-
poſitis ei, conſumit eum ignis [33] non accen-
ſum flatu: côteritur ſuperſtes in tentorio ejus.
27 [34] Retegunt cæli iniquitatem ejus, & ter-
ra inſurgens in eum.
28 [35] Demigrat proventus domus ejus, [36]
defluunt *omnia* in die iræ illius.
29 [37] Hæc *eſt* portio hominis improbi à
Deo; & poſſeſſio [38] *f* ſermonis ejus à Deo for-
ti.

[26] i. in ſe: ſynecdoche, qua utitur propter ſuperiorem allegoriam cibi. [27] id eſt, totum alimentum ei adimitur, ut Pſalmo 59. [28] partim à terroribus conſcientiæ, partim ab hominibus quos moleſtia affecerit, ſentit anguſtias tum maximè, quùm ſe fruiturum putat copiæ cornu & abundantia ſummâ: ſic deinceps ſequentia. [29] i. tranſadigit corpus & viſcera effundit.
[30] gladius: nomen eſt ex epitheto: vide Jechezk. 21. 15. [31] i. dum iſta effugit, ruit in alia: ſic Hamoſi 5. 19. [32] i. aſſervatis ei à Deo. [33] id eſt, ſponte ardentem, ut ſtipulæ aut ſtupæ: ut Jeſch. 1. 31. & 5. 24. ita comparatus eſt ad incendium, ut cremium aut arefactum lignum: ſic etiam Jechezk. 21. 3. [34] i. exſerunt & notam omnibus faciunt, exſequentes judicium Dei. [35] in jus poſſeſſionémque alterius. [36] i. Stillant & diffluunt velut aquæ. [37] Concluſio, qua Tzophar conatur Ijobum adducere in ſententiam ſuam ab operibus Dei & ab auctoritate verbi ejus. [38] i. quam ipſe ſibi comparat ſermonibus iſtis & maledicentia ſua. f *Heb. in dicere ipſi à Deo forti.*

## Caput XXI.

*Ijob aculeis Tzopharis ſtimulatus gravius amicos increpat, propoſitionem ipſorum de infelicitate improborum confutat ratione, exemplis, & auctoritate Dei: quæ deinde nominatim ſibi accommodat, & amicorum conſolationes reſponſaq; arguit.*

[1] Iſtius orationis, quæ tota eſt ἀνασκευαστική, partes ſunt tres; Exordiũ faciendæ audientiæ cauſa, à verſu 2. ad 7. Propoſitio ἀνασκευῆς à ver. 7. ad 34. & Côcluſio, verſ. 34.
[2] i. ne me interpellate aut abrumpite ſermonem meum, ut antè aliquoties feciſtis. Eſt autem primus locus Exordii ab officio eorum, q. d. quandoquidem non poteſtis me alia ratione conſolari, ſaltem ſilentio me juvate; & ſi patienter me audietis, ponam hoc in conſolationis loco.

1 Reſpondens verò Ijob, [1] dixit:
2 [2] Audire *a* indeſinenter ſermonem
meum; & ſit iſtud *loco* conſolationum veſtra-
rum.
3 Ferte me dũ ego eloquutus fuero; poſt-
modùm verò *b* [4] eloquium meũ ſubſanniate.
4 [5] An ego apud hominem querimoniam
meam *inſtituo*? & [6] ſi eſt cur *conquerar*, non *c*
anguſtaretur ſpiritus meus?
5 [7] Reſpicite ad me, & ſtupore corripiami-
ni; & apponite manum ad os.
6 [8] Certè ſi recordarer, confeſtim contur-
barer; & apprehenderetur caro meá horrore.
7 [9] Cur improbi [10] vivunt? veteraſcunt? et-
iam valent viribus?
8 Semen eorum firmum eſt ante eos cum
eis; & prognati eorum in oculis eorum.
9 Domibus eorum pax à pavore *eſt*: neq;
[11] virga Deus inſtat eis.
10 Bos ejus init, nec ejicit ſemen; *d* enititur
vacca ejus, neque abortit.
11 Emittunt ut gregem parvulos ſuos; &
nati eorum ſaltitant:
12 Vociferantur ad tympanum & citha-
ram; & lætantur ad ſonum organi.
13 Inveterant in bono dies ſuos; deinde
momento *in* ſepulcrum deſcendunt.
14 [12] Dicũt itaq; *Deo* forti, recede à nobis;
nam notitia viarum tuarum non delectamur:
15 Quid eſt omnipotens, ut colamus eum?
aut quid proficiemus, quum intercedemus a-
pud eum?
16 [13] En non *eſt* in manu eorum bonũ eo-
rum: conſilium improborũ procul abeſt à me.
17 [14] Quoties [15] lucerna improborum ex-
ſtinguitur, & ſupervenit eis interitus ipſorum?
dolores impertitur *Deus* ira ſua?
18 *Quoties* ſunt ut palea coram vento, & ut
gluma quam ſurripit turbo?
19 *Quoties* Deus reponit filiis illius iniqui-
tatem illius? rependit illi, & [16] cognoſcit?
20 *Quoties* vident oculi illius perniciem
ſuam, & de æſtuante irá omnipotentis [17] bibit?
21 Nam [18] quod *eſt* ſtudium illius de familia
ſua poſt ſe, [19] quum *e* brevi menſes illius trun-
cabuntur?
22 [20] An Deum fortem *quiſquam* docebit
ſcientiam; qua ipſe [21] excelſos judicet?
23 [22] Hic moritur in [23] robore perfectionis
ſuæ: totus tranquilliſſimus & quietus,
24 [24] Cujus mulctralia plena fuerunt la-
cte; & medulla oſſium ejus irrigua:
25 Ille verò moritur animo amaro; qui non
fruitus eſt bono:
26 Pariter in pulvere jacent; & vermis ob-
tegit eos.
27 [25] En novi cogitationes veſtras; & com-
menta *quæ* de me *f* iniquè comminiſcimini.

[8] id eſt, ſi vel tãtũ meminiſſem tantæ calamitatis, quàm alius ferret aut ego ipſe aptè expertus eſſem; conſternaret me ſola recordatio & commiſeratio illius: quanto magis vos præſentes; ſi animũ advertetis, neceſſariũ eſt obſtupeſcere ad calamitatẽ meam? amplificatio ſuperioris exhortationis hypothetica, à perſona ſua.
[9] ἀνασκευὴ ſive cõfutatio illius argumentationis; Improbos eſſe quibus malè cedit: cujus partes ſunt duę; una κατὰ θέσιν, ſive generatim enunciata de ſtatu improborũ; uſque ad viceſimum ſeptimum verſum, altera, καθ' ὑπόθεσιν, per ſingularem accõmodationẽ ad Ijobum. Refellit autem ἀξίωμα illud primum per argumẽtationem contrariam; dicitis improbitatem eſſe in cauſa cur improbi malè pereant: quid ergo cauſę eſt, cur improbi & impii proſperentur? hæc uſq; ad 16. verſum; deinde ab exemplo oſtẽdit non eſſe illud perpetuum, imò potius infrequentius eſſe ut improbi vexentur malis ad convellẽdũ ἀξίωμα amicorũ, & argumẽtationem ſuam cõfirmandam.
[10] i. bona conſtitutione corporis gaudent, proſperitate liberorum, ver. 8. tranquillitate familiæ, verſ. 9. fœtura animalium, verſ. 10 copia & laſcivia, verſ. 11. & 12. & tandem non languida morte utuntur, verſu 13. [11] i. caſtigatione ulla.

*a* *Hebr. audiendò.* [3] amplificatio ſuperioris loci, quaſi dicat, ſaltem ad tempus ferte, &c.
*b* *Hebr. eloqui meum.* [4] apoſtrophe ad Tzopharem, qui verba Ijobi abrumpens ironicè ea deluſerat, ſuprà 20. 2.
[5] ſecundus locus exordii à conſilio ſuo: non eſt mihi, inquit, res vobiſcum, aut cum ullo homine; ad Deum fertur oratio mea, qui expoſtulandi facultatem non intercludit mihi.
[6] tertius locus ἐκ τοῦ πρέποντος, ab honeſto: inhoneſtum atq; inhumanum eſt vos mihi intercipere facultatem conquerendi in anguſtia ſpiritus mei. hinc oritur exhortatio ad officium humanitatis, ſequente verſu.
*c* *Hebr abbreviaretur: ſic Exod. 6. 8.*
[7] id eſt, iſtæ calamitates meæ quæ vobis ob oculos verſantur, vos ſaltem ad ſtuporem & ſilentium adducant.

*d* *Hebr. liberat.* [12] Amplificatio argumenti ſuperioris, à gravitate illorum impietatis in Deum, quæ blaſphemis ſermonibus illorum μιμητικῶς exprimitur, duobus verſibus. [13] Occupatio, qua utitur Ijob, ne exiſtimarent amici eum hac ſpecie ad impietatem allectum eſſe, aut in præſentia allici. Hæc eò, inquit, non dico, quòd aut exiſtimem illos penes ſe habere auctoritatem in res ſuas arbitratu ſuo, aut quòd animus meus in ſtudium ejuſmodi rapiatur: nam mens mea & animus meus ab iſtis cogitationibus & conſiliis abſunt quàm longiſſimè: ſed ut oſtendam vanitatem propoſitionis veſtræ.
[14] Confirmatio ab exemplo, ut ſupra dictum eſt in verſ. 7. Quoties, inquit, quaſi dicat, non ita frequenter eveniunt iſta ut exſtinguatur, &c.
[15] vide ſuprà 18. 5. & 6. [16] i. quæſtionem habet, hyſteroſis.
[17] i. inebriatur & conturbatur effuſis calamitatibus: frequens metaphora.
[18] id eſt, ut Deus ipſum viventem non excitat malis; ſic non excitat ipſum animus ejus aut conſcientia, ut ſit ſollicitus de rebus poſt mortem eventuris familiæ ſuæ. [19] deſcriptio impendentis mortis.
*e* *Hebr. numero.* [20] Concluſio prioris membri ἀνασκευῆς conſtans duobus capitibus; explicatione brevi juris ſive officii noſtri, & facti ſive eventus cum jure comparati. hîc verò primùm agitur de officio hominum in ſuſpiciendis ac non definiendis Dei judiciis; quia ita ſtatuit Ijob: cùm hæc, inquit, ita ſe habeãt, & improbi frequentiùs in hac vita ſecundis rebus, quàm adverſis utantur: ne putetis, aut veſtrum, aut meum, aut cujuſquam mortalis eſſe, ut Deo præfigat præſentium judiciorum legem: perinde ac ſi quid, qua ratione, aut quando in improbos agendum ſit ignoraret. [21] i. elatos animo, & ſecundis rebus.
[22] alterum membrum concluſionis, de facto quod communi omnium ætatum experientia commonſtratur, q. d. inſipientis eſt de hominibus à præſente eventu judicare, ſapientis verò Deo committere; cùm tota hæc adminiſtratio & eventus ſit adeò hominibus incertus. [23] id eſt, in perfectiſſima felicitate, quanta apud homines eſſe poteſt. [24] i. qui omnibus bonis quæ fortunæ & corporis vocant, abundat: ſynecdoche.
[25] altera pars ἀνασκευῆς, attingens ſingulariter perſonam Ijobi: cujus membra ſunt duo: ἔκθεσις ſive propoſitio, his duobus verſibus: & confutatio verſibus ſequentibus.
*f* *Hebr. violenter facitis.*

28 Vos dicere, [26] ubi *eſt* domus [27] ingenui? &ubi [28] tentorium habitationum [29] improborum?

29 [30] An non interrogaſti tranſeuntes viâ? & [31] ſigna eorum non agnoſcetis?

30 [32] Nam in die calamitatis ſubtrahitur malus; in die indignationũ exportantur *mali.*

31 Quis indicat ei in faciem viam ejus? quum ipſe *male* fecit, quis rependit ei?

32 [33] Tandem ipſe in ſepulcra effertur; & apud tumulum aſſiduus eſt.

33 [34] Dulceſcunt ei glebæ vallis; & poſt ſe omnes homines [35] trahit, ut ante eum *fuerunt* innumeri:

34 [36] Quo modo ergo conſolaremini me vanitate; cùm reſponſionibus veſtris reliqua ſit prævaricatio?

[26] Ironia, qua utitur Ijob, ut cò meliùs amicorũ animos effingat. [27] id eſt, nobilis, principem antè agentis, nimirũ Ijobi. [28] id eſt, magnificum, ex multis habitationibus conſtans, ut ſunt prætoria & principũ ædes. [29] ſic filios & familiam Ijobi perſtringit. [30] Confutatio ἐκ τοῦ ἀτόπου: abſurdum eſt, inquit, vos neſcire quod omnibus è plebe notum eſt, non conſulere vos quemquam, neque agnoſcere. [31] id eſt, exempla, quæ quum eis eveniunt; aliis ſunt documento: hæc autem explicantur verſibus ſeqq. [32] Confutationis locus ab exemplis, ἀνταπόδοτος. nam ſic reſpondet Ijob objectioni amicorum: quod dicitis; Malos malè perire, ac proinde me in perditionem iſtam deveniſſe propter improbitatem meam, falſiſſimum eſt; cum plerumque improbi à pervadentibus calamitatibus immunes ſint, nullius judicium ſubeant, aut ab ullo in ordinem cogantur. Inde enim ex contrario ſequitur (quod Ijob reticet) in viros bonos iſtas calamitates incidere. [33] Occupatio objectionis iſtius, Atqui in ſepulcrum effertur improbus: cui reſpondet Ijob tribus argumentis; primùm ſatis eſſe ad inſtitutum ut commodè vitam tranſegerit & calamitates prævenerit morte; deinde ſepulcrum ipſum conſolationi eſſe, quòd vacuum ſit ab iſtis calamitatibus & mutationibus, ut ſuprà 3.16. & ſequentib. & 10.22. poſtremo quòd morte nihil accidit ei, quin cum omnibus hominibus omnium ætatum commune ſit.
[34] hyperbolæ, per proſopopœiam ſenſum & humanas actiones mortuis tribuentes. [35] id eſt, ſequentes habet, quaſi ipſos traheret naturæ lege: metaphora. [36] Concluſio, qua aſſerit Ijob ex ſuperioribus, inanes eſſe tum conſolationes tum diſceptationes eorum: conſolationes quidem, quia vanæ erant, & nihil ad ſe accommodatæ; diſceptationes verò, quia etiam in Deum & in Ijobum altercando peccabant.

## Caput XXII.

*Eliphaz Ijobum à contentione adverſus Deum revocans juſtitiam Dei aſſerit, injuſtitiæ & impietatis Ijobum arguit, exemplo diluvii deterret, & ad ſeriam reſipiſcentiam ac tempeſtivam revocat, adjunctis Dei promiſſionibus.*

1 Cui reſpondens Eliphaz Themanites, [1] dixit:

2 [2] An *Deo* forti prodeſſe poteſt vir? quum prodeſt, ex eo proſperatur *Deus*?

3 [3] An oblectationi *eſt* omnipotenti, quòd juſtificas te? aut an lucro, quòd integras aſſeris vias tuas?

4 [4] An de religione tua argueret te? veniret tecum in judicium?

5 Nónne [5] malitia tua multa *eſt*? neque *eſt* finis iniquitatibus tuis?

6 [6] Nam pignus acceperis à fratribus tuis immeritò; & *a* [7] nudos nudaveris veſtib. ſuis:

7 Non aquam bibendam laſſo dederis; & à famelico prohibueris panem:

8 Prætereà viri *b* lacertoſi [8] fuerit terra hæc; & acceptus perſona habitaverit in ea:

9 Viduas dimiſeris vacuas; & lacertus *uterque* pupillis contritus fuerit.

10 [9] Ideoque circumſtant te laquei; & perturbat te pavor repentinus:

[1] Hujus orationis ſummæ partes ſunt duæ: prior ἐπιτιμητικὴ ſive continẽs reprehẽſionem vitæ dictorúmque Ijobi, uſque ad 20. verſ. poſterior παρακλητικὴ ſive hortatoria ad reſipiſcentiam, adjunctis amplis promiſſionibus, uſque ad finem. [2] reprehenſionis ſive confutationis locus primus, ἐκ τοῦ ἀδυνάτου: quo oſtẽdit Eliphaz nõ eſſe cur Ijob tantopere apud Deum & coram ipſis de ſua integritate glorietur: nã (inquit) ut homo ſit optimus, non poteſt Deum ſibi ullo beneficio obſtringere; ac proinde non potes tibi ipſi coram illo confidere, quaſi de ipſo bene ſis meritus. [3] ſecundus locus, ab inutili: non conducere, aut ad gratiam promerendam, aut ad ullam aliam utilitatem, ſi quis ſe velit juſtificare coram Deo; Luc.17.10. [4] tertius locus à natura Dei juſtiſſima, abs qua virum religioſum & ſanctum non caſtigatum iri docet hoc verſu: ſed contra ſeveriſſimam hanc caſtigationem arguit monimentum eſſe ſummæ & infinitæ malitiæ Ijobi, verſu ſeq. [5] nempe cùm te ſic caſtiget Deus.
[6] ſecunda pars reprehenſionis, amplificatio proximè præcedentis loci de malitia Ijobi, cujus partes ſunt duæ, injuria in homines, uſque ad verſ.12. & impietas in Deum, uſque ad 15. verſ. Harum autem criminationum quia ſtatus conjecturalis eſt, & magis in præſumtionibus quàm certis probationibus poſitus: futuro utitur, pignus acceperis, nudaveris, &c. q.d. neceſſe eſt ut fatearis te aut hoc, aut illud, aut omnia commiſiſſe, ſi bene attenderis ad juſtitiam judiciorum Dei. [a] *Heb. veſtes nudorum nudaveris: hypallage.*
[7] id eſt, qui jam nudi ſunt propter injuriam tuam.
[b] *Hebr. brachii.* [8] puta injuſta diſſimulatione aut judicio tuo.
[9] accommodatio ad juſtitiam Dei, quaſi ultiones ſumentem de inhumanitate Ijobi, quatuor metaphoris.

11 Aut tenebræ, ne videas; & agmen aquarum obtegit te.

12 [10] An non Deus [11] *eſt, inquis, in* altitudine cœli? & aſpice ſummitatem ſiderum, ut excelſa ſunt.

13 Ideo dicis, quid noſceret Deus fortis? an per caliginem [12] judicaret?

14 Denſæ nubes latibulum *ſunt* ei, ut non aſpiciat; & ambitum cælorum obambulat.

15 [13] An [14] ſemitam *c* priſcam obſervâſti, quam triverunt homines *d* vani?

16 [15] Qui corrugati ſunt quum nondum *eſſet* tempus; [16] fluvio effuſo *in* fundamentum eorum?

17 [17] Qui dicebant *Deo* forti, recede à nobis? & [18] quid facturus fuiſſet omnipotens illis?

18 [19] Horum quidem domos ipſe impleverat bono: [20] at conſilium improborum procul *abeſt* à me.

19 Videntes juſti [21] lætantur; & innocens [22] ſubſannat eos.

20 [23] Quum nondum exſcinditur [24] ſubſtantia noſtra; & [25] reſiduum illorum abſumit ignis:

21 [26] Aſſueſce, quæſo, cum illo, & pacem habe: in his obveniet tibi bonum.

22 Recipe, quæſo, ex ore ejus legem; repone dicta ejus in animo tuo.

23 Si [27] revertêris uſque ad omnipotentem, [28] *e* inſtauraberis; procul amovebis iniquitatem à tentoriis tuis:

24 [29] Idque ponendo pro pulvere lectiſſimum aurum; & pro rupe *f* [30] Ophirinum *aurum* [31] fluviatile.

25 [32] Eritque omnipotens lectiſſimum aurum tuum; & argentum viréſque tibi.

26 Nam tum in omnipotente te ipſum oblectabis; quum attolles ad Deũ faciem tuam.

27 Supplex orabis eum; & exaudiet te; & [33] vota tua perſolves.

28 Quum primùm decernes ſermonem, *g* præſtabit tibi; & in viis tuis reſplendebit lux.

29 Quum [34] depreſſerint *quemquam*, & cogitabis exaltationem *ejus*; tum demiſſum oculis ſervabit *Deus:*

30 Liberabit *h* noxium; eritque liberatus puritate manuum tuarum.

[10] ſecundum caput cõfirmationis de Ijobi impietate in Deũ, quam Eliphaz partim ex cauſa quæ agebatur: partim ex ſuperioribus Ijobi verbis aſtruere conatur per mimeſin illius, his tribus verſibus, eſt autem hic eclipſis qualem ante obſervavimus 1. Reg. 20. 34. & 2. Reg.9. 27. [11] q. d. ideóque longiſſ. à nobis abeſt. [12] i. judicis partes ageret. [13] tertius reprehẽſionis locus, ab exemplo eorũ qui diluvio olim perierunt, uſq; ad verſ.20. [14] i. rationem vitæ quã ſequuti ſunt, & exitũ eorum, de quo verſ. ſeq. [c] *Hebr. ſeculi.* [d] *Heb. vanitatis.* [15] id eſt, intempeſta morte abrepti ſunt, & diluvio merſi, corrugantur enim hominum merſorum & diu in aquis fluctuantium corpora: ſynecdoche. [16] aquis diluvii terram inũdantibus. [17] ſua impietate & protervia, ut ſupr.21.14. [18] aliud pro juſtitia ſua: ſic Ijobũ obliquè mordet & fodicat. [19] q. d. ad tempus quidem abundaverunt Dei beneficiis, abuſi ſunt turpiter, & tãquam de ſpoliis Dei ipſius triũphaverunt. [20] epiphonema, quo reſumtis Ijobi verbis ſuprà 21.16. partim velut præripit illi averſationẽ hanc, tamquam indignè ea abutenti: partim ſibi vendicat & piis omnibus, ſequente verſu. [21] approbantes & gratulantes judicio Dei. [22] vitam malè geſtam improbans.
[23] ſecunda pars, hortatio ad reſipiſcentiam, cujus propoſitiones ſunt duæ: una de officio Ijobi, tribus verſibus: altera de promiſſionibus, quæ omni reſipiſcenti miſericordiâ Dei comparatæ ſunt. [24] id eſt, humana natura, vel genus: ſic monet Ijobum à circumſtantia temporis: quaſi dicat, dum adhuc ſtas vivus, & dum adhuc potes utilem exſpectationem venturi illius judicii præcipere animo tuo: nam hæc vera eſt piorum ac fidelium nota in Vetere & Novo Teſtamento paſſim, exſpectatio extremi judicii, in ſecundo adventu Chriſti.
[25] i. reliquos peccatores, ſervatos igni in diem damnationis & exitii impiorum, Jeſch.66.15.& ſequentibus, & 2.Pet.3.7.& ſequentibus.
[26] propoſitio generalis officii & promiſſionum: nam officium aſſueſcendi cum Deo & pacem colendi exponitur verſu ſequente: promiſſiones verò, reliquo capite. [27] id eſt ſeria reſipiſcentia utêris, & fructus ejus proferes.
[28] id eſt tu ipſe, perſonæ, res, & facultates tuæ, non tantùm redintegrabuntur: ſed etiam glorioſius curabuntur à Deo, verſ. 24. & 25. optata tibi ſuccedent omnia, & illuſtrabuntur à Deo, 26.27. & 28. verſibus: denique & tibi ex iſtis calamitatibus emergenti benedicetur, & aliis propter te, ver.29.& 30.
[e] *Hebr. ædificaberis.* [29] allegorica hyperbole ad figurandam inſtaurationem, ſermone tranſlato à ſtructoribus.
[f] *Hebr fluminum Ophirum: vel fluminibus.* [30] i. præſtantiſſimum, de quo 1. Reg.10.11. [31] id eſt, lectiſſimum ex Ophirino: nam nullum aurum abſolutius eſt fluviato, ut curſu ipſo tritúque perpolitum. Plinius libro 33. cap. 4. Poſſet tamen non incommodè ad copiam referri, ſi ita interpreteris, fluminibus Ophirum, quaſi dicat, qui aurum non pluris fecit quàm rupem, etiamſi peremne illius largúmque flumen flueret.
[32] q. d. aut ſi non abundabit aurum, obtinebis quod eſt pretioſius auro, adeóque pretioſiſſimum, nempe Deum creatorem dominúmque omnium.
[33] id eſt, nulla tibi à Deo niſi gratias agendi occaſio dabitur.
[g] *Hebr. exſurget vel ſtabit tibi.*
[34] id eſt, tanta erit illius erga te benedictio, ut etiam aliorum miſereatur qui non fuerint innocentes, propter te, ex promiſſione facta Abrahamo, Gen. 11.35. & 18.24.& ſequentibus: atque huc videtur ſpectaſſe Propheta Jechekel 14.14. & ſequen. ubi Ijobi interceſſio cum Noachi & Danielis interceſſione conjungitur.
[h] *Hebr. non innocentem.*

## Caput XXIII.

*Ijob ægrè ferens objurgationem amicorum, ſibi judicium conſtitui a Deo petit; fidem ſuam & integritatem profitetur in mediis calamitatibus. Deinde propoſitionem aliorum convellens, docet improbis in hac vita plurimùm bene eſſe; Deum verò tempus judiciorum ſibi aſſervare; & quomodo & quando decrevit, ea demum in improbos familiamque eorum exſequi.*

1 CUi reſpondens Ijob,[1] dixit:
2 [2] Etiam hodie rebellionem *haberi*
querimoniam meam? *quum* [3] *a* plaga mea gra-
vis exſiſtit ſupra gemitum meum?
3 [4] O *ſi* quis daret *ut b* ſcirem invenire eũ;
pervenirem uſque ad ſedem ejus.
4 [5] Differerem coram eo cauſam; & os me-
um implerem [6] argumentis.
5 Cognoſcerem *quibus* verbis reſponderet
mihi: & intelligerem quid diceret mihi.
6 [7] An pro amplitudine viriũ litigaret me-
cum? non; ſed ipſe apponeret ad me *animum*.
7 [8] Illic rectus diſceptat cum eo; & [9] libera-
rem me in perpetuum à judice meo:
8 ([10] En ſi antrorſum ivero, non aderit: ſi
verò retrorſum, non animadvertam eum:
9 Quum ager ipſe *ad* ſiniſtram, non tamen
videbo: [11] operiet dexteram *plagam*, nec tamẽ
reſpiciam.)
10 [12] Quum recognoviſſet viam quæ *eſt* a-
pud me, probaviſſet me, [13] ſicut aurum exirem.
11 [14] Greſſum eius retinuit pes meus: viam
eius obſervavi; ut non declinarem:
12 Præceptum labiorum eius, ut non di-
moverem: ſuprà quàm penum meam recon-
didi ſermones oris eius.
13 [15] Sed ſi ipſe [16] contra unum *agit* quis re-
vocet eum? quod animum eius cupit, id efficit.
14 Nam perficit ſtatutum *c* de me; & [17] hu-
iuſmodi multa ſunt penes eum.
15 Propterea [18] à facie ejus perturbor; dum
conſidero, expaveſco ab eo:
16 Quia *Deus* fortis [19] emollit animum
meum; & omnipotens perturbat me:
17 [20] Cùm nondum exciſus ſim à conſpe-
ctu tenebrarum; aut à conſpectu meo operiat
caliginem.

[1] Hujus orationis ſummę partes ſunt duæ: una eſt Κατασκευὴ ſive confirmatio hypotheſeos de fide & innocentia Ijobi, uſque ad cap. 24. altera, Ἀνασκευὴ ſive confutatio theſeos, qua conati fuerant amici Ijobum improbitatis evincere à præſentibus calamitatibus.
[2] Κατασκευῆς exordium patheticum ex abrupto: quo conqueritur Ijob ſibi iniuriam fieri, & eo graviorem quo cum maioribus calamitatibus confligatur.
[3] i. gravius affligor quàm ut poſſim pro gravitate ingemiſcere: amplificatio iniuriæ, ut ſupra 6.4.
*a* Hebr. *manus*: *metonymia*: *ut inf.* 27.11.
[4] Κατασκευῆς primus locus ab optato, quo docet Ijob ſe bona fide & conſcientia fretum maximè expetere ut ſiſtatur coram Deo: quod copioſè explicat uſq; ad v. 11.
*b* Heb. *ut ſcirem & invenirem*.
[5] i. diſpoſitè & ex ordine cum ipſo agerem.
[6] innocentiæ meæ: ſic exponuntur expoſtulantis partes, hoc & ſeq. verſu. [7] alterum caput forenſis adminiſtrationis, de partibus Judicis, q.d. conſtat mihi mea innocentia, quam ego ſcio non oppugnatum, ſed confirmatum iri à Deo, ut iuſtiſſimus eſt.
[8] Confirmatio à theſi: non patiuntur (inquit) repulſam viri boni; neque ego paterer. [9] i. probata cauſa impetratem ab eo liberationem.
[10] Correctio ſuperioris optati, q.d. ſed quid deſidero quod exorati non poteſt? quia Deus liberrimus, cum creaturis agit liberrimè, neque in ordinem humanum cogitur. [11] i. incumbet ad dexteram partem. [12] regreſſio ad ſuperiorem locum de læto eventu iudicii, ſi concederetur ſibi.
[13] i. puriſſimus, ut aurum ex igne. [14] ſecundus locus Κατασκευῆς ſuperioris, ætiologiam continens ab integritate ſua, duobus verſibus. Greſſum autem eius paſſivè accipe, i. ab eo definitum, & monſtratum. [15] tertius locus Κατασκευῆς ab omnipotentia Dei, duobus verſibus, & imbecillitate ſua exhorreſcente ad iudicia Dei, tribus ſequentibus. [16] i. unum aliquem caſtigat.
*c* Heb. *meum*. [17] quibus obnitentes & refractarios edomet.
[18] i. ſenſu flagellorum præſentium eius, & metu futurorum.
[19] i. teneritatem & imbecillitatem affert animo meo attendenti ad omnipotentiam eius. [20] i. cùm neque antehac mors prævenerit ærumnas meas, quod optabam ſuprà capite tertio, neque iam in ærumnis verſans cernam ullum liberationis modum mihi oblatum eſſe, ſive à morte, quæ finem calamitatum faciat ex naturæ lege, ſive à Deo, ut me expediat ab iſtis calamitatibus, quæ tenebrarum & caliginis nomine indicantur plerumque in ſcriptura ſacra.

## Caput XXIV.

1 CUr [1] ab omnipotente nõ eſſent [2] abſcõ-
dita [3] tempora? & noſcentes eũ non prę-
vident dies *a* ab eo *præſtitutos*?
2 [4] Terminos movent *impii*; gregem quem
rapuerunt paſcunt:
3 Aſinum pupillorum abigunt; pignore ca-
piunt bovem viduæ:
4 Avertunt egentes à via; ſimul [5] occultan-
tur pauperes terræ:
5 [6] En *ut* onagri in deſerto prodeunt ad o-
pus ipſorum, inde à diluculo perveſtigantes
prædam: in campeſtri loco panem ſibi & pue-
ris ſuis:
6 In agro farraginem ejus demetunt; & vi-
neam improbi *b* vindemiant;
7 Nudum pernoctare cogunt abſque ve-
ſte; quibus non *eſt* operimentum in ipſo fri-
gore;
8 *Qui* ab inundatione montium madent,
& abſque perfugio [7] amplectuntur rupem:
9 Abripiunt ab uberibus pupillum: & *quo*
indutus eſt pauper, pignori accipiunt:
10 Nudum ire cogunt abſque veſtitu; &
[8] famelicos *qui* portant manipulos.
11 Intra muros ipſorum oleum exprimen-
tes, & torcularia calcantes ſitiunt.
12 [9] E civitate homines gemunt, & anima
confoſſorum [10] vociferatur; & tamen [11] inſul-
ſitatem non deſignat Deus.
13 [12] Iſti *ſunt* inter rebellãtes adverſus [13] lu-
cem, non agnoſcunt vias ejus; nec ſedent in ſe-
mitis ejus.
14 [14] In ipſa luce ſurgens occiſor interficit
pauperem & egentem, noctu verò eſt ſicut
fur.
15 Et oculus ſcortatoris obſervat crepuſcu-
lum dicendo, ne contempletur me oculus; &
lárvam faciei apponit.
16 Perfodit in tenebris domos, *quas* inter-
diu deſignaverant ſibi: [15] neſciunt lucem.
17 [16] Nam pariter manè *eſt* illis [17] lethalis
umbra: [18] quum *quis* cognoſcit, [19] terrores *ſunt*
lethalis umbræ.
18 *d* [20] Levis eſt in ſuperficie aquarum, [21]
maledicta eſt portio iſtorum in terra: non [22] *e*
reflùet, *f* ſecundùm conſuetudinem altarum
*ruet*.
19 [23] Ut ſiccitas, etiam æſtus arripiunt, aquas
nivales; *ita* ſepulcrum *eos qui* peccârunt.
20 [24] Obliviſcitur illius vulva, ſuaviter de-
paſcit eum vermis, ampliùs non commemo-
ratur: ita confringitur velut arbor iniquitati
*deditus*.

[1] Ἀνασκευῆς ſive confutationis iſtius partes ſunt Propoſitio uſq; ad verſum 17. Occupatio, ac velut quoddam confutationis genus, verſibus 8. & Concluſio. Hîc autem Propoſitionis ſumma eſt: Deum tempora iudiciorum ſuorum ita noſcere ſolùm, ut ne cum piis quidem & religioſis hominibus eorum notitiam ordinariè communicet; ac proinde non poſſe ab hominibus regulas certas de eo præſcribi, quod ſibi ſoli vindicavit Deus. [2] videlicet hominum notitiæ.
[3] quibus ſive in hoc, ſive in futuro ſeculo decrevit impios punire *a* Heb. *ejus*.
[4] ἐργασία propoſitionis in ſequentibus à deſcriptione improborum & actionum, in quibus ſe occupãt, cuius loci ſunt, injuriæ in res & in perſonas, uſque ad verſ. 13. impietáſque in Deum, quam evincit ipſorum conſciẽtia dum fugit lucem, & ad omnem improbitatẽ projecta eſt, à verſu 13. uſque ad 17. verſ.
[5] i. abdunt ſe in loca anguſtiſſima, ubi latitant eorum metu: quia ab improbis ut mancipia nexa trahuntur & rapiuntur ad operas ipſorũ, ut duobus verſibus proximè ſequentibus exponitur.
[6] Exegeſis præcedentis dicti: de intoleranda improborũ ſævitia in pauperes, quorum operâ contra legem abutuntur, duobus verſib.
*b* Hebr. *ſerò colligunt: proprium vindemiæ, quia fit deſinente anno.*
[7] ne ab inundãtibus aquis rapiantur.
[8] i. bajulos, quorum opera condendo in horream, & apothecas frumẽto abuſi ſunt, vacuos remittunt abſque mercede & alimẽto ſuo, contra legem Levit. 19.11. & Deut. 24.14. & contra omnem humanitatem, ut amplificatur ſequente verſu.
[9] i. totas civitates opprimunt graviſſimè.
[10] orans Deum ut proſpiciat his malis.
[11] i. pergere & confirmari non ſinit tam pravã adminiſtrationem, quæ ideò inſulſitatis nomine perſtringitur, quia nec Deo nec hominibus bonis humanum aliquid ſapientibus probatur. [12] altera pars ἐργασία, ut obſervatum eſt in verſu ſecundo. [13] ſpiritualem; ſive naturalem in animo & conſcientia eorum ingeneratam; ſive adventitiam, quam Deus teſtificatur verbo & operibus ſuis, de officio erga ſe & res creatas omnes: idque in Chriſto, qui eſt vera illa lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.
[14] id eſt, totos dies conſumit in maleficiis prout videtur commodum, hoc verſu; aut clàm interdiu comparat quod noctu perpetret, duobus ſequentibus.
[15] id eſt, ſtudioſiſſimè hanc lucem fugiunt & alteram illam ſpiritalem longiſſimè abjiciunt.
[16] Exegeſis præcedentis dicti, *neſciunt lucem.*
[17] id eſt, matutina lux mors ipſis videtur eſſe [18] factum ipſorum.
[19] metus ſupplicii *d* Heb. *ſupra ſuperficiem aquarum.*
[20] Ἀνθυποφορᾶς pars ſecunda, qua occupat Ijob objectionem hanc; quid ergo? an ſtatuis malis in hac vita ſemper bene eſſe, & bonis plerumque malè? ad quam reſpondet Ijob, ſe nunquam fuiſſe in ea ſententia; iſta pendere ex arbitratu Dei, judicia ejus in improbos plerumque uno momento deſignari, denique ſive eos vexare velit, ſive aliquo modo ſecundare, ſingularem illius regulam non poſſe ab hominibus percipi: tempora autem ipſi ſoli eſſe cognita. Sic explicantur principia, & progreſſus exitii improborum, uſque ad verſum 21. Levis autem eſt, id eſt, citò diffluit perinde atque ſi ſuperficiei rapidarum aquarum innataret.
[21] id eſt, ſententia maledictionis in iſtos à Deo lata.
[22] id eſt, non reciprocabitur, converſuſque recurret in priſtinum ſtatum, ut fit in æſtuariis, ſed ut aquæ ratæ & ex edito loco ruentes, deturbatus in perpetuum manebit: elegans allegoria, ut Gen. 49.4.
*e* Hebraicè, *convertet ſe.*
*f* Hebr. *conſuetudine ſecundum alterum: hypallage: ut Gen.* 18.11.
[23] altera allegoria ab aquis nivalibus, quæ quia ſubtiliores ſunt, eo celeriùs æſtu ab arente terra imbibuntur.
[24] id eſt, perinde diſperit ab hominibus memoria ejus, ac ſi nunquam conceptus eſſet, aut editus ex utero: hoc enim ſynecdochicè accipitur pro toto tempore ejus inde à conceptu.

21 [25] Conſociat ei ſterilem, [26] non paritu-
ram; & viduam non afficit bono:
22 [27] Trahitque robuſtos vi ſua: ſi conſiſtit
*ullus*, diffidit vitæ ſuę.
23 [28] *Si* dat ei ſecuritatem qua nitatur; ta-
men oculi ejus intenti ſunt viis iſtorum:
24 *Si* attollunt ſe aliquantulũ, *mox* nemo
*ſupereſt*, adeò deprimuntur, planè omnes [29] de-
cutiuntur; & velut *g* frit ſpicæ ſucciduntur.
25 [30] An non igitur ita *eſt*? quis ementietur
me? & rediget *h* in nihilum ſermonem meum;

[25] ſecunda pars judiciorum Dei in improbos, ni mirum quòd etiam eorũ familiam affligit & peſſum dat graviſſimè; ac primũ quidem uxorẽ, hoc verſu: deinde liberos ſequẽtibus: Nam *Conſociat*, inquit, i. neque vivo eo, neque mortuo, uxori benedicit.
[26] juſto judicio ejus; quamvis non natura ſterilem. [27] i. tollit è medio liberos, vel opibus, poteſtate & honore florentiſſimos. [28] i. ſi quietem ei ad tempus largitur, obſervat tamen eorum conſilia & actiones, ad efficiendũ quod ſequente verſu exponitur. [29] i. nullo negotio deturbantur. [g] *Hebr. caput vel cacumen ſpicæ: ſic una voce appellat Varro.* [30] Concluſio: à veritate ſuperioris doctrinæ amicos arguens. [h] *Heb. ad non.*

## Caput XXV.

*Bildad Ijobum confirmantem integritatem ſuam ex comparatione majeſtatis divinæ cæleſtiumq; corporum reprehendit.*

1 TUm reſpondens Bildad Schuchites, [1] di-
xit:
2 [2] Dominatus & *a quidem* formidabilis eſt
penes illum; *b* [3] colit pacem in [4] excelſis ſuis.
3 An eſt numerus [5] turmariis ejus? & ſupra
quem non [6] exſurgit lux ejus?
4 [7] Quid ergo juſtus eſſet mortalis *compa-
ratus* cum Deo forti? aut quid purus eſſet na-
tus muliere?
5 [8] En uſque ad lunam, non tamen ſplen-
deret? etiam ſidera non pura eſſent [9] in oculis
ejus:
6 Quanto minùs mortalis, [10] vermis? & fi-
lius hominis, lumbricus?

[1] Hic ſermo Bildadi confutat priorem propoſitionem Ijobi de innocẽtia quam dixerat ſe probaturum Deo, ſuprà cap. 23. Confutat autem ἀπὸ κοινοῦ τόπου, cujus mẽbra ſunt duo: unum, comparationis hominis cum Deo, uſque ad verſ. 4. alterũ, cum cæleſtibus corporibus, ver. 5. & 6.
[2] Propoſitio unius loci communis de omnipotentia Dei, cujus apodoſis hominem cum Deo comparans habetur ver. 4. [a] *Hebr pavoris.* [b] *Hebr. facit.* [3] Confirmatio propoſitionis de reverenda illa potentia Dei tribus argumentis; primùm à tranquilliſſima, convenientiſſima & conſtantiſſima adminiſtratione rerum cœleſtium, hoc verſu; deinde à rerum morem ei gerentium innumerabilitate; poſtremò à præſtantiſſima luce, qua omnes ſuos adminiſtros creaturaſque ſuperat, verſ. 3.
[4] i. in cælis & ſupra cælos. [5] i. omnibus cæleſtibus & terreſtribus ad juſſa ejus capeſſenda comparatis. [6] i. quem non ſuperat lux bonitatis ejus?
[7] cùm Deus potentiſſimus, inſtructiſſimus, & optimus omnium ſit; quid homo? &c. comparatio majoris. [8] Altera comparatio majoris, ex ordine gradationis poſita: quaſi dicat, ſed quid hominem cum Deo comparo, cùm ille ne cum rebus quidem creatis cæleſtibus luce comparari poſſit? Quamobrem ut Ijobum afficiat graviùs, appellat ipſius conſcientiam. En, inquit, uſque ad lunam. q. d. attolle eouſque oculos, & obſerva quantopere obſcuretur, ſi cum Deo comparabitur. [9] i. collata cum eo. [10] i. qui cum Deo comparatus nihil amplius eſt quàm vermis, præ imbecillitate & vanitate naturæ ſuæ.

## Caput XXVI.

*Ijob rejectis ironicè ſermonibus Bildadi, amplius prædicat omnipotentiam & ſapientiam Dei à rerum cognitione, creatione, & adminiſtratione.*

1 CUi reſpondens Ijob, [1] dixit:
2 [2] Quàm adjuviſti deſtitutum virtute?
ſervâſti [3] brachium deſtitutum robore!
3 [4] Quàm conſuluiſti inſipienti! & quòd
res eſt, plurimùm feciſti notum!
4 [5] Apud quem enunciaſti ſermones? &
cujus anima prodiit ex te?
5 Ipſi expertes vitæ reformarentur; inde
ab aquis etiam [6] habitatores earum.
6 [7] Nudum eſt [8] ſepulcrum coram illo; ne-
que *eſt* tegumentum [9] perditioni.
7 ‖ Qui extendit [10] Aquilonem ſuper ina-
ne; ſuſpendit terram ſuper nihilum.
8 Ligat aquas in [11] denſis nubibus ſuis; adeò
ut non fundatur nubes ſub eis.
9 Continet ſuperficiem [12] ſolii; expandit
ad illud nubem ſuam:
10 Decreto circinavit [13] ſuperficiem aqua-
rum; uſque ad conſummationem [14] lucis cum
tenebris;
11 [15] *Uſquedum* [16] columnæ cæli concutian-
tur, & [17] obſtupeſcant ab increpatione ejus.
12 Virtute ſua [18] diſrupit mare; & intelligen-
tia ſua diſcidit *a* pelagus.
13 Spiritu ſuo cælos ornavit: formavit ma-
nus ejus [19] ſerpentem *b* oblongum.
14 [20] En iſtæ *ſunt* partes viarum ejus; ſed
quantam particulam rei audimus de eo? [21] to-
nitru ergo *c* ſummæ potentiæ ejus quis intel-
ligat?

[1] Hujus reſponſionis partes ſunt duę: una eſt ἀνασκευὴ ſive cõfutatio ironica propoſitionis Bildadi, uſq; ad verſ. 6. altera κατασκευὴ ſive confirmatio infinitæ illius potentiæ Dei quã prædicaverat Bildad, ut eadẽ opera jejunitatem ſermonis ejus oſtenderet, & confirmaret ſe optimè de Deo ſentire. uſque ad finem capitis. [2] Confutatio ironica ἐκ τοῦ ἀνωφελοῦς, ab inutili, his duobus verſ. quam deinde amplificat duobus ſequentibus. Eſt autem hic confutationis locus ex ironia ſuperioris ſermonis & conceſſione compoſitus, hoc modo: Egregia verò dicta, & ſalutaria ſcilicet: maximè cùm (ut vobis videmini) apud virum infirmum, abjectum, & ignorantem agitis, q. d. hæc omnia nullius ſunt momenti apud me, adjuvandum, ſervandum, conſulendum, aut edocendum me.
[3] i. virum, ſynecdoche: ita ſe vocat Ijob per μείωσιν συγχωρητικήν.
[4] q. d. tantum abeſt ut facto profitis mihi, ut ne verbis quidem adjuvetis.
[5] Amplificatio ſuperioris confutationis, primùm à perſona ſua, q. d. quem putas eſſe me, ut profundas apud me verba iſta: ego verò amplius teneo, & amplius de Deo quàm tu prædicare poſſum, prout facit inde à verſu ſexto: deinde à perſona adverſarii, q. d. quis tam bellè te docuit, & ad dicenda iſta veluti animavit? poſtremò ab effectis quæ per ironiam hyperbolicam exponit ver. 5. quaſi dicat: mirum fuerit profectò, ſi ad tam feſtivos, opportunos, & ſalutares ſermones tuos mortui ipſi è ſepulcro non excitabuntur, aut ex profundo ipſo emergent. [6] i. cadavera jam olim ſubmerſa, quaſi habitationis jus longinquitate temporis comparaſſent in profundo mari.

[7] Confirmatio prædicationis illius de omnipotentia Dei κλιμακωδῶς ſive per gradationẽ facta, primùm à centro terræ & univerſa terra, v. 6. & 7. deinde ab aquis partim cœleſtibus, ver. 8. & 9. partim marinis, ỳ. 10. & duob. ſequentibus: poſtremò ab ornatu cæli & aquarum, v. 13.
[8] i. terræ penetralia ſunt illi reſupina & apertiſſima: vide Heb. 4. 13.
[9] i. loco perditionis, in quo animantia cõſumuntur: metonymia.
‖ *Gen. 1.*
[10] i. orbem terrarum, ſynecdochicè: nam Aquilo ut ſuperior pars orbis noſtri, incumbit inferioribus partibus, & omnes ſimul incumbunt nihilo. [11] velut aquarum conceptaculis, tam firmis ut non ſtillent niſi ad ipſius voluntatem. [12] i. cæli, Jeſchahjæ 66. 1.
[13] i. mare circumduxit terræ. [14] i. ſeculi, quod diſcernitur luce & tenebris: vide Jirmejæ 5. 23. [15] i. donec diſſolvatur mundus: ſynecdoche, vide 2. Petri 3. 7. & 10. [16] i. montes, quibus videtur cælum incumbere velut columnis: vide ſimile 2. Schem. 22. 8. [17] i. diſſiliant; per proſopopœiam dictum.
[18] i. diviſit maria, fluenta, lacus, ſtagna, &c. ut conſpiceretur arida.
[a] *Hebr. ſuperbiam, id eſt ſuperbam aquarum congeriem, ubi conſiſtebat terra.*
[19] i. balænam, quæ ab immenſa illa longitudine nominatur vectis maris, ut Jeſchah. 27. 1. [b] *Hebr. vectem: ut Jeſchahjæ 27. 1.* [20] Concluſio iſtius propoſitionis: omnipotentiam Dei & ſapientiam non poſſe niſi minima ex parte intelligi, nedum audiri aut prædicari à nobis. [21] i. ipſum intonantem & loquentem coram. Argumentatio eſt per comparationem majoris. [c] *Heb. potentiarum.*

## Caput XXVII.

*Ijob Deum teſtem adhibens amicos reprehendit; probos & improbos uſu afflictionum docet innoteſcere: ac poſtremò ſapientiam Dei hominibus quamvis ſagacibus imperveſtigabilem & Deo ſoli ab æterno cognitam fuiſſe oſtendit.*

1 DEinde [1] pergens Ijob proferre ſententi-
am ſuam, [2] dixit:
2 [3] Ut vivit *Deus* fortis *qui* [4] ſummovit cau-
ſam meam; & omnipotens, *qui* amaritudine
afficit animam meam:
3 Quamdiu anima mea in me erit; & ſpiri-
tus Dei in naſo meo,
4 [5] Non ſunt loquutura labia mea iniqui-
tatem; neque lingua mea effabitur dolum.
5 [6] Abſit *a* à me, ut juſtificem vos: quoad
exſpiravero, non amovebo integritatem me-
am à me.
6 Juſtitiam meam retineo; neque deſeram
eam: non abjiciet *eam b* animus meus *c* un-
quam.
7 [7] Erit ut improbus inimicus meus; & in-
ſurgens in me ut iniquus.
8 [8] Nam quæ *eſſet* exſpectatio hypocritæ,

[1] i. à ſingulari reſponſo facto propoſitioni Bildadi, tranſiẽs ad integrã conſtitutionem ſuæ & amicorum cauſæ, his quinque capitibus.
[2] Totius orationis Ijobi ſummæ partes ſunt duæ ἀντικατηγορία, hoc eſt, tranſlatio criminis ſive recriminatio in amicos, confutans ſermones ipſorũ, his duobus capitibus: & κατασκευὴ, i. conſtitutio & confirmatio ſermonum ſuorũ, tribus ſequẽtib. Hujus autẽ ἀντικατηγορίας partes ſunt, Propoſitio à ver. 2. uſque ad 8. Confirmatio à ver. 8. ad finem cap. uſque: & confutatio, cap. ſequente. [3] Exordium propoſitionis à religione juramenti, ad fidem faciendam ſermoni de innocentia ſua & amicorum injuria, uſque ad ver. 4. [4] i. rejecit, ut nondum de ea cognoſceret. [5] i. nihil tergiverſabor; omnia bona fide & ſine dolo malo enunciabo, rationem duntaxat habens veritatis. [6] Propoſitio, conſtans duabus partibus; criminatione amicorum, & ſui probatione; quæ partes duobus ſequentibus verſibus converſo ordine ex Hebræorum uſu amplificantur. [a] *Hebr. mihi.* [b] *Hebr. cor meum.* [c] *Hebr. à diebus meis: ut 1. Reg. 1. 6.* [7] i. quiſquis mihi in hac cauſa adverſatur, tandem aliquando injuriæ condemnabitur: prout factum eſt cap. 42. 7 & 8.
[8] Confirmatio innocentiæ à fide ſua & exſpectationem in Deum, etiam in ipſis afflictionibus, q. d. vos à rebus hiſce præſentibus judicium facientes hypocritam ſtatuitis eſſe quem ita graviter Deus affligit; ac proinde me omnes uno ore hypocriſeos condemnatis, ſup. 8. 13. & 15. 34. & 20. 5. Ego verò contrà, cùm jam ante afflictiones proborum improborumque communes eſſe demonſtraverim, ſup. 9. 22. & ſequentibus; omnino confirmo probos & improbos non ex afflictionum numero aut gravitate cognoſci; ſed ex animi conſtitutione & afflictionum uſu: nam probi utcunque rebus vel chariſſimis ſpolientur, à Deo exaudiuntur: ſi nondum exaudiuntur, tamen in Deo acquieſcunt, & oblectationẽ capiunt; deniq; adverſis rebus æquè ac ſecundis in invocatione nominis Dei perſeverant: hypocritæ verò quid exſpectarent? cui confiderent? quo delectarentur? quem invocarent? nam ſimulac de rebus ſuis, & optatis deturbantur, planè dejiciuntur de mente, & ipſi animum abjiciunt, hæc eſt propoſitio major.

quam

quam expleverit, quum decutit Deus deſiderium ejus?

9 An clamorem ejus exauditurum *Deum* fortem, quum ſupervenit ei anguſtia?

10 An in omnipotente ſeſe oblectat? invocat Deum [9] omni tempore?

11 [10] Doceo vos in *d* plaga *Dei* fortis *verſans: eum* qui *ſibi conſtat* cum omnipotente non ementior.

12 En vos omnes videtis: [11] & quare jam vanitate vaneſcitis?

13 [12] Hæc *eſt* portio hominis improbi *e* à *Deo* forti, & poſſeſſio violentorum, *quam* ab omnipotente accipiunt.

14 Si multiplicantur filii ejus, *multiplicantur* ad gladium: & prognati ejus non ſaturantur pane.

15 Superſtites ejus in [13] ipſa morte ſepeliuntur; & [14] viduæ ejus non flent.

16 Si coacervaverit, ut pulverē argentum, & velut lutum comparaverit veſtem;

17 Quod comparaverit, juſtus induet; & argentum innocens partietur.

18 Ut ædificaverit [15] quaſi Arcturi domum ſuam; *erit* velut [16] tugurium *quod* fecit cuſtos.

19 Dives cubat, quum nihil dum *f* interverſum eſt: ubi [17] oculos ſuos aperit, nihil adeſt.

20 [18] Aſſequitur eum velut aquæ *g* terrorū *multitudo*: noctu furtim abripit eum turbo.

21 Aſportat ipſum Eurus, ut abeat; & in morem procellæ corripit eum è loco ſuo.

22 Ita projiciente in ipſum & non parcente *Deo*, ab ejus manu *h* contentiſſimè [19] fugit:

23 At [20] explodit eum manibus ſuis; & exſibilat eum è loco ejus.

[9] i. ſecundis & adverſis rebus. [10] Aſſumtio, tranſiens hypotheticè ad perſonam ſuam. q. d. ac ego non facio, ut hypocritæ ſolent; ſed animum meum, ut conſtitutus eſt erga Deū in graviſſima hac calamitate, vobis expono, & videtis ipſi. [d] Hebr. manu: metonymia, ut ſup. 23. 2. [11] Concluſio: q. d. ex malis principiis falsò cōcluditis; fruſtrà tempus conſumitis, & me obtunditis. [12] Majoris probatio complectens duo capita; unum, de calamitatibus quę etiā improbos invadunt, uſq; ad ver. 10. alterum, de miſerrima animi eorū conſtitutione, uſque ad finem capitis. [e] Hebr. de cum Deo. [13] i. adhuc animam agentes. [14] i. ne ab intimis quidem lugentur, ita ſunt omnibus exoſi: ſynecdoche. [15] i. prætorium magnificum, ſplendidum, & alterum velut paradiſum; cæleſtemque domum fieri curaverit: denique velut in cælo fuerit ſententia ſua. [16] hoc enim tantiſper durat, dum fructus ſunt in agro. [f] Hebr. colligitur. [17] i. ſimul atque evigilat. [18] Altera pars ἐργασίας, ut notatum eſt in ℣. 13. q. d. conſcientia ejus longè aliter quàm juſtorum afficitur, perculſa terrorum turbinibus, ventis, & procellis, malorumque graviſſimorum infinito numero: [g] Heb. terrores. [h] Heb. fugiendo fugit. [19] i. deſperat & diffidit ei, ut hoſti infenſiſſimo. [20] Deus: humanitus dictum.

## Caput XXVIII.

1 [1] NAm [2] eſt *quidem* argento [3] eductio; & [4] locus auro *quod* liquant *metallarii*:

2 Ferrum *e* [5] pulvere ſumitur; & [6] lapidē funditur æs:

3 [7] Terminum impoſitum tenebris, & omnem perfectionem *mortalis* ipſe perveſtigat; [8] lapidem caliginis & umbræ lethalis.

4 [9] *Quum* erumpit torrens [10] dimiſſo accola, *aquæ* [11] oblivioni traditæ à pede; exhauriuntur *a* mortalis operâ, abſcedunt.

5 Terræ [12] ex qua prodit cibus; [13] quamvis ſub ea diverſum fiat, velut ignis *ardeat*;

6 *Terræ inquam* ejus [14] lapides [15] loco Sapphiri; pulveres verò aurum *ſunt* illi;

7 *In* ſemita quam non novit volucris, neque contuitus eſt oculus [16] cornicis;

8 Quam non inſtituerunt ad iter *b* juvenes feræ; neque tranſivit per eam immanis leo.

9 In [17] ſaxum adamantinum mittit manum ſuam: evertit radicitùs [18] montes.

10 In rupibus diffindendo [19] efficit rivos: & quicquid *c* rarum eſt, videt oculus ejus.

11 [20] A fletu flumina obligat; deniq; abſconditum prodit luci.

12 [21] At illa ſapientia unde inveniretur? & ubinam *eſſet* locus intelligentiæ?

13 Non novit mortalis æſtimationem ejus; neque invenitur in terra viventium.

14 Abyſſus dicit, non eſt in me, & mare dicit, non *eſt* penes me.

15 Non poſſet dari aurum aſſervatum pro ea; neque appendi argentum *in* pretium ejus.

16 Non poteſt taxari inſigni auro Ophirio; Sardio pretioſo, aut Sapphiro.

17 Non poteſt *ullus* æſtimare eam auro aut [22] nitidiſſima gemma; nec permutationem ejus vaſe auri purgatiſſimi.

18 [23] Sandaſtri aut unionis nulla fiat mentio: nā acquiſitio ſapientiæ præit carbunculis:

19 Non poteſt *quiſquam* æſtimare eam Topazio Æthiopico: inſigni auro puro taxari non poteſt.

20 Illa igitur ſapientia unde adveniret? & ubinam *eſſet* locus intelligentiæ?

21 Cùm occulta ſit ab oculis omnis viventis; etiam à volatili cæli abſcondita:

22 [24] Perditio & mors dicant; auribus noſtris [25] audivimus *d* famam ejus.

23 [26] *Solus* Deus intelligit viam ejus; & ipſe ſcit locum ejus.

24 [27] Nam ipſe in extremitates terræ intuetur; ſub omnibus cælis videt.

25 [28] Aptando [29] pondus aëri, & appendendo aquas ex menſura:

26 [30] Faciendo pluviæ ſtatutum; & viam fulgetro tonitruum.

27 [31] Jam tum videbat eam, & recenſebat eam: comparabat eam, etiamq; perveſtigabat eam.

28 [32] Dixit verò homini; En [33] reverentia domini *eſt* ſapientia, & recedere à malo, intelligentia.

[1] Confutationis locus unus, toto hoc capite elegantiſſimis figuris illuſtratus, reſpiciēs ad concluſionem Ijobi ſup. 27. 11. Quaſi dicat, Dixi vos in cogitationibus ſermonibuſque veſtris evaneſcere atq; deſipere; miramini dictum: ego verò hoc uno tātùm argumento contentus ero ad diluendum ſermones veſtros. Sapientia Dei eſt imperveſtigabilis, ac proinde incognita hominibus, vos autem de ea ita loquimini, ut ſi perveſtigaſſeris & exploraſſetis eam: vaniſſimi igitur eſtis qui de ſapientiſſima illa adminiſtratione Dei pro judicio veſtro ſtatuitis. Tota itaque argumentatio eſt ἐκ τοῦ ἀδυνάτου. Sed antequam iſtud ἀδύνατον, ſive (ut ita loquamur) impoſſibilitatem oſtendat; diſtinguit ſapientiam humanam à divina, & per comparationem iſtius ſapientiæ quæ homini relicta eſt, ſapientiam Dei amplificat. Eſt autem comparationis iſtius membrum unum de ſapientia humana, uſque ad verſ. 12. deinde ab eo verſu eſt comparationis apodoſis. [2] q. d. eſt quidem homini à Deo attributa mirabilis ars & ſapientia, quæ, ſi alibi uſquam, elucet in metallorum effoſſionibus & diſtinctionibus. [3] ſive terræ argyritidis effodiendæ, ſive excoquendæ. [4] i. auri fodinæ inveniuntur arte. [5] i. è ſtricturis ſive glebis, venaque ferraria. [6] æroſo, quem vocant cadmiam; vel in Cypro è chalcite. [7] i. viſcera fibras, & ſinum terræ intimum. [8] i. abſtruſiſſimos lapides. [9] i. quum repentè ſtagnat ſpecus metallica, & cuniculi irrumpentibus aquis exundantur: ea eſt ars & ſapientia hominis, ut etiam profundiſſimas aquas exhauriat, irrumpentes obthuret, & ſpecus areſaciat. [10] i. ac alveo ſuo ordinario qui accolebatur, præceps in cuniculos metallicos exundat. [11] i. quas pes ullus (ut Hebræi loquuntur) non novit ſive expertus eſt unquam, quæ pede non poſſunt tranſiri præ profunditate. [a] Heb. à mortali. [12] i. quæ plus ſatis benigna eſt & fertilis, quacunq; calcatur. [13] i. quamvis ſæpe in ſubterraneis ſpecubus venæ terræ ſulphureæ, ſive natura ſua, ſive ferramentorum ictibus irritatæ, ſive lucernis inflammatæ in homines exardeſcant: tamen non deterrentur ipſi. [14] i. glebæ cum lapidibus metallicis fodinarum. [15] i. lapides illi effoſſi ſtringuntur, & poliuntur in Sapphiros: & ex pulvere diſparatur aurum.

[16] quāvis oculatiſſimæ, & ſitientis auri; i. uno verbo, ſemita omnibus rebus creatis avia; periphraſis. [b] Hebr. filii feræ. [17] quod in fodinis occurſare ſolet: candidam vocāt artifices, auctore Plinio. [18] qui excavati cuniculariorū operâ dehiſcūt, ſidentibus rimis. [19] i. flumina librata ex altis jugis montium ſubſtructis canalibus ducit, aut ex propinquo derivat: corrugos vocāt, inquit Plin. lib. 33. cap. 4. [c] Heb. pretioſum, ut 1. Sche. 3. 1. [20] corrugos pro arbitrio obthurat obicibus, ne etiam tantillum ſtilleut: quod metaphoricè notat fletus appellatio. [21] Apodoſis, ut notatum eſt in v. 1. qua oſtenditur neq; uſquā inveniri poſſe ver. 13. 14. neque ullo pretio à ℣. 15. ad 20. ver. neque à quoquam viuente, verſ. 21. & 22. [22] ſic interpretamur ex vocis etymo. [23] ad vocem Chaldaicā proximè acceſſimus & vocis etymon. Vide Plin. lib. 37. c. 7. [24] i. omnes res creatæ, quæ antè perierunt, q. d. neque nunc, neque unquam antehac cōprehēſa fuit à mortalibus: ſynecdoche. [25] nempe tantum: quaſi dicat, nunquam potuimus cognoſcere aut aſſequi eā. Proſopopœia. [d] Hebr. auditionem. [26] altera pars confutationis κατασκευαστική, quæ, ubi notitiam ſapientiæ illius omnibus ademit, ſoli Deo aſſerendam docet. Eſt autem hoc verſu propoſitio, cujus ἐργασία in ſequentibus continetur uſque ad finem capitis.

[27] Explicatio ſapientiæ Dei ab infinitate ejus in omnia loca, hoc verſu; & omnia tempora, verſibus ſequentibus. [28] id eſt, inde ab eo tempore quo Deus creabat, aptabatque omnia. [29] id eſt, quum omnes res creatas ex pondere & menſura ordinabat ſapientiſſimè.

[30] id eſt, quum leges poneret in futurum totius adminiſtrationis, ordinariæ & extra ordinem. [31] id eſt, jam eo tempore illa intimè & familiariſſimè utebatur, ut Proverbiorum 8. ac proinde illam ab æterno obtinet infinitam: ſed homini circumſcripſit verſ. ſequent. [32] Concluſio, à finibus quos ſapientiæ noſtræ circumpoſuit Deus: ut amicos à ſuis judiciis revocet; ſuum ſtudium erga Deum oſtendat, & probet ſe nolle penitius in judicia Dei inquirere, quàm prout revelata eſt ab ipſo ſapientia. [33] ſic Eccleſiaſt. 12. 15.

## Caput XXIX.

*Ijob priſtinæ ſuæ amplitudinis pluribus recordatus, exoptat redintegrationem illius, præſentium calamitatum vim, ex comparatione illius felicitatis graviſſimè amplificat: ſtudium ſuum in colenda humanitate, pietate, officiiſque omnibus in Deum & homines profitetur: propter quod in præſentis mali indignationem irrumpens, dira ſibi imprecatur ſi contra quā debuit fecerit, Deum provocat, & judicium conſtitui petit.*

1 AMpliùs [1] perrexit Ijob proferre ſenten-
tiam ſuam dicens:
2 [2] O *ſi* quis daret mihi *ut* tamquam men-
ſibus præcedentibus; tamquam diebus *præce-
dentibus* Deus conſervaret me:
3 [3] Quum efficeret ut ſplenderet lucerna
ſua ſuper caput meum; ad cujus lumen [4] am-
bulabam *per* tenebras.
4 Ut eram diebus [5] hibernorum meorum,
[6] arcano Dei in tentorio meo:
5 Quum adhuc omnipotens *erat* mecum;
circumſtantibus me pueris meis:
6 Quum [7] lavabam veſtigia mea butyro; &
rupes fundebat apud me rivos olei;
7 [8] Quum egrediebar *ad* [9] portam per ur-
bem; in platea comparabam ſedem meam.
8 Videntes me pueri occultabant ſeſe, etiam
decrepiti aſſurgentes ſtabant:
9 Principes continebant ſermones; & ma-
num imponebant ori ſuo:
10 *a* Eloquentes anteceſſores occultabãt ſe;
eorumque lingua palato eorum [10] adhærebat.
11 Nam auris audiens beatum prædicabat
me; & oculus videns teſtificabatur mihi,
12 Me eripere pauperem vociferantem; pu-
pillumque, & cui adjutor non *eſt*.
13 Benedictio [11] pereuntis veniebat ſuper
me; & *b* animũ viduæ ad cantum excitabam.
14 [12] Juſtitiam induebam, & induebat me;
velut pallium & cidarin judicium meum.
15 Ut oculi eram cæco; & *velut* pedes clau-
do eram.
16 Pater eram egentibus; & [13] litem *ejus
quem* nõ cognoveram, ipſam perveſtigabam:
17 Perfringebamque [14] molares iniqui; & è
dentibus ejus ejiciebam prædam.
18 [15] Itaque dicebam, apud nidum meum
exſpirabo; & ſicut arena, *c* multis diebus utar:
19 [16] Radice mea explicata ad aquas; ros per-
noctabit in ramo meo:
20 Gloria mea *erit ut* novella apud me; &
[17] arcus meus in manu mea innovabit *ſe*.
21 [18] Mihi auſcultantes exſpectabant; &
conticeſcebant ad conſilium meum.
22 Poſt verbum meum [19] non iterabant; ita
ſuper eos ſtillabat ſermo meus.
23 Expectabant enim tamquam pluviam
me; & os ſuum diſtendebant, *ut* ad pluviam
ſerotinam.
24 *Si* jocabar cum eis, [20] non credebant, &
[21] lumen vultus mei non dejiciebant.
25 *Si* [22] eligebam viam eorum, ſedebam pri-
marius; denique habitabam ut Rex inter tur-
marios *ſuos*: [23] quando lugentes conſolatur.

[1] Hæc oratio Ijobi κατασκευαστικὴ, ut annotatum eſt ſuprà 27. in ver. 1. continetur tribus capitibus, cujus ſummæ partes ſunt, Propoſitio optati de inſtauratione in priſtinam ſortem, cap. 29. altera Propoſitio calamitatis & indignationis ſuæ præſentis, à principio, cap. 30. uſque ad v. 24. deinde Contentio graviſſimis imprecationibus juncta, uſque ad finem cap. 31.
[2] propoſitio ſumma optati à Deo, cujus ſingulæ partes ex ordine toto capite exponũtur.
[3] primus locus optati, beneficentia Dei, in ipſum, familiam, domum, & bona ipſius, uſque ad 7. verſ. frequentibus metaphoris & hyperbolis illuſtratus.
[4] i. à communibus calamitatibus liber eram.
[5] allegoria inſignis, qua amplius explicat quod modò dixit, de immunitate ſua à præſentiſſimis, & communibus ærumnis, q. d. quemadmodum ſtationarii milites degẽtes in hibernaculis quieſcunt à laboribus, & eis de commeatu prudentis ducis operâ & ſtudio providetur: ita etiam mihi cõſulebat Deus, dum aliis ſubeundæ erant permagnæ moleſtiæ.
[6] i. conſilio & providentia velut imperatoris mei.
[7] i. abundabam & circũfluebam bonis: hyperbolica ſynecdoche ut Gen. 49. 12.
[8] ſecundus locus optati, honor publicus ab omnibus uno conſenſu ipſi exhibitus, & prædicatus ex merito ipſius, uſque ad v. 18. [9] i. forum judicale.
[a] *Heb. vocu anteceſſores, i. vocales: ſynecdoche.* [10] i. immota ſtabat. [11] i. jamjam perituri, niſi auxilio adfuiſſem ei. [b] *Heb. cor.* [12] i. me honorẽ habentem ſibi honorabat, & mihi judiciiſq; meis teſtimonium apud omnes honorificum perhibebat. [13] i. nulla erat apud me perſonarum acceptio, ita jus ex æquo dicebam. [14] i. injuſtorũ violentiam retundebam: metaphora à feris. [15] tertius locus optati, fiducia & ſecuritas percepta animo ex ſuperiore Dei benignitate, hominum acclamatione, & bona conſcientia, uſque ad ver. 21. [c] *Heb. multiplicabo dies.* [16] allegorica figuratio proſperitatis ſuæ, à plantis quæ irrigantur, & perpetuò ut novellæ virent. [17] i. robur meum. q. d. nunquam infirmabor.
[18] ultimus locus optati, prærogativa ipſius in honoratiorum conſeſſu atque conſiliis, uſq; ad finem. [19] nimirum ſermonem, i. non agebant ſecundas in dicendo, ſed dicenti mihi acquieſcebant. [20] i. in tanta opinione eram apud illos, ut etiam jocabundi ſermonem ſeriò acciperent. [21] i. nullo mœrore afficiebant me; in omnibus placebant & gratificabantur mihi. [22] i. ſi ultro eos accedebam. [23] i. quum aliqua occaſione conſternatum exercitum in ſpem bonam erigit: eſt enim maximum ſolamen militibus intrepidi ducis præſentia.

## Caput XXX.

1 NUnc [1] autẽ rident me minores me *a* tem-
pore, [2] qui ſpreviſſem parentes eorum
[3] apponere canibus gregis mei.
2 Etiam vires manuum eorum quorſum
mihi *profuiſſent?* in illis [4] perierat ſenium.
3 Qui inopia & fame *erant* ſolitarii: fugie-
bant *per* ſiccaneum, *b* [5] heſterna nocte vaſta-
tum & pervaſtatum *locum*:
4 Qui decerpebant *c* herbas è ſalſilagine
cum ſtirpibus: etiam radices [6] juniperorum ci-
bo *erant* illis:
5 [7] E corpore expellebantur: vociferaban-
tur *homines* contra eos, ut *contra* furem:
6 In concavitate vallium habitando, fora-
minibus pulveris & petrarum,
7 Inter ſtirpes [8] rudebant; ſub urtica *d* [9]
pungebantur:
8 Homines *e* flagitioſiſſimi, etiam homines
ignominioſiſſimi; afflictiſſimi erãt; *f* extorres.
9 Nunc, inquam, modulatio iſtorum ſum;
& ſum eis *g* ſermonis argumentum.
10 Abominantur me, longè recedunt à me;
& à facie mea non [10] cohibent ſputum.
11 [11] Nam chordam meam ſolvit, & afflixit
me *Deus*: ideò [12] habenas à præſentia mea di-
miſerunt.
12 Ad dexteram *h* puberes [13] inſurgunt, pe-
des meos impellunt: aggerant contra me ſe-
mitas *i* exitiales ſuas.
13 Deſtruunt iter meum, ad calamitatem
meã conferunt; [14] nemine opem ferente ipſis.
14 Quaſi [15] irruptione lata, invadunt *me*:
ſub [16] vaſtata labe devolvunt ſeſe.
15 Obverſa eſt in me *irruptio cum* terrorum
multitudine, perſequitur quaſi ventus [17] inge-
nuitatem meam: & tamquam nubes præteriit
ſalus mea.
16 Et jam in me [18] ſe ipſam effundit anima
mea: obtinent me dies afflictionis meæ.
17 [19] Nocte oſſa mea perfodiuntur à *ſtra-
gula* impoſita mihi; & arteriæ meæ cubantis
non quieſcunt.
18 *k* [20] Præ magna vi *morbi* [21] mutat ſe veſti-
tus meus; ut ora tunicæ meæ [22] cingit me.
19 Projecit me in lutum; adeò ut compara-
re me poſſim pulveri & cineri.
20 [23] Vociferor ad te, ſed non exaudis me:
conſiſto; ſed *non* advertis te ad me.
21 Convertis te in crudelem contra me: pro
robore manus tuæ inteſtinum odium exerces
adverſum me.
22 [24] Extollis me in ventum, *ei* imponis
me; & [25] efficis ut diffluam *l* ſubſtantiâ.
23 [26] Nam experior, mors avocat me; &
[27] domus conſtituta omni viventi.
24 [28] Enimverò [29] *an* non poſtulatio *fiebat*

[1] Altera propoſitio, ut notatũ eſt ſup. 29. in v. 1. cujus propoſitionis loci ſunt iidem qui prioris propoſitionis; ſed ordine inverſo ex Hebræorum uſu opponuntur. [a] *Heb. diebus: ſynecdoche: ut infr. 32. 4.*
[2] primus locus indignationis, cõparatio honoris ſui antecedentis cum ignobilitate, tenuitate & infamiâ eorum à quibus contemnebatur, uſque ad ver. 11.
[3] i. inſtituere inter opiliones abjectiſſimos & cuſtodes gregis mei: cauſas exponit ſequentibus.
[4] i. vitam totam uſque ad ſeniũ inanem cõſumſerant: emphaticum genus ſynecdoches.
[b] *Hebr. heſterna noctis vaſtationẽ & pervaſtationẽ.*
[5] i. recentiſſimã & horridiſſimã vaſtitatem, ita Reipub. & omnibus bonis erant exoſi.
[c] *Hebr. ſalſilaginoſam.*
[6] i. res quævis duriſſimæ atq; avulſu difficiles: ſynecdoche.
[7] putà civitatis, univerſitatis, collegiorum, φρατριῶν, &c.
[8] i. exclamabãt læſi.
[d] *Hebr. abſceſſibus afficiebãtur.*
[9] i. utebantur, adeò ut puſtulæ & abſceſſus ex urticarum contactu exoriantur.
[e] *Heb. filii flagitioſi, etiam filii abſque nomine.*
[f] *Hebr. ex terra.*
[g] *Hebr. in ſermonem.*
[10] in ſignum videlicet maximi contemtus & indignationis: ut Num. 12. 14.
[11] ſecundus locus indignationis, nimirum infirmatio ipſius; qui opponẽdus eſt tertio loco ſuperioris propoſitionis uſq; ad v. 18. καθ' ὑστέρησιν. Chordam autem meam, i. arcus mei, cujus mentionẽ fecerat ſup. 29. 20.
[12] i. effrænatè in me invecti ſunt, quaſi immiſſis vel excuſſis habenis.
[h] *Heb. pubertas.*
[13] allegorica deſcriptio injuriarum, à forma caſtrenſi.
[i] *Heb. calamitatis ſuæ.*
[14] i. quamvis ſoli ſint & careant adjutoribus, adeò tamen audaces & præfidentes ſunt, ut ſoli maligno ſtudio in me omnibus modis irruant. [15] i. ut milites in ſtationem meam (de qua ſup. 29. 24.) labefactatam irrumpunt: quod exponit & amplificat v. ſequens.
[16] alteri ſimilitudo à caſtrenſibus cuniculariis.
[17] i. gloriam illam meam, quam extuleram tot verbis ſup. 29.
[18] i. liqueſit & contabeſcit. [19] i. ne ipſum quidem tempus quietis mihi quietem affert. ſed me ſtragula ipſa prægravat, & quaſi vires adimit motuum & actionum omnium, præ nervorum laſſitudine.
[k] *Heb. præ magnitudine vi.* [20] tertius locus indignationis; turpis & abjecta ipſius conſtitutio. [21] i. decoloratur & transfiguratur, dilutus ſanie manante ex corpore meo. [22] i. conſtringit me; ut ora veſtimenti in quam inſeritur collum, ita agglutinatur ſanie: nam apud veteres reliqua pars veſtimentorum laxa erat præter eam, quam vocabant ſuram.
[23] quartus locus; adverſatio Dei, qui prius Ijobo benedixerat, ſup. 29. 2 & ſeq.
[24] ut ſtipulam vortex, qui dicitur typhon. [25] id eſt, velut præter conſumis & proteris me: metaphoræ à procellis. [l] *Hebr. eſſentia.*
[26] ætiologia ſuperioris indignationis à ſenſu carnis.
[27] id eſt, ſepulcrum, ut Pſalm. 49. 5. [28] tertia pars orationis, cujus capita ſumma ſunt duo: unum, contentio & expoſtulatio, qua Ijob indignitatem ſuarum calamitatum explicat per comparationem anteactæ vitæ ſuæ, uſque ad ver. 5. cap. 31 alterum, quo hypotheticè ſibi imprecatur dira, ſi ſecus quàm dixerat, vitam tranſegerit, à verſ. 5. ad finem. Eſt autem hic prior contentionis locus ab officiis humanitatis his duobus verſibus; unde ſequitur expoſtulatio, quòd tam inhumanè excipiatur, uſque ad finem hujus capitis.
[29] i. nonne aliorum calamitoſorum nomine Deum flagellantem deprecabar pio & humano officio? ſic Pſal. 35. 13.

*quum* immitteret manum? non vociferatio propter [30] iſta in oppreſſione [31] ejus.

25 An non flebam *m* pro eo cui dura erant tempora? anxia erat anima mea pro egente?

26 Quòd bonum exſpectanti mihi evenit malum; & ſperanti lucem evenit caligo:

27 [32] Viſcera mea effervefacta ſunt, adeò ut non quieſcant: prævenerunt me dies afflictionis.

28 [33] Ater ambulo non à ſole; ſurgens in congregatione vociferor.

29 [34] Frater factus ſum draconibus & ſocius *n* pullis ululæ.

30 Cutis mea denigrata eſt ſuper me; & oſſa mea exarſerunt præ ſiccitate.

31 Proinde ad [35] luctum redacta eſt cithara mea; & organum meum ad vocem flentium.

[30] q.d. hujuſmodi mala qualia jam patior, quorum cauſa ad Deum vociferantur afflicti. [31] i. à Deo ipſo factum? m Hebr. *propter durum die: ſynecdoche.* [32] explicatio iſtius mali, & caliginis, de qua expoſtulavit ſuperiore verſu. [33] i. exuſtus & exhauſtus malis atq; luctuoſus, quæ duæ propoſitiones inverſo ordine explicantur duobus ſequentib. verſibus. [34] vociferatione funeſta imitatus eos. n *Heb filiabus.* [35] i. lætus ille & glorioſus ſtatus meus triſti commutatus eſt.

## Caput XXXI.

1 FEdus [1] pepigeram cum oculis meis: & quid advertiſſem animum ad virginem?

2 [2] Nam quæ *eſt* portio *a* à Deo supernè? aut poſſeſſio ab omnipotente de excelſis?

3 Nónne exitium iniquo, & quidem *b* mõſtroſum operariis iniquitatis?

4 An non ipſe videt vias meas? & omnes greſſus meos numerat?

5 [3] Si ambulavi cum vanitate; aut feſtinavit ad dolum pes meus:

6 Examinet me lancibus juſtitiæ; & cognoſcat Deus integritatem meam.

7 Si declinavit greſſus meus à via [4] illa; & *c* oculos meos ſequutus eſt animus meus, aut manibus meis adhæret [5] quicquam:

8 Quod ſeminavero, alius comedat; & propagines meæ eradicentur.

9 Si pellectus fuit animus meus ad mulierẽ; aut ad oſtiũ proximi mei [6] inſidiatus ſum:

10 Molat alteri uxor mea; & ſuper eam incurvent ſe alii.

11 Nam iſtud flagitium *eſt*, & ea *eſt* iniquitas *d* à judicibus animadvertenda.

12 Ignis enim iſte ad petitionem uſq; conſumturus eſſet; & omnem proventum meum eradicaturus.

13 Si ſprevi cauſam ſervi mei, aut ancillæ meæ; litigantium mecum:

14 ([7] Quid enim facerem, ſi ſurgeret Deus fortis? & ſi viſitaret, quid reſponderem ei?

15 Nónne in utero, qui fecit me, fecit eum? & diſpoſuit nos in ipſa vulva idem?)

16 Si cohibui me ab [8] optato tenuium; aut oculos viduæ [9] confeci;

17 Et comedi fruſtum cibi mei ſolus; ac non comedit pupillus ex eo:

18 (Nam à pueritia mea adolevit *apud* me; tamquam patrem: & ab utero matris meæ duxi [10] illam.)

19 Si [11] aſpexi pereuntẽ quòd non *eſſet* veſtimentum; & non *fuit* tegumentum egenti:

20 Si non benedixerunt mihi [12] lumbi ejus; quòd devellere agnorum meorũ incaleſceret:

21 Si [13] agitavi contra pupillum manũ meam, quòd viderem in porta auxilium meum:

22 Humerus meus de ſcapula ſua decidat; & brachium meũ ab acetabulo defringatur.

23 [14] Nam pavori *erat* mihi exitium *e* à Deo forti; cujus excellentiæ non prævaluiſſem.

24 Si poſui *in* auro ſpem meam; aut inſigni auro dixi, fiducia mea:

25 Si lætatus ſum quum multæ eſſent opes meę; & quũ ingentes *opes* invenit manus mea:

26 Si aſpiciendo lucem quum ſplenderet; aut lunam, [15] pretioſum ambiens.

27 [16] Pellectus eſt in occulto *f* animus meus; & *g* oſculatum eſt os meũ, & manus mea:

28 Etiam hoc *fuiſſet* iniquitas à judicibus animadvertenda: nam abnegaſſem *Deum* fortem ſupernè.

29 Si lętat⁹ ſum de oppreſſione oſoris mei; & [17] excitavi me quum obvenit ei malum:

30 (Non enim permiſi peccare palatũ meum; petendo exſecratione animam ejus)

31 [18] Si non dixerunt *h* contubernales mei, *ô ſi* quis daret de [19] carne illius: non ſaturamur;

32 *Quia* foris non pernoctabat peregrinus; fores meas viatori aperiebam:

33 [20] Si texi more hominum *i* defectiones meas; abdendo ex dilectione mei iniquitatem meam:

34 Quòd violentia uſus ſim in multitudinem magnam: ſi [21] contemtus familiarum exterruit me; ita ut conticeſcerem, [22] non exirem porta:

35 [23] Quis det mihi auſcultantẽ mihi? [24] en *k* ſcopum meum Omnipotens faciet ut enunciem, ſi librum ſcripſerit adverſarius meus.

36 *Diſpeream* ſi non ſuper ſcapulam meam portarem [25] eum; [26] annecterem eum *pro* diadematis mihi.

37 Numerum greſſuum meorum indicarẽ [27] illi, [28] ut anteceſſor appropinquarẽ ad illum.

38 [29] Si contra me terra mea clamaverit; & pariter porcæ ejus fleverint:

39 Si [30] vim ejus comederim abſq; pecunia; & animam dominorum ejus *l* defatigaverim:

40 Loco tritici prodeat [31] ſpina, & loco hordei [32] vitium frugum: abſoluta ſunt [33] verba Ijobi.

[1] Poſterior contentionis locus à conſtitutione animi ſui & cõſcientiæ coram Deo, quo oſtendit ſe legem animo ſuo dediſſe & omnibus affectibus, poſito ſibi ob oculos timore Dei; nec ideò minùs in iſtas calamitates incidiſſe, ut conqueſtus eſt ſup. 3.25. [2] αἴτιον initi federis. & legis animo ſuo impoſitæ, timor Dei, reformidatio judiciorum ejus, & conſcientia omniſcientiæ (ut ita loquamur) ejus. a *Hebr. Dei ſupernè; aut poſſeſſio omnipotentis.* b *Heb. extremũ.* [3] alterũ membrum ex antitheſi, ut obſervatum eſt ſup. 30. in verſ. 24. [4] quam dixit verſ. 1. c *Heb. poſt oculos meos ivit cor meum.* [6] alienum à præſtituta via, q.d. ſi quid alienum concupiſco, aut pro meo habeo. [6] ut adultera alienam domum obſidens. d *Heb. judicium, i. quærenda, cognoſcenda, & punienda à judicibus: ſic verſ. 28. Prov. 6.27.* [7] ætiologia elegantiſſima ſui officij erga infimos quoſque, primùm à iudicio Dei aproſopolepto: deinde à lege creationis & naturali jure. [8] ſubaudi efficiendo, hoc eſt, ſubtraxi me, quo minus eis ſatisfacerem.

[9] i. fruſtratus ſum, ac ita effeci, ut oculi longiori exſpectatione cõficerentur. [10] viduam, de qua verſ. 16. per hyſteroſin. [11] tantum; neq. ſubminiſtravi. [12] id eſt, ipſe lumbis tectus: vide Deut. 24.13. [13] id eſt, inhumanè repuli, cæcidi, aut interminatus ſum, manu mea, id eſt potentia; & auctoritate abuſus. [14] ætiologia: non feci, quia timui Deum. e *Heb. exitium Dei fortis.*

[15] i. cœli ambitum & converſionem, at quicquam eſſe videtur in eo pretioſum. Sic oſtendit Ijob ſe abhorrere ab omnibus gẽtium ſuperſtitionib. [16] i. ſi quicquã cogitavi, dixi, aut feci quod ſpectaret ad idololatriam: eſt autem in poſteriore membro huius verſus ſyllepſis nõ infrequens, qua unum verbum cum duabus vocibus ſignificatione diverſis communicatur, etſi unius tantũ proprium eſt, q.d. ſi unquam oſculatum eſt os meum, aut patravit manus mea: ſic Exo. 23. 18. & 34.25. Etſi fortaſſe manus oſculari dicitur pro eo quod eſt, ſubmiſſionem ſervilem teſtari atque ampliſſimam: ut annotavimus in Gen. 24. 2. ſic utriq; oſculum tribuitur convenientiſſimè. f *Heb. cor meum.* g *Hebr. oſculata eſt manus mea cũ ore meo.* [17] ad lætitiam geſtiens. [18] i. niſi fuerim adeò hoſpitalis, ut hoſpitalitate mea defeſſi domeſtici mei cõquererẽtur non eſſe ſibi tantum otii ab occupationib. & officio hoſpitalitatis exhibendo, ut juſtum cibum capere poſſent: ſic enim accipiendum docent ſequentia. h *Heb. homines tentorii mei.* [19] nempe Ijobi: quaſi dicant, melius agitur cum exteris quàm cum domeſticis: nam exteris ciborum & temporis ſatis eſt, nobis propter illos vix ſupereſt interſpiratio ad capiendum cibum. [20] ſenſus eſt, utcumque potentia inſtructus fuerim ad nocendum multis; tamen nihil fuit in quo ullum hominem cogitatione, ſermone, vel facto mihi arrogaverim offendere; ſed ab omni injuria facienda timore Dei cohibitus ſum: neque verò diſſimulavi factum. i *Heb. defectionem meam: ut in aliis legitur.* [21] in quem violentorum familiæ apud Deum & homines juſto Dei judicio adducuntur. [22] pudore aut diffidentia preſſus aut metu.
[23] i. utinam conſtituatur judicium, & audiendo cognoſcatur de cauſa mea.
[24] hæc concluſio eſt quò tendit oratio mea, nimirum ut quiſquis ſit adverſarius meus, libello capita accuſationis ſuæ exhibeat de ſcripto, ut ex iis cognoſcatur: confido fore ut os mihi aperiat Deus; quo cauſam meã eloquar & probem.
k *Heb ſignum meum.* [25] libellum: q.d. tantum abeſt ut eo confundar, ut potiùs in meam gloriam ſingula accuſationis capita ceſſura ſint. [26] q.d. triumpharem de adverſario & accuſationibus ejus; adeò mihi ſum bene conſcius: ſic reſpondet ad membrum verſus 35. de libello. [27] adverſario meo. [28] fretus æquitate cauſæ meæ, non ut affinis culpæ, ſed ut princeps, ſecurus accederem.
[29] ultima imprecatio, qua exponit Ijob ſe parato animo judicia maledictionéſque ſubiturum, ſi quiſquam de injuria ipſius juſtè poſtulaverit: quod elegantiſſima proſopopœiâ exprimit. [30] ut Gen. 4.12. l *Heb. fecerim ſpirare anhelantem.* [31] i. ſpinoſa omnia, lappæ, cardui, tribuli, anonides, &c. [32] i. aut fruges vitiatæ, aut quæ vitiant fruges earum loco. hordeum autem quæ vitiat, propriè dicitur ægilops. [33] cum amicis his tribus habita.

## Caput XXXII.

*Elihu ſilentio Ijobi amicorumq; velut occaſione utens, & partim illius verbis quibuſdam, partim horum taciturnitate offenſus ſermonem aggreditur: & ab excuſatione orſus neceſſitatem dicendi, ſibi afferri docet à ſpiritu Dei illorum ſilentio, & teſtificatione ſuæ conſcientiæ: tum verba Ijobi repetens pluribus argumentis redarguit: ac poſtremo Ijobo copiam reſpondendi ſi velit, facit.*

1 CEſſantibus [1] quoque tribus illis hominibus reſpondere Ijobo; quòd ipſe juſtus *videretur* in oculis ſuis:

[1] ut Ijob ceſſaverat, ſup. 31.40.

2 Accenſa eſt ira Elihu filii Baraceelis [2] Bu-
zitæ è familia *a* Syra. in Ijobum *quidem* accen-
ſa eſt ira ejus; propterea quòd juſtum aſſereret
animam ſuam præ Deo:
3 In tres verò amicos illius accenſa eſt ira
ejus; eò quòd [3] non *b* haberent preſtò quod re-
ſponderent, & tamen condemnabant Jjobũ.
4 Elihu autem præſtolatus fuerat [4] Jjobum
in verbis; quia ſeniores eſſent ipſo *c* ætate.
5 Sed vidente Elihu [5] nullum eſſe reſpon-
ſum in ore trium iſtorum hominum, accenſa
eſt ira ejus.
6 Itaque reſpondit Elihu filius Baraceelis
Buzita, [6] dicens: minimus ſum ætate, vos autẽ
decrepiti; idcircò veritus ſum, ac timui *d* o-
ſtendere ſententiam meam vobis.
7 [7] Dicebant, *e* provecti ætate loquentur;
& annoſi notam facient [8] ſapientiam.
8 [9] Profectò ſpiritus ille in mortali; & affla-
tus omnipotentis efficit eos intelligentes:
9 [10] Non magni ſapiunt; & ſenes intelligunt
judicium.
10 [11] Ideoq; dico, auſculta mihi: oſtendam
ſententiam meam ego quoque.
11 [12] En exſpectavi verba veſtra, aurem pr-
bens [13] *attendi* uſq; ad *f* ſenſa veſtra; eo uſque
*unde* perveſtigatis ſermones.
12 Denique ad vos *attendens*, conſideravi
quòd ecce nemo Ijobum reprehendat; re-
ſpondeat ſermonibus ejus è vobis:
13 [14] Ut non dicatis, [15] invenimus ſapien-
tiam; [16] *Deus* fortis impellet eum, non [17] vir:
14 [18] Quia nec contra me diſſeruit ſermo-
nes, nec [19] dictis veſtris ſum *g* reſponſurus ei.
15 [20] Conſternati ſunt, non reſpondent
ampliùs; [21] tranſtulerunt à ſe ſermones.
16 Nam exſpectavi quum loquerentur:
quia deſiſtunt, nec reſpondent ampliùs,
17 [22] Reſpondebo ego quoque partem
meam; oſtendã ſententiam meam ego quoq;
18 [23] Nam plenus ſum ſermonibus: coar-
ctat me ſpiritus ventris mei.
19 Ecce venter meus ut [24] vinum, *cui*

[2] i. oriundi Buzo filio Nachoris, Gen. 22. 21. [a] *Heb. Rami. pro Arami, i. Syria, ut 2. Chr. 22. aphæreſis.* [3] i. quòd nullis ampliùs argumentis & probationibus uterentur, quibus ſententiam ſuã in Ijobum latã defenderent ad juſtificandum Deum; & tamẽ eum audacter, quamvis teſtimoniis & probationibus deſtituti, impietatis, & injuſtitiæ condemnarent. [b] *Hebr. invenirent reſponſum.* [4] & amicos ſynecdochicè, ut ſequentia oſtendunt: nam Ijob poſtremo loco dixerat, inde à cap. 26. [c] *Hebr. diebus: ſic inf. ỹ. 6. & ſup. 30. 1.* [5] poſtquã Ijob loqui deſiiſſet. [6] iſtius orationis ſummæ partes ſunt duæ; prior eſt inſinuatio, qua ſe excuſat Elihu, & occaſiones oſtẽdit quibus ad dicendum compellitur, uſq; ad finem hujus capitis: altera eſt oratio ſingularis ad Ijobum, cap. 33. Hujus autem inſinuationis partes ſunt duæ, una qua benevolentiam captat narratione reverentiæ ſuæ erga ſeniores animo & facto, tum amicos, uſq; ad ỹ. 15. tum Ijobum ipſum, inde ad ỹ. 21. altera, petitio, qua audientiam facit, & ſimplicitatem ſuam indicendo bene accipi poſtulat. [d] *Hebr. ab oſtendendo.* [7] i. perſuadebam mihi de vobis. Atque hæc prior pars narrationis ad inſinuationem pertinentis, de reverentia & ſanctiſſima opinione quam Elihu de ſenibus illis animo conceperat. [e] *Heb. viri dierum, &c. & multitudinis annorum.* [8] in vera Dei & noſtri cognitione ſitam; cui adverſantur illa quæ de Ijobo prædicantur verſ. 1. & 2. [9] correctio q. d. Jam verè agnoſco hoc non eſſe commune ætatis bonum; ſed ſingulare Dei beneficium per communicationem ſpiritus, ſive in juvenibus, ſive in ſenibus.
[10] i. æquè cum parvis ac magnis communicatur gratia hæc arbitratu Dei. per apoſtrophen ad Ijobum, velut hac modeſta inſinuatione delenitum, ne putaret hunc juvenem iiſdem telis uſurum eſſe. [11] Petitio audientiæ; nec magni, nec ſenes hoc haberet per ſe. [12] altera pars narrationis, de reverentia quam facto exhibuit. [13] i. accuratiſſimè & quàm penitiſſimè ſenſa animi veſtri exploravi. [f] *Hebr. intelligentias veſtras.* [14] Propoſitio formæ, quam in agenda adverſus Ijobum cauſa ſervaturus eſt, in qua modeſtè aliorum rationes rejicit, & ſibi aliam viam ineundam eſſe docet, hoc & ſeq. verſ. [15] quaſi dicant, nunc demum ex re præſente manifeſtò deprehendimus nos verè & ſapienter anteà de iſto homine ſtatuiſſe: nam priùs ex tantarum calamitatum aſpectu optimè ſtatueramus non poſſe eas aliunde quàm à Deo immitti: neque in alium quàm in virum conſceleratiſſimum. Jam verò quum hic palàm obloquatur Deo repudiatis omnibus conſolationibus ejus, profectò confirmatur omnino prior illa ſententia noſtra, & nobis iſta animi obfirmatio omne ampliùs loquendi deſiderium adimit cum eo homine, quem nemo homo poterit; ſed Deus ſolus de iſta animi pertinacia depellere. [16] modeſtiſſima prædicatio de efficacitate verborum quæ Deus in animum Elihu erat inditurus: quali utebatur Joſeph. Gen. 41. 16. & Danijel. 2. 28. non eſt quidem hoc, inquit, opus ullius hominis, ut Ijobum depellat à ſententia ſua; ſed divina planè virtute opus eſt: cùm tamen Deus humano quoque miniſterio utatur gratioſè ad perficiendas res hujuſmodi, abſit ut mihi arrogem quod Deus ſermone meo effecturus eſt: omnino tamen confido effecturum ut Ijob afficiatur majeſtatis illius & juſtitiæ conſcientia. [17] id eſt, homo ullus humano ſtudio, humana arte, aut humanis viribus: quò ſpectari oſtendit verſus ſequens.
[18] Confirmatio antecedentis dicti, non ſuum ſed Dei ſermonem fore quo uſurus eſt, à duobus argumentis: prius eſt, me non offendit Ijob, non ergo privata offenſione aut ſtudio abripiar in dicendo: poſterius; non dictis veſtris uſurus ſum atque humanis judiciis. ſed ſimplici Dei teſtificatione.
[19] id eſt, eodem modo, iiſdémque argumentis. [g] *Heb. redditurus.*
[20] Apoſtrophe ad Ijobum, ut obſervatum eſt in ver. 6.
[21] id eſt, curam tecum ampliùs loquendi abjecerunt.
[22] Propoſitio. [23] Propoſitionis ætiologia per allegoriam hyperbolicam, hoc verſu & duobus ſequentibus.
[24] i. muſtum cui non eſt ademtum obthuraculum, ut exhalet.

20 Eloquar, ut reſpiratio ſit mihi; aperiens
labia mea reſpondebo.
21 [25] Ne, quæſo, *h* accipiam perſonam ul-
lius; & *i* apud hominem non utar præfatione.
22 Non enim novi *k* præfationib. uti: pau-
lulùm [26] *utentem*, tolleret me qui fecit me.

[25] altera pars inſinuationis, petitio ut obſervatum eſt in ỹ. 6. i. liceat mihi per vos ſimpliciter, omiſſis omnib. illis præfationibus quæ ad civilem ſermonem adhibentur, ſenſum animi mei exponere. [h] *Heb. accipiam faciem viri.* [i] *Heb. homini non attribuam cognomen.* [k] *Heb. ut cognomine utar.*
[26] i. in cauſa divina te aut iſtos cum perſonarum acceptione compellantem.

## Caput XXXIII.

1 [1] VErum enim verò audi quæſo Ijob ſer-
mones meos; & omnia verba mea au-
ribus percipe.
2 Ecce jam [2] aperio os meum; loquitur
lingua mea cum palato meo.
3 *a* Rectum animum meum ſermones
mei; & ſententiam labiorum meorum clarè e-
loquentur.
4 [3] Spiritus *Dei* fortis fecit me; & afflatus
omnipotentiſs vitam indidit mihi.
5 Si poteris reſpondere mihi; diſſere co-
ram me, reſiſte.
6 En ego ſecundùm ſermonẽ tuum *agam*
pro Deo forti: è luto deciſus ſum etiam ego.
7 Ecce formido mei non perturbabit te; &
manus mea ſuper te non erit gravis.
8 [4] Tantummodò dixiſti *b* me audiente;
dum vocem ſermonum audivi:
9 ‖ Purus ſum, ſine defectione; nitidus
ſum, nec iniquitas *eſt* in me.
10 En abreptiones *quas* contra me invenit;
‖ reputat me ut inimicum ſibi:
11 ‖ Ponit in compede pedes meos; obſer-
vat omnes ſemitas meas.
12 [5] En hoc, non es juſtus, reſpondeo tibi:
[6] quia major eſt Deus mortali.
13 [7] Quare adverſus eum litigas; quòd *de*
omnibus rebus ſuis non reſpondeat?
14 [8] Quum ſemel loquitur *Deus* fortis,
etiam bis; non cernit illud *mortalis*.
15 [9] Per ſomnium, viſionem nocturnam,
quum irruit altus ſopor in homines: in dormi-
tationibus ſuper cubile:
16 Tunc [10] revelat auri hominum; & erudi-
tionem [11] eorum [12] obſignat:
17 Ut amoveat homo [13] opus; ut ſuperbiam
à viro [14] obtegat:
18 [15] Cohibeat animam ejus à fovea; & vi-

[1] altera oratio ad Ijobũ, cujus partes ſunt quatuor: Exordiũ, uſque ad ver. 8. Propoſitio uſq; ad ver. 12. Confutatio uſque ad ver. 31. & Concluſio. In exordio autem audientiam facit Elihu ab æquitate ſermonis quem habiturus eſt, tribus primis verſibus: deinde duo illa capita Ijobo cõcedit quæ ad conſtituendum judicium ſibi dari poſtulaverat, ſup. 13. 20 & ſequentibus. [2] i. jam incipio rem ipſam eloqui. periphraſis ab origine & inſtrumentis ſermonis, qua Ijobum ad audiendum excitat. [a] *Hebr. rectitudinem cordis mei.* [3] i. ſum creatura ut tu, ac proinde ex æquo mecum, ſi placet, agere potes: ſic plurib. oſtendit hoc verſ. & tribus ſequentib. auctoritatem & jus quod Ijob habiturus eſt ad defendendam cauſam, prout Ijob optaverat ſup. 9. 32. & ſequentibus. [4] ſumma propoſitio eorum quæ Elihu in oratione Ijobi reprehendenda eſſe obſervaverat: ideò particula (ut vocant) excluſiva utitur, quaſi dicat, omitto quæ tu de gravitate afflictionis tuæ, de indignatione animi tui, de fide tua in Deum, & de conſcientia bene actæ vitæ teſtatus es, & quæcunque piè de Deo prædicaſti: tantum ex tua iſta oratione decerpturus ſum, quæ tu arroganter tum de innocentia tua in præſente cauſa, tum etiam de Deo effudiſti. [b] *Heb. in auribus meis.*
‖ *Sup.* 9. 21. & 16. 17. & 29. 14. ‖ *Sup.* 14. 13. & 13. 24. & 19. 11. ‖ *Sup.* 13. 27.
[5] Confutatio, ut obſervatum eſt in verſ. 1. qua ſimpliciter negat quod Ijob confirmat: utcunque fueris juſtus & integer (inquit) ſaltem in his ſermonibus injuſtus es: deinde negationem ſuam argumentis probat.
[6] firmamentum ſuperioris negationis à natura Dei, Deus, inquit, non tantùm majeſtate & potentia, de qua tu expoſtulas; ſed etiam veritate, juſtitia, ſapientia, & miſericordia mortales infinitè ſuperat: quare in hac re injuſtus es.
[7] ſecundus locus, qui ex prima argumentatione velut fonte ſuo (ut etiam ſequentes loci) derivatur; à comparatione naturæ Ijobi. q. d. vis igitur ut rationes omnes divinæ adminiſtrationis referantur ad anguſtias ingenii tui? quaſi verò infinita illa profunditas conſiliorum operationúmque Dei humano ingenio, ut puſillum eſt, capi poſſit. [8] tertius locus ab experientia: imò verò, inquit, fieri potuit ut tibi Deus jam ſæpe reſponderit; ſed videmus eam eſſe hebetudinem & oſcitantiam noſtram, ut vix graviter & ſæpè ſollicitantem agnoſcamus.
[9] Confirmatio tertiæ argumentationis à communibus priſci illius ſeculi documentis: hoc ita ſe habere, inquit, ex eo conſtat, quòd modò interdiu, modò noctu, modò per ſomnia, modò per viſiones. ut Num. 12. 6. homines docet, vigiles, dormitantes, vel oppreſſos ſomno. hîc verò obſervandum eſt ſcriptum verbum Dei ac legem reticeri: quia illa tantùm rationes erant documentorum ante legem datam. [10] id eſt, afflictionum cauſas, uſum & exitum oſtendit, ut Abimeleco, Gen. 20. [11] id eſt, qua ipſi erudiuntur à Deo.
[12] i. imprimit in animis eorum quos caſtigat, ineſt autem his verbis tranſitio ad quartum argumentum confutationis à fine documentorum Dei; ſive per revelationes, de quibus ſupra tribus verſibus; ſive per afflictiones, de quibus à ỹ. 19. ſive denique per homines & adminiſtrationem verbi, inf. verſ. 33.
[13] nimirum ſuum & animum malum. primus uſus documentorum, reſipiſcentia à malo externa & interna. [14] i. efficiat ut non ſit: metaphora à rebus corporeis, ut Pſalm. 32. 1. [15] ſecundus uſus. noſtra ſalus.

tam ejus, ne *c* traijciat eam miſſile.
19 [16] Et corripitur dolore ſuper cubile ſuũ;
etiam multitudo oſſium ejus *dolore* forti:
20 Adeò ut abhorreat vita ejus ipſum ci-
bum; & anima ejus eſcam deſiderabilem:
21 Conſumatur caro ejus à conſpectu; &
promineant oſſa ejus, *quæ* non videbantur:
22 Denique propinqua ſit foveæ anima e-
jus; & vita ejus lethalibus *malis*.
23 [17] Si adſit ei [18] nuncius, [19] interpres [20] u-
nus ex mille; qui indicet homini *d* [21] æquitatem
illius;
24 Et *e* [22] de gratia eum alloquutus dixerit;
[23] redime eum, nec deſcendat in foveam, ex-
piatione [24] *quam* inveni.
25 [25] Recreatur caro ejus plus quàm *in* pu-
eritia; revertitur ad dies adoleſcentiæ ſuæ.
26 Quum ſupplex oraverit Deum benignè
recipit eum, ut aſpiciat faciem ejus cũ jubilo;
& reſtituit mortali [26] juſtitiam ejus.
27 [27] Contemplatur homines dicens; pec-
caveram & rectum perverteram, quod [28] non
profuerat mihi.
28 Redemit animam meam ne tranſiret in
foveam; ut vita mea lucem reſpiciat.
29 [29] En omnia hæc operatur *Deus* fortis;
biſq; terq; cum viro;
30 Reducendo animam ejus à fovea; ut il-
luſtretur lumine hujus vitæ.
31 [30] Attende Ijob, auſculta mihi: ſile ut e-
go loquar.
32 Si adſunt ſermones *ad* reſpondendum
mihi; loquere, quia deſiderio teneor [31] juſtifi-
candi te.
33 Sin minùs, tu auſculta mihi: ſile, & doce-
bo te ſapientiam.

*c* *Heb. tranſeat per miſſile. hypallage.*
[16] i. ad eoſdem uſus, ſic modeſtè tranſit ad præſentem cauſam Ijobi, amplificans locum de afflictionibus uſq; ad ℣. 23. ut obſervatum eſt in verſum 17.
[17] tertius uſus documentorum Dei fides in promiſſiones gratiæ Dei etiam ab hominibus denunciatas.
[18] i. propheta nuncians voluntatem Dei, ut Jud. 2. 1.
[19] cujus interventu Deus cõſilium ſuum laborantibus explicat.
[20] i. cujuſmodi nuncius & interpres fidus voluntatis Dei eſt rariſſimus.
*d* *Heb. rectitudinem.*
[21] Dei, qua omnia & nominatim ipſos laborantes regit & gubernat.
*e* *Heb. gratificatus ei.*
[22] i. quum plus ille nuncius beneficium & gratiam Dei afflicto prædicaverit, & pro eo oraverit Deum, &c. ut Jaco. 5. 14.
[23] ſumma orationis quæ apud Deum pro afflictis habẽda eſt.

[24] i. in Chriſto conſequutus ſum. [25] altera pars iſtius ἐργασίας de exitu & uſu ſuperiorum documentorum: cujus primus gradus eſt inſtauratio, ſecundus, pax conſcientiæ, ℣. 26. tertius, prædicatio liberationis ſuæ à peccatis, ℣. 27 & 28. [26] quam ei confert in Chriſto, reputans eum pro juſto. [27] i. hominum contemplatione adductus exemplum in ſe editum prædicat. [28] i. ſummè nocuerat: μείωσις. [29] ſumma conſtitutio ſuperioris confutationis & ἐργασίας. [30] Concluſio ſuperioris argumentationis, audientiam ad alteram proximè ſequentem faciens, & Ijobo dans optionem vel reſpondendi ſi quid habet, quod reſpondeat; vel audiendi orationem alteram quam habiturus erat. [31] i. hoc velim tibi perſuadeas; me eum non eſſe qui auſim te condemnare; etſi in ſuperioribus dictis fuiſti reprehendendus.

## Caput XXXIV.

*Elihu Ijobi tacentis ſuperiora verba repetens, abſurditatem eorum demonſtrat à juſtiſſima natura & operibus Dei, præfractos perdentis, & ſervantis calamitoſos invocantes ipſum: tum ad miſericordiam Dei eum revocans à ſuperioribus obmurmurationibus dehortatur: & Deum poſtremò orat ut illud judicio ſuo præſtare velit.*

1 ITerum reſpondens Elihu, [1] dixit:
2 [2] Audite ſapientes, ſermones meos; &
ſcientes aurem præbete mihi.
3 Nam ‖ auris ſermones probat, ut palatum
guſtat eſcam.
4 [3] Cauſam *agendam* eligamus nobis: co-
gnoſcamus inter nos quid ſit bonum.
5 ‖ Dixit enim Ijob, juſtus ſum, & *Deus* for-
tis ſummovit cauſam meam.
6 *An* in cauſam meam mentiar? mortifera
*eſt* ſagitta mea, ſine defectione.
7 [4] Quis vir par Ijobo, imbibiturus eſſet
ſannam ut aquam?

[1] Hujus orationis partes ſunt quatuor, Exordium, ver. 2. & 3. Propoſitio, inde uſque ad 10. ver. Confutatio, uſq; ad 33. ver. & concluſio ad finem uſque capitis.
[2] Exordium à perſona auditorum, quo oſtendit confidere ſe, ſi quid præſentes auditores ſapiunt, grata & utilia documenta allaturum; ac proinde dicta ſua illorum judiciis ſubmittere. ‖ *Sup.* 12. 11. [3] Propoſitio τῶν ἀμφισβητουμένων, id eſt, ſermonum Ijobi qui in controverſiam vocandi erant. ‖ *Sup.* 13. v. 18. & 23. 10 & *ſup.* 27. 2. *ſup.* 6. 4. [4] Amplificatio propoſitionis à perſona Ijobi: quaſi dicat Elihu, nemo unquam vir bonus qualem ſe Ijob aſſerit, eò dementiæ venturus eſt, ut probris & ludibrio omnium ſe exponat, integritatem ſibi tum etiam aſſerens, quum obloquitur Deo, quaſi cum ratione inſanire velit. hæc autem allegoricis loquendi formis proponuntur.

8 Et iter facturus eſſet in ſodalitio cum o-
perariis iniquitatis; & ambulaturus cum ho-
minibus *a* improbis?
9 [5] Quòd dixit, non prodeſt viro; ſi volet
[6] *ambulare* cum Deo.
10 [7] Idcircò *b* homines cordati, auſcultate
mihi: abſit *c* à *Deo* forti improbitas, & ab o-
mnipotente iniquitas.
11 [8] Nam opus hominis rependit ei, & ſe-
cundùm iter cujuſque facit ut obveniat ei.
12 [9] Etiã verè *Deus* fortis non damnat pro-
bum; & omnipotens non pervertit judicium.
13 [10] Quis commiſit ei terram? & quis diſ-
poſuit orbem habitabilem univerſum?
14 Si apponens ad eum *d* animum ſuum,
ſpiritum ejus & animam ejus ad ſe reciperet;
15 Exſpiraret omnis caro ſimul; & homo in
pulverem reverteretur.
16 [11] Si itaque eſt intelligentia, audi hoc: au-
rem præbe voci ſermonum meorum.
17 [12] An etiam odio habentis judicium [13] o-
bligaret *vulnus*? imò an [14] juſtum validum con-
demnares?
18 [15] An dicentem regi, ô nequam; ô im-
probe, ingenuis, *condemnares*?
19 Qui non accipit perſonam principum,
neq; agnoſcitur *apud ipſum* nobilis præ tenui;
[16] nam opus manuum ejus ſunt omnes.
20 Momento moriuntur, etiam media no-
cte; commoventur populus ac prætereunt, &
*e* amovetur fortis ſine manu:
21 Quia oculi ejus *attendunt* ad vias cujuſ-
que; & omnes greſſus ejus reſpicit:
22 Nullæ ſunt tenebræ, nullaque umbra le-
thalis ubi ſe abſcondant operarii iniquitatis.
23 [17] Nam non eſt diſpoſiturus contra ul-
lum ampliùs *tenebrarum*, quando ambulat
contra *Deum* fortem in judicium;
24 *f* Infinitè conterit validos, & conſtituit
alios in locum eorum.
25 *g* Hoc pacto recognoſcit facta eorum;
& ſimul atq; [18] mutavit noctem, conteruntur.
26 In loco improborum [19] complodit eos,
in [20] ſtatione videntium;
27 Quandoquidẽ receſſerunt à *h* ſequendo
eum; & ullas vias ejus non animadverterunt:
28 [21] Inducendo ſuper eorum quemque cla-
morem tenuis, quum clamorem pauperum
exaudit,
29 (Nam quum ipſe [22] tranquillat, quis in-
quietabit? & quum [23] abſcondit faciem, quis
[24] contemplabitur eum?) tum ſuper gentem,
tum ſuper homines pariter:
30 Ne [25] regnet homo hypocrita, [26] ne ſint
tendiculæ [27] populi.
31 [28] *An* enim apud *Deum* fortem; qui dicit,

*a* *Heb. improbitatis.*
[5] hoc tantum abſurdum oſtẽdit Elihu conſequens eſſe ex propoſitionib. Ijobi.
[6] i. Deum ducẽ ſequi, ut Gen. 5. 22.
[7] tranſitio ad confutationem; in qua Elihu faciens audientiã duo argumenta adducit: unum, ex quo ſequentia omnia ut fonte profluũt, à natura Dei juſtiſſima, quod argumentũ emphaticè per ἀντίθεσιν enunciatur: alterum ab hominis officio. v. 31. & ſeq.
*b* *Heb. homines cordis. ſic* ℣. 34.
*c* *Heb. abſit Deo forti ab improbitate & omnipotenti ab iniquitate: hypallage.*
[8] ἐργασία argumenti prioris ex ἀντιθέτου.
[9] repetitio ſimplex ſuperioris argumenti, ut eò commodius ad ſequentes probationum locos tranſeatur.
[10] probatio à mero imperio & auctoritate Dei; cujuſmodi argumentatione utitur Theophilus Inſtit. ut majeſtatẽ Imp. alienam eſſe à corruptione aſſerat. q. d. ne ab ullo quidem ad injuriam faciendam adigi poteſt. quod probatur à creatione, hoc verſu, & potẽtiſſima adminiſtratione, duobus ſequentibus.
*d* *Heb. cor.*
[11] Apoſtrophe ad Ijobum; qua eũ nominatim excitat & compellat, poſito ſuperiore fundamento.
[12] ſumma illa argumentatione, de qua verſ. 10. jam Elihu fretus, appellat conſcientiam Ijobi, quaſi dicat, dic, quæſo bona fide, éſtne injuſtitia in Deo, ut protervos probet? imò verò (inquit ille per correctionem) impudentiſſimum fuerit ſi Deum voles condemnare; quod probat duobus attributis, juſtitiæ & potentiæ ejus, ac poſtea copioſius amplificat, uſque ad ver. 31. [13] i. injuſtè curaret perverſos; ſynecdoche. [14] indefinitè dictum: ut ſit argumentatio à comparatione minoris: ſi hominem juſtitia potentiaque inſtructum damnare non audeas, quanto minus Deum? ſequentibus. [15] ἐργασία ſuperiorum attributorum Dei à perſonis, forma, tempore judiciorum Dei, & aliis circumſtantiis. [16] ætiologia à creatione, ut ſup. 31. 15. *e* *Heb amovent impersonaliter: ut ſup. 4. 19. & 7. 3.*
[17] i. quum decretum eſt non differre ſupplicium in eos qui protervè oppugnant Deum, non laborat ut aliunde tenebras acceſſat. hæc omnia periphraſticè ad deprimendum & conſternandum Ijobum. *f* *Heb ſine perveſtigatione.*
*g* *ut 1. Sche. 27 6.* [18] i. protulit lucem, qua revelantur omnia in judicio ejus: vide Epheſ. 5. 13. [19] ut inflatas veſicas in ſua ipſorum ſede. [20] i. palàm in exemplum omnibus: vide Jeſchahjæ 16. 9. *h* *Heb. à poſt eum.*
[21] id eſt, vindictas quas miſeri à Deo repoſcerunt in ſingulos adducendo; metonymia. [22] miſeros afflictos. [23] ab improbis: ætiologia à potentia Dei. [24] id eſt, quis improborum averſanti Deo auſit obſiſtere?
[25] nimirum ampliùs rex, de quo ver. 18. [26] i. ne ampliùs boni exponantur improborum aucupiis. [27] de quo ver. 10. [28] Secundum confutationis argumentum ab hominis officio erga Deum. Homo quamvis ſibi non malè conſcius, Dei miſericordiam implorare debet in eam ſententiam quæ eſt verſ. 9. Tu autem non hoc feciſti, verſ. 33.

condonavi, non ſum deſtructurus;
32 [29] Præterquàm *quod* [30] video, tu doce me:
ſi iniquitatem operatus ſum, non pergam:
33 An ergo *hæc oratio profecta eſt* à te? repen-
det illud, ſi [31] ſpreveris, ſi tu [32] eligas, profectò
non ego: jam quod *i* ſentis eloquere.
34 [33] Homines cordati dicent mecum; &
vir ſapiens auſcultans mihi,
35 Ijob non ſcite loquitur, & verba ſua im-
prudenter.
36 [34] Pater mi, probetur Ijob uſque ad vi-
ctoriam, propter reſponſiones *quales* homini-
bus iniquis inſunt.
37 [35] Nam additurus eſſet ad peccatū ſuum
defectionem, inter nos [36] comploſurus eſſet; &
multiplicaturus ſermones ſuos in Deum.

[29] ſumma deprecationis afflictorum cujus capita ſunt duo; unum, quo profitentur pii ſtudium & fidem ſuā ad recipienda documenta Dei, eaque exoptant: alterum, quo exponunt ſuam reſipiſcentiam & peccatorum abnegationem. [30] i. cognoſco, ſive de peccatis meis, ſive de mandatis tuis, ſive de gratia & benevolentia erga me. [31] hac oratione uti: ſic deterret ab eventu; deinde ab exemplo ſuo. [32] dicere quod antea, & ab oratione hac abſtinere quam debes. i Heb. noſti. [33] Concluſio duobus membris conſtans, argumentatione & voto. Eſt autem argumentatio à conſenſione omnium bonorum. [34] optatum, ut tantiſper flagelletur Ijob donec Deo vincenti cedat & reſponſis vanis renunciet, per apoſtrophen ad Deum. [35] ætiologia optati à tribus abſurdis: nam, inquit, niſi hoc fiat, metuendum eſt ut bonus Ijob neq; ſaluti ſuæ neque ædificationi noſtræ, neque gloriæ Dei conſulat. [36] i. nos ludificaturus, & exploſurus cum ludibrio ſermones noſtros.

## Caput XXXV.

*Elihu Ijobum ad peccati agnitionem hortatus, oſtendit neque juſtitiam efficere quicquam, neque injuſtitiam officere Deo; ſed oportere ut omnes afflictionibus edocti ſe abiiciant coram Deo: ac proinde Ijobum ad agnitionem ſui & ſpem in Deum hortatur.*

1 AMpliùs reſpondens Elihu, [1] dixit:
2 [2] An hoc ratiocinabaris in cauſam
*tuam*; quum diceres, juſtitia mea major *eſt*
quàm *Dei* fortis?
3 [3] Si roges, quid profuturum ſit tibi, *dicens*,
quid proficerem *a* ſupplicio meo?
4 Ego reſpondeo tibi ſermones; & [4] ſociis
tuis tecum.
5 [5] Intuere cælum & reſpice & contemplare
ſuperiores nubes, *ut ſunt* altæ ſupra te.
6 Si peccas, quid operaris illi? ſive multæ
ſunt defectiones tuæ, quid facis illi?
7 Si juſtus es, quid das illi? aut quid è manu
tua accipit?
8 [6] Viro cujuſmodi es, improbitas tua; & fi-
lio hominis juſtitia tua *aliquid efficiet*.
9 *b* [7] Freti magnitudine efficiunt ut oppreſ-
ſi clament; vociferātur propter brachium ma-
gnatum.
10 [8] Si non dicit *oppreſſus*, ubi eſt Deus *c* qui
fecit me? qui dat Pſalmorum argumentum de
[9] nocte:
11 Qui [10] docet nos præ beſtiis terræ; & præ
volatilibus cæli ſapientes nos facit:
12 [11] Ibi clamant propter ſuperbiam malo-
rum; ſed non exaudit.

[1] Hujus ſermonis partes ſunt quatuor: Exordium μεταβατικὸν ſive tranſitivum, v. 2. Propoſitio querimoniarum injuſtarum Ijobi, v. 3. & 4. Confutatio propoſitionis, à v. 5. ad 15. & concluſio. [2] Exordio hoc tranſitionem facit à ſuperiore ſermone ad ſequentem argumentationem; quam propterea ingreditur, quod Ijob nihil ad ſuperiorem ſermonem reſponderat. q. d. fieri non poteſt profectò, quum tu iſtos ſermones de te ipſo contra Deum effutiviſti, ut ad locum illum attenderis quem modo explicavi; nimirum de juſtitia miſericordiaq; Dei, ac de officio tuo. [3] propoſitio per prolepſin ſive anticipationem illius objectionis quam poterat Ijob adducere, occaſione ſumta ex fine ſermonis præcedentis. hoc modo, quid tu expetis, ut ampliùs prober afflictionibus, ſup. 34. 36. quid illud, obſecro, mihi profuturum eſſet ſi graviùs adhuc affligerer? quò ſpectaverant Ijobi verba ſup. 7. 20. & ſeq. ad quem ſermonem reſpōdet ſubjectione ſequente verſu. a *Heb. peccato meo per ſynecdochen: ut Zecarja. 14. 19.* [4] i. qui idem ſenſerint tecum. [5] tota hæc confutatio nititur dilemmate; quo conſultò utitur Elihu, ut totum locum de uſu noſtrarum afflictionum explicet, Ijobi & omnium aliorum cauſa. Eſt autem hujuſmodi: Afflictiones iſtas neceſſe eſt aut Deo prodeſſe, aut tibi, quum Deus nihil ſine cauſa agat: Deo prodeſſe nego, ab hoc verſu uſque ad 8. Supereſt ut tibi & tui ſimilibus proſint: Ad priorem autem dilemmatis partem confirmandam utitur demonſtratione per comparationem minoris. Nihil potes efficere in cælos: Deus eſt ſupra omnes cælos; ergo multò minùs poteris Deum bono vel malo afficere.
[6] tranſitio ad alteram partem dilemmatis: Mali vel boni afficiuntur pro malitia vel bonitate ſua; quæ propoſitio hîc universè dicta fuſiùs explicatur uſque ad verſ. 15. b *Heb. præ magnitudine.* [7] nimirum magnates, qui mox nominantur. [8] i. ſi homo oppreſſus ad Deum non revertitur, adductus ad fidem, natura, creatione, beneficiisque ordinariis ejus, ac denique verbo: is profectò nihil egerit, clamoribus vagis, verſ. 2. ut Pſal. 18. 42. & Prov. 1. 28. & Jeſchah. 1. 15.
c *Heb. qui fecerunt me: ut Gen. 1. 26. reſpiciens ad perſonas ſanctæ triadis.*
[9] i. etiam quum nulla ad eum laudandum documenta circumfulgent, intus ſpiritu excitat ad laudes. [10] i. ratione, ſcientia, & ſapientia ſupra res alias creatas inſtruit: hæc totidem ſunt argumenta ad exaggerandam ſtupiditatem hominum in calamitatibus torpentium. [11] i. in calamitate poſiti.

13 *d* [12] Merā vanitatem non exaudit Deus
fortis, & omnipotens non contemplatur eā:
14 Multò minùs ſi dicas, non contemplaris
iſtud, *exauditurus eſt*; [13] judica coram eo, & ex-
ſpecta eum.
15 Nunc enim quia [14] nihil *iſtorum* eſt, viſi-
tat ira ejus; quia non agnoſcit *Deum* [15] hac re-
creatione admodum:
16 Sed Ijob [16] vanitate dilatat os ſuum, abſ-
que ſcientia ſermones multiplicat.

d *Heb. tantum vanitatem.* [12] ſumma illius propoſitionis quæ ab exēplis & eventis adminiſtrationis Dei confirmata eſt ſuprà, inde à v. 8. Eſt autē hoc prius mēbrum comparationis à minore, cujus apodoſis eſt ſequente verſu: Si (inquit) juſto Dei judicio non exaudiuntur aut ſublevantur ii, qui æſtu calamitatum evaneſcunt; neque ſuas cogitationes ad Deum evehunt; quanto minus exaudieris, ſi protervè dixeris Deum nullam habere rationem tui; ac proinde velut in cælum inſpuens, omnem providentiam, auctoritatem & adminiſtrationem ei blaſphemè eripueris? [13] brevis hortatio à ſuperioribus documentis; qua Elihu primum Ijobi conſcientiam appellat, dicens; te ipſum judicem facio coram Deo, an non ita ſe res habeat ut modò dicebam: deinde illum ad ſpem & fidem in Deum revocat. Eſt autem hoc membrum habendum in concluſionis loco, quæ confirmatur & amplificatur verſib. ſeq. [14] i. neq; rectè judicas, neq; exſpectas à Deo, ut pium hominem decet. [15] i. hac enunciatione divini verbi (quo virum bonum oportet errantem reſipiſcere, atq; afflictum recreari) non admodum afficitur; vide ſup. 33. 23. & ſeq. [16] i. vaniſſimè contra Deum quicquid ſibi in buccam venit effutit, præſtrictus mali præſentis gravitate.

## Caput XXXVI.

*Elihu proponit Ijobo omnipotentiam, bonitatem, juſtitiam, ac miſericordiam Dei, iisq; confirmatis ab exemplis recentibus ac priſcis, & ab operibus Dei ordinariis atq; extraordinariis, Ijobum excitat ad comparandam ignorationem & infirmitatem ſuam cum infinita notitia potentiaq; Dei, & revocat eum ad miſericordiam gratuitam illius.*

1 POſtremò pergens Elihu, [1] dixit:
2 [2] Suſtine me pauliſper, ut oſtendam
tibi: nam *ſunt* adhuc pro Deo ſermones.
3 Proferam ſententiam meam [3] è longin-
quo; & opifici meo tribuam juſtitiam.
4 Nam revera non *erunt* mendaces ſermo-
nes mei, integer ſententiis *ero* apud te.
5 [4] En *Deus* fortis validus *eſt*, nec tamen [5]
ſpernit: validus eſt, [6] virtus *eſt a* animi:
6 [7] Non ſervat vitam improbo; ſed jus pau-
perum edit:
7 Non ſubtrahit à juſto oculos ſuos; poti-
ùs cum regibus ſolio *adeſt*, ut collocet illos in
æternum atque exaltentur.
8 [9] Quòd ſi vincti compedibus, captivi de-
tineantur funibus afflictionis,
9 Poſtquàm indicavit eis opus eorum; &
defectiones eorum invaluiſſe;
10 Et revelavit illis *b* in aurem hujuſmodi
[10] eruditione, indicens ut revertantur ab ini-
quitate:
11 Si auſcultent & colant *eum* conſumunt
dies ſuos in bono, & annos ſuos in *rebus* amœ-
nis.
12 Sin autem non auſcultaverint, *c* miſſili
tranſmittuntur: & exſpirant in ignoratione.
13 Hypocritarum verò ex *d* animo, *qui* ap-
ponunt iram; nec vociferantur quum vincivit
eos.
14 Moritur [11] cum juventa illa [12] anima eo-
rum: & vita eorum [13] cum meritoriis.
15 [14] Liberat afflictum in afflictione ejus; &
revelat oppreſſione in aurem eis.

[1] Hujus orationis ſummæ partes ſunt quatuor: Exordium, uſque ad verſ. 5. Propoſitio aſſerens potentiſſimam, ſapientiſſimam, juſtiſſimamque adminiſtrationem Dei, à 5. v. uſque ad 15. Confirmatio, inde uſque ad v. 22. cap. 37. & Concluſio. [2] Exordio audientiam facit à perſona Dei, cujus cauſam agit, à cauſæ antiquitate & jure, & à fide perſonæ ſuæ. [3] i. prout res fuit nō tantùm inde à ſeculis, verum etiam ante omnia ſecula. [4] propoſitio aſſerens ſtudium Dei in adminiſtrandis rebus, adverſus murmura quę Ijobo ex infirmitate carnis exciderant. Quaſi dicat, omnipotens quidem eſt; ſed non ut ſuperbus tyrannus, qui potentia ſua abutatur ut infirmos proterat. [5] quemquam; ſed omnium rationem habet. ut ſequentibus explicatur. [6] i. non tantùm ipſe eſt validus; ſed etiam infirmis & languentibus mortalium animis ſolus ipſe virtutem præſtat. a *Hebr. cordis.* [7] ἐργασία propoſitionis à diverſitate ſubjectorum: nam malis, (inquit) & bonis potenter, juſtè & ſapienter præſidet, eventaque eorum moderatur. [8] juſtos quoſque & pauperes.
[9] Amplificatio ab ordine judiciorum Dei; primùm in eos qui reſipiſcunt à malo, uſque ad v. 12. deinde in contumaces & palam obnitentes Deo, verſ. 12. ac poſtremo in hypocritas, verſ. 13. & 14. b *Heb. revelat aurem eorum: ſic. v. 15.*
[10] i. afflictione carceris, qua Deus erudit ſuos providentia ſua: ſic Pſal. 94. 12. c *Heb per miſſile tranſeunt.* d *Heb. corde.* [11] i. æque morientur & pari judicio Dei conterentur atque juveniles illi animi, qui protervè obnituntur Deo, & palam ad omne flagitium projecti ſunt: nam horum meminerat v. 12. [12] i. ipſi. [13] ſynecdoche, pro flagitioſis omnibus. [14] Tranſitio ad confirmationem per anaphoram ſive repetitionem ſummariam illius membri in propoſitione quod ad cauſam Ijobi pertinet, ut habetur v. 7. & accommodatur in ſequentibus.

16 [15] Sic

16 [15] Sic etiam averterat te ab ore anguſtię,
[16] *in* latitudinem cui non ſuberat preſſura: &
*e* ferculũ menſæ tuæ plenum erat pinguedine:
17 Dum [17] judicium improbi compleres;
judicium & jus obtinerent.
18 Quum [18] æſtuans ira *obvenit*, *cave* ne [18] a-
vertat te exploſione; & magnum pretium re-
demtionis [20] ne abducat te.
19 An æſtimabit nobilitatem tuam? non le-
ctiſſimum aurum; ne *quidem* omnia [21] fortifica-
rent vires.
20 [22] Ne aſpires ad illam [23] noctem, qua ab-
eunt populi *in* locum ſuum.
21 [24] Cave tibi, ne reſpicito ad vanitatem; ut
hoc eligas præ afflictione.
22 [25] En Deus fortis [26] extollit virtute ſua:
quis ſicut ipſe docet?
23 Quis commiſit ei viam ejus? aut quis di-
cit, operaris iniquitatem?
24 Recordare ut amplifices [28] opus ejus, [29]
quod contemplati ſunt mortales,
25 *Quod* omnes homines viderunt; [30] mor-
talis intuetur è longinquo, *&* *dicas*:
26 [31] En Deus fortis ita amplius *eſt* ut non
cognoſcamus; cujus annorum numero non *eſt*
perveſtigatio.
27 Nam [32] ſubtrahit ſtillas aquarum, *quæ*
fundebant pluviam ad [33] calamitatem ejus;
28 Quum fluerent, ſuperiores nubes, ſtilla-
rent [34] ſuper homines multos.
29 [35] Si etiã conſideret *homo* [36] extenſiones
denſarũ nubiũ; [37] fragores in [38] tugurio illius:
30 En [39] extendit [40] ſuper eum lucem ſuam;
& [41] radices maris tegit:
31 [42] Quum illis judicaturus eſt populos; *aut*
daturus cibum *f* abundè.
32 [43] Manibus obtegit lucem; & interdicit
[44] ipſi propter [45] intercedentem:
33 Indicans in [46] eum benevolentiam ſuã;
*in* pecora, etiam in proventum *terræ*.

Caput XXXVII.

34 Etiam [47] ad hoc trepidat *g* animus meus;
& ſubſilit è loco ſuo.

[15] primus confirmationis locus à perſona Ijobi, quod mirificam illam adminiſtrationem Dei ipſe expertus eſſet, his duobus verſibus: unde oritur locus doctrinæ à ver. 18. uſque ad 22.
[16] deſcriptio allegorica præcedentis felicitatis Ijobi.
*e* *Heb. deſcenſus: i. quod deponebatur in menſam.*
[17] i. juſtè de cauſa ejus ſtatueres.
[18] i. graviſſimũ Dei judiciũ infenſi in te: prius documentũ, ſive dehortatio à vana fiducia, ver. 18. & 19.
[19] i. ne Deus explodat te, ſi ita in ipſum inveharis.
[20] i. ne confidas fore, quum ſemel te explodet Deus, ut ullo pretio gratiam ejus de integro tibi concilies: ut copioſiùs ſequens verſus oſtendit.
[21] i. tuerentur te ne exploderetis à Deo.
[22] poſterius documentum, ſive dehortatio à deſperatione.
[23] i. mortem, quam omnes oppetunt, & tu jam toties dixiſti tibi imminere & te ipſum ultrò ad eam aſpirare.
[24] ſumma utriuſque dehortationis ſuperioris, à vanitate utriuſque ſtudii: ita tranſitur ad ſecundum confirmationis locum.
[25] ſecundus locus confirmationis à natura, documentis, & operibus Dei: quorum dignitas commendatur primùm à forma, quod nemo docere poteſt operibus ut Deus, hoc verſu; deinde à jure, quod operum ſuorum leges à nemine accipit, aut jure reprehendi poteſt, verſu ſequente.
[26] videlicet documenta & vias ſuas, ut ſequentia oſtendunt.
[27] amplificatio ſecundi iſtius loci primùm à ſingulari opere Dei, extra ordinem naturæ facto temporibus Noachi, uſque ad ver. 29. deinde ab aliis, tum ordinariis, tum extraordinariis, hoc & ſequente cap.
[28] diluvii, ut nominatim explicabit inde à v. 27.
[29] i. totum genus humanum exceptum eſt.
[30] i. nos memoria noſtra jam olim geſtum recordamur.
[31] i. incomprehenſibilis & ſempiternus. Sunt autem hæc per hypotypoſin dicta, ut eo melius animus Ijobi ad ſuſpiciendum Deum adducatur.
[32] i. aquas in nubibus ſuo loco continet, ne in orbem terrarum perrumpant, ut olim fecerunt. ſic oſtendit ne mundo quidem ineſſe æternitatem: ſed Deo ſoli, qui pro arbitrio ſuo cũ rebus creatis eam communicat.
[33] i. diluvium quod immiſit terris.
[34] omnes, excepto Noacho cũ familia. hoc autem argumentum ex verbis Eliphazi ſup. 22.15. & ſequentibus de induſtria reſumit Elihu, ut operum Dei admirabilitatem aſſerat: non (ut ille) perterrefaciendum Ijobum: ſed potius ad confirmandum in fide & exſpectatione, quamvis adverſantibus malis, exemplo Noachi, cujus poſtea recordatur, v. 32.
[35] ſecundum amplificationis argumentum ab inſtauratione naturæ quam diluvium interverterat, & perpetua adminiſtratione Dei.
[36] id eſt; denſas nubes extenſas in aëre: hypallage.
[37] ventorum luctantium & aërem perſpirantium, atque tonitruum ex eis, ſeq. cap.
[38] i in nubibus: ut Pſal. 18.12.
[39] i. ſerenum cælum efficit ventis diſpellentibus nubes.
[40] hominem. i. ſupra nos.
[41] i. terram cui incumbunt maria, imbribus humectat & obtegit: ſic per hyſteroſin oſtendit effecta nubium, ventorumque, de quibus ſuperiore ℣.
[42] i. quum viſum eſt ipſi aut judiciis exercere homines, aut beneficiis cumulare, ut inf. 37.12.
*f* *Heb. ad multiplicantem.*
[43] i. modò tenebras efficit, quaſi obducta manu, ad ſuorum preces.
[44] manui videlicet, ne amplius lucem obtegat.
[45] Noachum diluvii tempore, & pios Noachi exemplo accedentes Deum. vide Jacob. 5.16. & ſequentib.
[46] pium intercedentem, colentem Dei.
[47] i. ad conſiderationem iſtius adminiſtrationis Dei; cujus meminit inde à v. 29. ut indicat repetitio particulæ Etiam: quam ob rem verſum hunc ſuperioribus conjunximus.
*g* *Heb. cor meum.*

Caput XXXVII.

1 [1] Audite *a* diligenter conjunctam com-
motione vocem ejus; & [2] loquelam ex
ore ejus prodeuntem.
2 Sub omnes cælos dirigit eam & [3] lucem
ſuam ad *b* oras terræ.
3 Poſt [4] eam rugit ſonus, tonat voce excel-
lentiæ ſuæ, [5] neque differt illa, quum audienda
eſt vox ejus.
4 Tonans Deus fortis voce ſua *facit* *c* mi-
rabiliter; facit *res* adeò magnas ut non poſſi-
mus cognoſcere.
5 Quum nivi edicit, eſto in terra, aut imbri,
*ac* pluviæ: mox imber pluviæ*que* roboris ejus
*adſunt*.
6 [6] Manum cujuſque hominis [7] obſignat;
ut recognoſcat omnes *d* operarios ſuos.
7 Tum ingreditur beſtia in latibulum; & in
antris ſuis degit.
8 [8] E ſuo penetrali prodit turbo; & à [9] di-
ſpergentibus frigus.
9 *e* A flatu ſuo *Deus* fortis edit glaciem; &
[10] latitudinem aquarum *f* coarctat.
10 Etiam *pro* irrigatione [11] fatigat denſam
nubem; diſpergit nubem [12] lucis ſuæ,
11 [13] Denique ipſe *Deus* [14] *per* viciſſitudines
*g* verſat ſecum ſapientia conſilia ſua de opere
[15] iſtorum; quodcunq; præcipit iſtis *faciendum*
in ſuperficie orbis, in terra:
12 [16] Sive ad flagellum, ſive ad terram ſuam;
ſive ad beneficentiam, *h* efficit ut [17] præſtò ſit.
13 [18] Auribus percipe iſtud Ijob, conſiſte &
conſidera mirabilia *Dei* fortis,
14 Noſti-ne quum diſponit Deus de illis;
ut [19] ſplendeat lux nubis ſuæ?
15 Noſti ne [20] de libramentis denſæ nubis,
mirabilia *Dei* perfecti ſcientiis,
16 Quibus veſtimenta tua [21] calent; [22] à me-
ridie, quum [23] tranquilla eſt terra?
17 [24] *An* expanderes cum eo *cælos* *i* junctos
ſuperioribus nubibus, [25] firmos, [26] ut ſpeculum
fuſum?
18 [27] Notũ fac nobis quid diceremus ei? nõ
poſſum⁹ diſſerere *ſermones* ꝓpter [28] tenebras.
19 [29] An in acta referetur ei, ſi loquar? an
[30] diceret quis? nam abſorberetur.
20 [31] Jã enim non reſpiciunt *homines* [32] lu-
cem *quum* nitida eſt in ſuperioribus nubibus;
quas ventus tranſiens purgavit;
21 Per [33] Aquilonem *k* aurea *lux* advenit: in
Deo reverenda *eſt* *magis* gloria.
22 [34] Omnipotens, quem non aſſequimur,
amplus *eſt* virtute: [35] ſed judicio & magnitudi-
ne juſtitiæ non affligit.

[1] tertiũ argumẽtũ à tonitruis, fulgetris, pluviis, turbine, vẽtis, grandine, glacieque, uſque ad ver. 19.
*a* *Heb. audiendo.*
[2] allegoria à tonitru in ſcripturis frequens.
[3] fulgetra lucida, ut inf. 38.24.
*b* *Heb. alas.*
[4] lucem, i. fulgetrum: nam prius videtur coruſcatio, quã exaudiatur ſonus.
[5] i. fulgetra, tonitruũ prænuncia exhibet: μείωσις. non differt; i. præmittit.
*c* *Heb. mirabilibus.*
[6] i. immiſſis ejuſmodi tempeſtatibus efficit ut homines domum ab opere ſuo fugiant, ubi dominis licet per otium operas ſuas recognoſcere.
[7] i. præcludit ne operetur, tamquam ſigillo impoſito: metaphora.
*d* *Heb. viros operis ſui.*
[8] i. è nubis depreſſæ ſpecu, ut loquitur Plin. lib. 2. cap. 48.
[9] nempe ventis Aquilonaribus, qui nubes diſſipant & frigus efficiunt, inf. v. 21.
*e* *Hebr. à flatu Dei fortis edit, &c. antecedens pro ſe & ſuo relativo: ut Gen. 9.6.*
[10] i. ex aquis lõgè ſe diffundẽtibus condenſat grandinem.
*f* *Heb. in anguſtum redigit.*
[11] huc illuc impellendo: metaphora à rebus animatis.
[12] i. è cujus medio emicant fulgetrorum rimę, de quib. ſup. v. 2.
[13] ſumma tertii argumenti: ubi oſtendit Elihu totam iſtam adminiſtrationẽ unicæ Dei ſapientiæ acceptam ferri oportere.
[14] quas rebus humanis exhibet modò hoc, modò illud efficiendo.
*g* *Heb. verſat ſe in ſapientibus conſiliis ſuis: humanitus dictum.*
[15] μετεώρων, de quibus loquutus eſt inde à principio capitis.
[16] fines ſuperioris adminiſtrationis tres: quorum duo extremi homines propriè attingunt, quos Deus vel meritis ſuppliciis afficit; vel benignitate ſua miſericorditer proſequitur; medius universè ad res omnes creatas pertinet, quas liberum eſt ipſi pro jure & auctoritate ſua afficere bono vel malo.
*h* *Heb. facit inveniri ipſum.*
[17] unumquodq; illorum.
[18] quartum argumentum à compellatione conſcientiæ Ijobi, ut eam ſeriò cum Dei ſapientia comparet, ac proinde agnoſcat tenuitatem ſuam uſque ad ver. 22. hujus autem tenuitatis duo ſunt loci præcipui; unus à notitia & intelligentia Ijobi uſque ad ver. 17. alter ab impotentia, ver. 17.
[19] i. coruſcatio & fulgetrum emicent.
[20] i. potes ne judicare de admirabili opere Dei, quo nubes velut æquilibrio ab omnibus cæli partibus conſiſtentes, ac nullis ventis perſpirantibus agitatæ, tantum æſtum à ſole concipiunt, ut homines præfocari videantur?
[21] i. ita incaleſcunt, ut quamvis exilia tibi ſint oneri.
[22] i. à ſole meridiano.
[23] à ventis, & omni aëris agitatione unde magis ſidit & fervet calor.
[24] i. quid poſſes præſtare in creatione, ſi redintegranda eſſet?
*i* *Heb. ad ſuperiores nubes.*
[25] i. firmiores quàm hæc inferiora ſint.
[26] i. pellucidos.
[27] i. redit ad compellandum conſcientiam Ijobi, atque ita dehortatur ne amplius obloquatur Deo, argumento per hypotheſin ſumto à perſona ſua. q.d. patronum optaſti; ego ſpopondi fidem meam ad juſtificandum te, ſi quid poſſum, ſup. 33.32. ſed non video omnibus expenſis quid præſtare poſſim.
[28] mentis.
[29] i. putas-ne fieri poſſe ut vadetur mecum, & cauſæ iſtius cognitionem ſuſcipi jubeat?
[30] i. cauſa experiretur contra illum.
[31] Confirmatio ſuperioris propoſitionis per comparationem minoris: nemo poteſt (inquit) adverſis oculis nitidum ſolem contueri, quis ergo ferat præſentiam majeſtatis Dei?
[32] κατ' ἐξοχὴν, i. Solem, ex uſu Arabum: atque ex eo quoque Ægyptiis appellatur Orus.
[33] i. Aquilonares ventos, qui diſpellunt nubes, ut ſup. v. 8.
*k* *Heb. auri lux, repetitum ex ſuperiore verſu.*
[34] Concluſio orationem (ut rhetores vocant) efficiens κυκλοειδῆ, nam paulum mutatis vocibus repetit eamdem propoſitionem quæ habetur ſupra 36.5.
[35] i. quamvis ſit potentiſſimus: tamen homines à ſe creatos tanti facit, ut non utatur omnipotentia ſua ad eos ſummo jure ac pro merito ipſorum affligendos.

23 [36] Idcircò reverentur eam mortales:
37 non reſpectat ullos ſapientes *l* animo.

[36] nimirū quod potentiſſimus Deus omnia judicia temperat ſua miſericordia: alterum membrum concluſionis de officio bonorum in Deum miſericordem, ad quod Ijobum generali hoc documento provocat. [37] hoc eſt, non propter illos, aut propter ullam præſtantiam quæ inſit in illis; ſed propter nomen ſuum, etiam ſapientiſſimorum inter homines miſeretur; ſive (uno verbo) ad ſe, non ad illos reſpicit, quum miſericordia utitur in filio dilectionis ſuæ. [l] *Heb. corde.*

## Caput XXXVIII.

*Deus Ijobum increpans, ac velut in aciem provocans evincit de ſapientia, potentia, & bonitate ſua argumentis creationis & adminiſtrationis univerſæ atque ſingularis in res creatas omnes, cælo, aere, terra, mari, & abyſſo: quam ob rem Ijob interrogatus à Deo, cedit auctoritati ejus, & ſe inferiorem cauſa confitetur.*

1 TAndem reſpondit Iehova Ijobo [1] è turbine, [2] dicens:
2 [3] Quis *eſt*, qui obtenebrat conſilium ſermonibus inſcitè?
3 [4] Accinge nunc ut vir lumbos tuos; & *quod* interrogabo te, notum fac mihi.
4 [5] Ubinam eras quum fundarem terram? indica, ſi noviſti intelligentiam.
5 [6] Quis diſpoſuit menſuras ejus; [7] quandoquidem ſcitus es? aut quis extendit in ea regulam?
6 Cui rei baſes ejus demerſæ incumbunt? aut quis jecit lapidem angularem ejus,
7 [8] Quum canerent ſimul ſtellæ [9] matutinæ; & [10] *cui* vociferati ſunt omnes [11] filii Dei?
8 [12] Aut *quis* occluſit [13] valvis mare; [14] quum ederem ipſum *tamquam* è vulva exiens?
9 [15] Quum ponerem nubem indumentum ejus: & caliginem cunabula ejus?
10 Quum [16] diffregi pro eo *terram* decreto meo; & appoſui vectem & valvas;
11 Dicens, hucuſque venies, & ne procedito: &, hîc opponet ſe *litus* ſuperbiæ fluctuum tuorum?
12 [17] An *a* unquā præcepiſti matutino tempori? notum feciſti auroræ locum ſuum,
13 Ut [18] carperet *b* oras terræ, [19] quum excutiuntur improbi ex ea?
14 Ut ea [20] mutata ſicut argilla [21] ſigillari; [22] ſiſterentur *illi* velut indumento *obducto*?
15 [23] Ut prohiberetur ab improbis lux eorum; & brachium elatum frangeretur?
16 [24] Perveniſtí-ne uſque ad profunditates maris; aut in penetrali abyſſi inambulaſti?
17 An revelatæ ſunt tibi [25] portæ mortis; aut portas umbræ lethalis vidiſti?
18 Conſideraſtí-ne uſque ad latitudines terræ? indica, ſi noſti eam totam.
19 Quánam via *itur ubi* habitat lux: & tenebrarum ubi *eſt* locus?
20 [26] Quum perceperis horū unumquodque [27] *uſque* ad terminum ſuum; & quum intellexeris [28] ſemitas domus ejus:
21 Noveris te [29] jam tum natum fuiſſe; & numero dies tuos eſſe multos.
22 [30] Perveniſtí-ne ad theſauros nivis? aut *in* theſauros grandinis inſpectionem habes?
23 [31] Quæ cohibeo [32] ad tempus anguſtiæ; ad diem conflictus & belli.
24 [33] Quænam *eſt* via, *qua* in partes diſſilit [34] lux; diſpergente Euro ſuper terram?
25 Quis dividit [35] inundationi aquæductum? & viam nimbo *c* ſonoro?
26 Demíttendo pluviam in terram vacuam viro; *in* deſertum in quo non *eſt* homo:
27 Ut ſatiet vaſtatum & pervaſtatū *locum*, efferatque productionem teneræ herbæ?
28 [36] Eſt-ne pluviæ [37] pater? aut quis genuit guttas roris??
29 E cujus utero egreſſa eſt glacies? aut pruinam cæli quis genuit?
30 [38] Tamquam lapide aquas abſcondentes ſe; quum ſuperficies abyſſi concreſcit?
31 An [39] conſtringes delicias Pleiadum? aut [40] lora Orionis diſſolves?
32 Educés-ne [41] remotiora ſigna *quodque* tempore ſuo? aut Arcturum [42] cum filiis ſuis duces?
33 An cognoſcis de ſtatutis cæli? an [43] diſponere potes dominatum ejus in terra?
34 An attollere potes ad denſam nubem vocem tuā; ut affluentia aquarum [44] tegat te?
35 An emittere potes fulgura ut abeant? an dicent tibi, ecce nos?
36 [45] Quis indidiſſet præcordiis ſapientiam? aut quis dediſſet menti intelligentiam?
37 Quis [46] ſapphirinas efficit nubes ſapientiâ? & [47] utres cæli quis proſternat,
38 [48] *d* Ut perfuſio ſit fermentandæ terræ; ut conglutinentur glebæ?

[1] tum ad majeſtatem ſibi & verbo ſuo comparandam; tum ad deprimendū & humiliādum animum Ijobi, ut Jechez. 1. 14. [2] Hujus orationis partes ſunt, Exordium, 2. & 3. ✠. Confutatio, uſque ad cap. 39. verſ. 34. & Concluſio dialogiſtica. [3] Exordii locus prior ἐκ τῆς τοῦ φρονήματος διαβολῆς, i. ab Ijobi qui ſermonem habuerat, reprehenſione: cujus reprehenſionis argumenta ſunt duo, unū, quòd in toto ſermone ſuo imperitè & ſine conſilio ſenſa animi ſui effundit; alterū, quod etiam cōſilium Dei obſcurare nititur. [4] alter locus exordii, propoſitio ſive provocatio Ijobi ad ſermones conferendos; quid toties antè poſtulaverat: agedum Ijobe, (inquit Deus) ſi potes, accinge, id eſt, compara & confirma te: metaphora à certaminibus corporeis. [5] Confutatio ſermonum Ijobi, quibus adverſus Deum contenderat, erotematicè Ijobo proponitur, ut copia dicendi facta reſpondeat. Sunt autem tria in hoc capite confutationis argumēta: primum, à comparatione æternitatis Dei cum breviſſimo ac recente Ijobi tempore, quo uſus erat Eliphaz ſup. 15. 7. ſed ratione diverſiſſima; ſecundum, à tenuitate notitię & ſcientiæ Ijobi. hoc ✠. tertium, à comparatione operum Dei cum Ijobi infirmitate, cæteris ✠. huius & ſeq. cap. [6] tertium genus argumentorum ab operibus, partim creationis & adminiſtrationis univerſæ, toto hoc capite; partim ſingularis adminiſtrationis animantium, cap. ſequent. Hîc autem primus locus eſt à creatione & conſtitutione terræ, uſque ad ✠. 7. metaphoricè enunciatus à comparatione architectonica. [7] Ironia. [8] Secundus locus ἐκ παρέργου adductus occaſione præcedentis loci, à creatione corporum & ſpirituum cæleſtium: vide ſup. 7. 3. [9] i. lucidæ. [10] i. cujus laudes prædicârunt ſuę & aliorum creationis nomine. [11] i. angeli, ut ſup. 1. 6. [12] tertius locus à creatione & conſtitutione aquarum. [13] de quibus inf. 10. & 11. v. [14] uno momento ad mandatum Dei ex theſauro potentiæ ejus, ut fœtus ex utero. [15] i. mare aliis aquis, tāquam veſtitu & faſciis patrum, circumtegerem: elegans allegoria. [16] i. alveos ejus, velut cunas, exaravi & circummunivi. [17] quartus locus, à conſtitutione lucis & tenebrarum. [a] *Heb. à diebus tuis, ut ſup. 27. 6.* [18] i. exoriens totam terram perluſtraret: ſynecdoche. [b] *Heb. alas.* [19] deſcriptio lucis ab effectis, hoc & ſeq. verſ. Improbi autem matutino dicuntur propterea excuti, quòd fugiant lucem: unde antegreſſa illa proceſſit allegoria, ſup. 34. 25. [20] i. poſtquam novam faciem induit, quæ priùs per noctem tota fuerit atra. [21] ſicut argilla figuli, ſuis operibus, coloribus, cælaturiſque variis, ſic terra multiplicibus bonis exornata conſpicitur. [22] i. cohiberentur improbi à pergendo & ſceleribus ſuis promovendis, tamquam ſi obvolverentur panno vultus aut pedes ipſorum: ut ſequens verſus ampliùs explicat. [23] à fine. q. d. an ſi unquam fuerunt coercendi mali, potuiſti vel tantillum accelerare lucem: ut deprehenſos, luce ſua, i. vita rebuſq́; omnibus, quarum nomine illuſtres habentur, eos ſpoliares? [24] quintus locus ab amplitudine per humanam artem impervеſtigabili, primùm quidem: maris, his duobus verſib. deinde terræ, ✠. 18. poſtremò cæli, ✠. 19. [25] profundiſſimæ abyſſi illius, in quas natura hominum viva penetrare non poteſt: vide ſimile ſup. 28. 3.

[26] ironica conceſſio, profecta à ſpōſione quæ habetur ſup. v. 3. ſic Jeſcha. 29. 16. & infr. 40. 9. [27] i. planè & ſine exceptione. [28] i. quibus in ſtationem ejus perveniatur. [29] videlicet quum fundata eſt terra, cæteráque effecta quæ ſupra dixit Deus. [30] hactenus argumenta creationis: ſequuntur alia ab operibus adminiſtrationis: ut ſup. ver. 5. obſervatum eſt. primus autem locus eſt à procellis ſingularibus, uſque ad v. 28. perveniſtine, inquit, id eſt, habesne adminiſtrationem, & curator iſtorum inſtitutus es? metaphora ſumta à quæſtoribus ærarii. [31] i. quorū procurationem adminiſtrationēque reſervavi mihi. [32] i. ad quodcūque tempus mihi viſum fuerit: ſynecdoche. nominatim autem calamitatum meminit, ut oſtēdat ſibi præſentiſſima eſſe inſtrumenta, quibus contumaces retundat. [33] i. qua ratione fiunt coruſcationes, fulgura, procellæ, ventorum concertationes, niſi per me? [34] vide ſuprà 37. 2. [35] i. quis facit ut procelloſa nubes è cælo exundans, modò huc, modò illuc erumpat; tamquam à certis aquæductuum emiſſariis? ſimili argumento utitur Hamos 4. 7. & 8. [c] *Heb. vocum.* [36] ſecundus locus, ab eo adminiſtrationis genere quod magis ordinarium eſt in natura rerum; ut ſunt pluvia & ros, hoc verſu; gelu, pruina, & frigus, duob. ſequentibus; tem. eſtates anni per ſua ſigna diſtributæ. 31. 32. & 33. & ſic deinceps. [37] præter me, & ſic deinceps. [38] i. glaciem lapideſcentem. [39] i. cohibebis Pleiadas, ne vernent & ſuas delicias proferant: vide ſup. 9. 9. [40] i. quaſi ductarios funes illius adimes, quibus imbres, tempeſtates ac frigora ſolent ſecum advehere? [41] i. meridiana, ab aſpectu noſtro magis remota. [42] i. ſignis borealibus. [43] i. an cæli curſum & effecta in inferiora moderari potes? quæ inſtituerat Deus Gen. 1. 14. & ſeq. [44] i. tibi miniſtret irrigationem, quum & quantum voles. [45] i. unde habuiſſes iſta? [46] i. quis adeò ſerenat cælum, ut ſpeciem reddat ſapphiri? [47] i. nubes, velut in utres digeſtas, exoneret? [48] i. terram, quum pulverulenta eſt ab ariditate, immiſſis pluviis fermentet ad glebarum compagem, & rerum ex ea naſcentium alimentum? [d] *Heb. fermentationi pulveris ad perfuſionem.*

## Caput XXXIX.

1 [1] AN venari potes immanibus leonibus prædam? aut catervam juvenum leonum explere potes?
2 [2] Quum incurvant ſe in atriis ſuis; conſident in tugurio ad inſidias?
3 Quis comparat [3] corvis *a* eſcam ipſorum, quum pulli eorum ad *Deum* fortem [4] vociferantur; aberrantibus *b* penuria cibi?
4 [5] Poſſis ne [6] noſcere tempus quo pariunt rupicapræ? *quo* enituntur cervæ, obſerves?

[1] tertii generis (ut diximus ſupra in 38. 5.) ſecunda argumentatio, ab adminiſtratione ſingulari animantiū terreſtrium & volatilium. Eſt autem in his verbis primum exemplum generis voraciſſimi & famelici, leonum in quadrupedibus, & corvorum in volatilibus; de ratione ſubminiſtrandi eis alimentum. [2] vide Pſalm. 10. 9. [3] ſua, & pullorum cauſa ſollicitis. [a] *Heb. viaticum.* [4] i. in ſuo nido crocitant, Deum ſuo modo inclamantes, [b] *Heb. propter non cibum.* [5] ſecundum exemplum, à cura & adminiſtratione partus, ſilveſtrium maximè & perniciosiſſimorum animantium. [6] id eſt, partum iſtarum moderari ſuo tempore? ut ſupra 38. 33. ſic ſequentia omnia verba per ſynecdochen: pro eo quod eſt, totam adminiſtrationem earum obtinere.

Nume-

5 Numeres menſes *quos* complent? noſcas
tempus partus earum?
6 Ut [7] incurvent ſeſe, pullos ſuos edendo
[8] diſſecent ſe: [9] dolores ſuos emittant?
7 [10] Revaleſcant nati earum, creſcant per
agrum: egreſſi non revertantur ad eas?
8 [11] Quis dimiſit ferum animal liberum: &
[12] lora onagri quis ſolvit?
9 Cui diſpoſui campeſtria *pro* domo ejus;
& *pro* habitaculis ejus ſalſuginoſam *terram*.
10 Ridet multitudinẽ urbis; fragores ex-
actoris non exaudit.
11 *c* Exploratum in montibus eſt paſcuum
ejus: & poſt omnem viriditatem inquirit.
12 An volet unicornis ſervire tibi? perno-
ctabítne ad præſepia tua?
13 An ligares unicornem ad *d* arationem
denſo fune ejus? occarétne convalles poſt te?
14 An fides ei, quia multa eſt vis ejus? aut
relinquas ei laborem tuum?
15 Credéſne ei relaturum eſſe ſementem
tuam; & *in* aream tuam collecturum?
16 [13] Alám-*ne* pavonum exſultabundam; an
pennam ciconiæ, aut ſtruthiocamelo *dares*?
17 Qui relinquit terræ ova ſua: & in pulve-
re calefacit ea:
18 Oblitus pedem compreſſurum eſſe illud;
& beſtiam agreſtem proculcaturam illud.
19 *Deus* [14] *e* torrefaciens excludit pullos e-
jus *f* alienâ operâ; propter vanitatem laboris
ejus *g* ex incuria:
20 Quia *h* deſtituit eã Deus ſapientia; ne-
que impertiturus eſt ei iſtam intelligentiam.
21 Quo tempore in excelſum extollit ſe;
[15] ridet equum & ſeſſorem ejus.
22 [16] Daréſne equo robur? an indueres col-
lum ejus [17] tonitru?
23 An tremefaceres eum ſicut locuſtam?
gloriam ronchi ejus terrore?
24 Fodiunt *pedes* in cõvalle, & lætatur præ
virtute; prodiens obviam armis.
25 Ridet pavorem, neq; conſternatur; neq;
revertitur metu gladii;
26 Contra ſe ſonante pharetra; ſplendente
haſta & lancea.
27 In fremitu & cõmotione fodit terram,
neque conſiſtit firmus, quũ ſonus tubæ *editur*:
28 Ad ſonum tubæ dicit, Ha ha he, quum
è longinquo odoratur bellum; tonitru princi-
pum, & vociferationem.
29 An ex intelligentia tua pennis utitur
accipiter? [18] pandit alas ſuas verſus auſtrum?
30 An *i* ad præſtitutum tuum [19] altum pe-
tit aquila? an certè attollit nidum ſuum?
31 Rupem inhabitat & immoratur; in ſco-
pulo rupis & munitione:
32 Unde perveſtigat cibum; in longinquum
oculis ejus intuentibus.
33 Etiam pulli ejus ſorbent ſanguinem; &
|| ubi ſunt confoſſi, ibi eſt.
34 [20] Deinde reſpondens Jehova Jiobo, di-
xit:
35 [21] Satíſne? contra omnipotentem contu-
macem eſſe *quemquam*? [22] increpator Dei reſ-
pondeat ad iſtud.

[7] ad partum. q.d. túne efficis ut cervæ, quę alioquin ægerrimè eſſent pariturę, commodiùs pariant? nam antè partum purgantur herba quadam quæ ſeſelis dicitur, faciliore ita utentes utero, inquit Plin. lib. 8. cap. 32.
[8] i. dilatent naturalia: ſynecdoche.
[9] i. doloribus partus liberentur ejecto involucro partus, aro & ſeſeli depaſtæ: Ariſtot. lib. 9. de hiſtor. animal. cap. 5. & Plin. ibidem.
[10] ab anguſtiis & difficultatibus partus, quibus fracti ſunt.
[11] tertium exemplum commune ferarum omnium; ab immãſueta eorum natura quam ſolus moderatur Deus; quo in genere duo ſingularia exempla adducit, onagri, uſque ad ver. 12. & unicornis uſque ad verſ. 16.
[12] i. quis indidit ei ferociam & impatientiam jugi?
c Heb. exploratio montium.
d Hebr. porcam, ſynecdoche: nam ſulcus, porca & lira ſunt arationis partes.
[13] quartum exemplum, ab ornatu volatiliũ, & provida adminiſtratione ſtudioſiſſimorũ animalium, à ſtruthiocameli exemplo, uſque ad ver. 21.
[14] i. ſolis æſtu fovet ova quæ ſtruthiocamelis in arena poſuerat, donec excludantur pulli.
e Heb. torrefacit pullos.
f Heb. per non ejus.
g Heb. non pavore. i. ſollicitudine.
h Heb. fecit ut oblivīſceretur.
[15] altitudine & celeritate ſuperat. Ariſtot. de partibus animalium lib. 4. in fin. & Plin. principio lib. 10. humanitùs dictũ, ut ſup. ver. 10. ſic deinceps.
[16] quintum exemplum à robore & nobilitate, primùm equi, uſque ad ♈. 29. deinde accipitris & aquilę.
[17] i. hinnitu vehementiſſimo, quia fremitus gravitate cum tonitru comparatur. eſt autem his verbis elegantiſſima deſcriptio generoſi equi, qualem Græci φρυαγματίαν velut fremebundum vocant. [18] i. in Auſtralem plagam avolat hiberno tempore, Plin. lib. 10. cap. 8. i Heb. ſecundum os. [19] exempla aquilarum de variis earum generibus ſunt accipienda: vide Plin. lib. 10. cap. 1. || *Matth. 24. 28.*
[20] Concluſio dialogiſtica, ut obſervatum eſt in ♈. 1. [21] reprehenſio quaſi indignantis in Ijobum, duobus argumentis; à firmitate ſuperiorum argumentorum quæ expoſuit Deus, & à comparatione hominis cum Deo.
[22] Conceſſio ejus quod petierat ſup. 31. 22. qua Ijobum ad ſecundas agendas ſi volet, provocat; ſed indefinitè, q.d. quiſquis fuerit.

36 Itaque reſpondens Ijob Jehovæ, dixit:
37 [23] En, vilis ſum, [24] quid reſponſarem tibi:
[25] manum meam appono ad os meum.
38 Semel loquutus ſum; ſed non reſponde-
bo: aut iterum; ſed non pergam.

[23] Confeſſio Ijobi ſingularis ad ſuperiorem propoſitionem Dei. non autem integra, ut fuit poſtea inf. 42. 1. En (inquit) vilis ſum: reſpicit ad ſecundum argumentum, ſe ipſum cum Deo comparans: κατ' ὑστέρωσιν. [24] ſubjectio ad prius argumentum, qua exponit Ijob ſe acquieſcere ſuperioribus dictis Dei. [25] ut ſup. 21. 5.

## CAPUT XL.

*Deus Jiobum reprehendit, docens non ſatis eſſe ut deſiſtat de cauſa, niſi gloriam omnem ipſi tribuat: propterea in ſuperiore argumento pergens, juſtitiam & omnipotentiam ſibi duobus illuſtriſſimis exemplis vindicat.*

1 ITaque reſpondens Jehova è turbine Ijo-
bo, [1] dixit:
2 [2] Accinge nunc ut vir lumbos tuos: quod
interrogabo te, notum fac mihi.
3 [3] An etiam irritum facies judicium meum?
condemnabis me, ut juſtus ſis?
4 [4] Aut an brachium ut *Dei* fortis eſt tibi?
& voce ut ipſe intonabis?
5 [5] Orna *te* jam excellentia & ſublimitate;
gloriáque & decore indue te.
6 [6] Diſperge indignationes iræ tuæ; & aſpi-
ce quicquid eſt excellens, ac dejice illud.
7 Aſpice quicquid eſt excellens, deprime
illud: & contende improbos [7] loco ſuo.
8 [8] Abſconde eos in ipſo pulvere pariter;
faciem eorum obliga in abſcondito.
9 [9] Tunc etiam ego celebrabo te; quòd ſer-
vet te dextera tua.
10 [10] Jam ecce elephantem quem feci [11] te-
cum; *qui* [12] fœnum ut bos comedit:
11 Ecce jam, *inquam*, vis eius [13] in lumbis e-
jus *eſt*: & robur ejus in *a* umbilico ventris ejus.
12 Arrigit [14] caudam ſuam [15] ſimilem cedro:
[16] nervis teſtium ipſius in ramos abeuntibus.
13 [17] Oſſa ejus *ſunt* viribus chalybeis; artus
ejus vecti ferreo ſimiles.
14 [18] Huic primario operi viarum Dei for-
tis; qui fecit ipſum, adhibuit gladium ipſius;
15 [19] Quamvis proventum montes profe-
rant ei; & omnes beſtiæ agri [20] ludant ibidem.
16 Sub umbroſis cubat; in [21] occulto arun-
dinum & cœni:
17 Tegunt eum umbroſa, *quodque* umbra
ſua; cingunt ipſum ſalices torrentis.
18 En [22] comprimit flumen, *ut* non feſtinet:
confideret ſe editurum eſſe Jardenem *ingreſ-
ſum* in os ſuum.
19 *An* [23] in oculis ejus capiet eũ *quiſquam*:
[24] tendiculis perforabit naſum?

[1] Hujus ſecundæ reſponſionis argumentum cum priore cõmune eſt: Finis, ut Ijob ad ampliorem & integram prædicationem glorię Dei & infirmitatis ſuæ profeſſionem adducatur. Partes verò ſunt, Exordium, verſ. 2. ἔκθεσις ſive propoſitio reprehenſionis, à v. 3. uſque ad 10. Et confirmatio à duobus ſingularibus exemplis, à 10. verſ. uſque ad finem cap. 41.
[2] Exordium, ut ſup. 38. 3.
[3] Propoſitio reprehenſionis Ijobi, quod imperfectam adhuc confeſſionẽ edidiſſet: quamobrem eo nomine illũ reprehendit Deus, quod planè ſibi injuria fieret, niſi apertè Ijob rem totam confiteretur. Hoc autem docet primùm abſurdo, docens abſurdum eſſe ut taceat Ijob, poſtquam innocentiam ſuam defendit, & de judicio Dei conqueſtus eſt, dein de ἐκ τοῦ ἀδυνάτου, ♈. 4. Senſus eſt, nondum revocabis quod anteà de meo judicio expoſtulâſti?
[4] ſecundum argumentum ab impoſſibili per comparationem potentiæ Ijobi cum potentia Dei. [5] amplificatio ſynchoretica, ſive (ut loquuntur) conceſſiva utriuſque ſuperioris argumenti de juſtitia & potentia, q.d. experire jam potentiam tuam, & juſta judicia exerce (ſi potes) ea forma, majeſtate, atque efficacia qua exercet Deus, deniq; Deum age.
[6] i. iram tuam graviſſimam momento uno longè latéque in omnem præſtantiam diffunde. [7] id eſt, ubicunque locorum ſint, ita ut non ipſi coram te hic ſiſtantur, ſed potentia tua pervadat ut potentia Dei. [8] id eſt, tolle omnes, & perpetua oblivione ſepeli. [9] ironia, ut ſup. 38. 20. [10] Confirmatio à duobus exemplis, primùm elephantis, uſque ad finem capitis: deinde balænæ in mari cap. 41. [11] id eſt, inter terreſtria, ut tu es. [12] id eſt, rebus è terra naſcentibus paſcitur; non autem ut feræ, raptis; ſynecdoche. [13] id eſt totus robuſtiſſimus eſt supernè & infernè. a *Hebr. in umbilicis.* [14] id eſt penem, κατ' εὐφημισμόν. [15] id eſt, ingentem, hyperbole; etſi non pro reliqui corporis magnitudine magna eſt, ut res ipſa docet. [16] id eſt, qua ſemen à teſtibus, qui longius à cauda abſunt, per cremaſteras velut protenſos ramos ad penem demittitur: nam teſtes elephanto non foris conſpicui ſunt; ſed intùs circa renes conditi, teſte Ariſtot. lib. 2. de natura animalium, cap. 1. [17] i. ſunt firmiſſima.
[18] i. hoc tantum ſpecimen admirabilium Dei operum armavit Deus manu ſive proboſcide; quaſi gladio validiſſimo. [19] i. terræ naſcentibus paſcatur, nec armis in aliorum animantium perniciem abutatur, ut quæ veſcuntur rapto.
[20] ſecuræ ab eo. [21] i. ripas accolit plurimùm, ubi hæc creſcunt: Ariſtot. li. 9. de hiſtoria animal. cap. 46. & Plin. lib. 8. cap. 10. [22] i. amnem in quo ſe abluit, præ mole corporis avertit & obſiſtit ei, quod ſequentia per hyperbolen explicant. [23] i. apertè, ac non inſidiis ſtructis: vide Plin. lib. 8. cap. 8. & 9. quibus inſidiis capiantur.
[24] id eſt, hamis vel uncis in naſum injectis, ut fit piſcibus: ita tranſitio fit ad alterum genus aquaticum, de quo 41. capite.

## Caput XLI.

1 [1] AN extrahas balænam hamo; aut fune
*quem* demerſerit lingua ejus?
2 [2] An appones [3] juncum naſo ejus: aut [4] ſpi-
na perforabis maxillam ejus?
3 An multis utetur apud te deprecationi-
bus? aut alloquetur te mollibus?
4 An panget fedus tecum? aſſumes eam
ſervum *a* perpetuum?
5 Ludéſne ea tamquam avicula? aut ligabis
eam pro puellis tuis?
6 [5] Apparabúntne convivium propter eam
ſocii? [6] divident eam inter mercatores?
7 [7] An implebis *b* harpagonibus cutem e-
jus? aut fuſcina piſcaria caput ejus?
8 [8] Pone ſuper eam manum tuam: [6] memi-
niſſe belli ne pergito.
9 En ſpes ejus *capienda* mendax eſt: an et-
iam ad aſpectum ipſius *hominis* dejicietur?

## Caput XLI.

10 [10] Non *eſt* ferox, qui excitet eam: [11] quis
ergo eſt, *qui* ſiſtat ſe coram me?
11 ‖ Quis prævenit me, & rependam? *quic-
quid* ſubeſt toti cælo, meum eſt.
11 [12] Non ſilebo membra ejus; & ſermonem
de viribus, & gratia diſpoſitionis ejus.
13 [13] Quis retegit ſuperficiem veſtis ejus: cum
*c* geminis habenis ſuis quis accedat?
14 [14] Fores faciei ejus quis aperiat? circa
dentes ejus *eſt* terror.
15 [15] Excellentia, viribus ſcutorum; circum-
cluſa *eſt* [16] ſigillo arctiſſimo.
16 Unum alteri tam propè ſunt; ut ventus
non poſſit intervenire illis.
17 *d* Quodq; proximo ſuo cohærent; conti-
nentia ſunt ita ut non ſejungantur.
18 [17] Sternutationibus ejus ſplendet lux; &
quidē oculorū ejus, velut [18] palpebræ auroræ.
19 [19] Ex ore ejus *velut* tædæ prodeunt; ſcin-
tillæ ignis proripiunt ſeſe;
20 E naribus ejus prodit fumus; [20] ut aheni
ferventis & cortinæ:
21 *Quaſi* halitus ejus carbones incenderet;
& flamma ex ore ejus prodiret.
22 In collo ejus commoratur robur; & an-
te eam [21] exſilit mœror.
23 [22] Melandrya carnis ejus cohærent: fir-
ma *eſt* in ſe, non dimovetur.
24 [23] Cor ejus firmum *eſt* ut lapis; firmum,
inquam, ut fragmen *e* metæ.
25 Ab excellentia ejus timent fortes: [24] me-
tu confractionum ſe purgant.
26 [25] Aſſequentis eam [25] gladius non conſi-
ſtet; haſta, telum, aut lorica.
27 Reputat ut paleam ferrum; ut lignum
putre chalybem.
28 Non fugat eam *f* ſagitta, in ſtipulam con-
vertuntur ei lapides fundæ.
29 Ut ſtipula reputantur balliſtæ *lapides*,

[1] ſecundum exemplum, ut obſervatum eſt ſup. 40. 10. quo ait, An extrahas, i. poteſne capere ſive vi, 7. verſib. ſive fraude, verſ. 8. & ſeq. ut piſces alios?
[2] i. poteſne retinere captam?
[3] i. conſtringesne inſerto junco, ut piſcator minutos piſces?
[4] i. unco piſcatorio.
*a* Heb. *ſeculis*.
[5] i. an de captura ejus piſcatores læti conviventur, eamque ſibi vendicare poſſunt? hîc enim agitur de captura ab hominibus arte, labore atq; induſtria facta.
[6] i. an unquam redemtores, qui condicto piſcatoribus pretio capturas in adverſionem comparant, ſibi hoc nomine gratulati ſunt capturam dividentes?
[7] i. an injectis in cutem ejus cōfertim harpagonibus, poteris eam in litus trahere?
*b* Heb. *ſpinis*.
[8] i. demulce eam, & blanditiis experire utrùm ea potiri poſſis.
[9] i. pacem tibi eſſe cum ea ſimulato: alter modus, ut diximus in verſ. 1.
[10] ſuperiorum exemplorum ἀπόδοσις, ſive accommodatio ad præſentem cauſam.
[11] accommodationis argumenta ſunt, à potentia, hoc verſu; atque à juſtitia & jure, verſ. 11.
‖ *Rom.* 11. 35.
[12] regreſſio ad explicationem amplitudinis, quæ in balæna eſt.
[13] i. quis poteſt illam è mari in ſiccum adducere, & nudam ſiſtere coram hominibus: ſic deinceps per gradationem: retectam quis frænet, &c.
*c* Heb. *cum duplo habenarum*.
[14] i. maxillas ad inſerendum frænum, quæ ita aperiuntur ut ingentes portarum valvæ.
[15] i. præſtantiſſimis & duriſſimis ſquamis, quæ forma & uſu ſunt balænæ ſcuta: hypallage rhetorum. [16] quod duo ſequentes verſus explicant. *d* Heb. *vir cum fratre ſuo*. [17] i. quum natans anhelat, & obviarum undarum turbines volvit, tum retecti oculi illius ferè emicant. [18] hyperbole, quæ etiam frequens eſt verſibus ſequentibus: de hac autem venuſtiſſima tralatione vide ſup. 3. 9. [19] i. tam ingentes fumos ore & naribus efflat, ut maximum intùs incendium factum diceres. [20] i. ita in ſublime nimbos efflat, ut fervens olla aut cortina bullas. [21] i. mœrore afficit omneis obvios, ac ſi de illis triumphans exſultaret mœror effectus ab ipſa: humanitùs dictum. [22] i. caro ejus ſolida eſt, neque in melandrya ſive partes aſſulatim diſſilit, ut aliorum piſcium caro nam melandrya vocantur illa membra, cæſis quernis aſſulis ſimillima, Plin. li. 9. ca. 11. Senſus eſt, corpore & corde eſt validiſſima, hoc & ſeq. ỽ. [23] i. fortis & intrepida eſt. *e* Heb *inferioris molæ*. [24] i. metu periculi inſtantis & horrore expiant animos & purificant ſe confitentes Deo ac fidei ejus ſe committentes, ἐργασία fortitudinis quam propoſuerat ſuperioribus v. [25] ἐργασία ſive amplificatio roboris quod propoſuerat v. 22. & 23. per hyſteroſin. [26] hoc eſt, omnia arma conterentur, ac nihil præſtabunt hæc uſque ad v. 3.. *f* Heb *filius arcus*.



& ridet ad vibrationem lanceæ.
30 [27] Subduntur ei *ut* acumina teſtacea,
ſubſternit [28] exciſum in luto.
31 [29] Fervefacit tamquam ollam profundū,
& mare diſponit ut mortarium unguentarii.
32 [30] Poſt ſe lucidam reddit ſemitam, puta-
ret *videns g* abyſſo canitiem eſſe.
33 Non *ſunt* in pulvere *h* comparanda ei,
quæ agant intrepidè.
34 Quicquid altum eſt, deſpicit, eſtque
regina ſuper omneis *i* feras.

[27] i. vibrati in eam lapides tamquam diffractæ teſtæ reſiliunt, & in profundum abeūt.
[28] i. ferrum cōminutim in profundum maris dejicit, ubi lutum eſt.
[29] i. totum oceanum turbat; vide Plin. lib. 9. c. 3. & 6.
[30] i. veſtigia in ſpatium aliquātiſper imprimit, tum quemdam velut ſulcum à tergo ducens, tum albentem ſpumam excitans vehemente agitatione ſua. *g* Heb. *abyſſum canitiei eſſe*.
*h* Heb. *comparare ei*. *i* Heb. *filios feræ, ut ſup. 28. 8.*

## Caput XLII.

*Ijob majeſtatem divinam & ignorantiam ſuam confeſſus, ſe docendum tradit Deo; & reſipiſcentiam ſuam proteſtatur: qua probata, Deus alios reprehendit, reconciliationis viam oſtendit, adminiſtro Ijobo; & huic omnibus modis benedicit.*

1 REſpondens verò Ijob Jehovæ, [1] dixit:
2 [2] Novi te omnia poſſe; *a* neque averti
te poſſe à cogitatione *perficienda*.
3 [3] Quis iſte eſt, *inquis*, qui occultat conſi-
lium inſcitè? idcirco [4] indico me non intelle-
xiſſe: [5] mirabilia ſunt ſupra me, adeò ut ne-
queam cognoſcere.
4 [6] Exaudi, quæſo, dum ego eloquar: quod
rogabo te, notum fac mihi.
5 [7] Auditione auris audieram *de* te: nunc
autem oculus meus videt te.
6 [8] Idcircò aſpernor [9] *illa*, atque pœnitet
me; [10] in pulvere & cinere.
7 Fuit autem poſtquam eloquutus eſſet Je-
hova verba iſta apud Ijobum; ut ediceret Je-
hova Eliphazo Themanitæ, accenſa eſt ira
mea in te & in duos amicos tuos, quia [11] non
eſtis loquuti de me rectè, ut ſervus meus Ijob:
8 Quam ob rem nunc ſumite vobis ſeptem
juvencos, ſeptemque arietes, & adite ſervum
meum Ijobum; [12] ut offerendum curetis holo-
cauſtū pro vobis, & ſervus meus Ijob oret pro
vobis: nam verè *b* perſonam ejus accipiam; ut
non afficiam vos *c* pœna flagitii, quia non eſtis
loquuti rectè de me, ut ſervus meus Ijob.
9 Itaque abeuntes Eliphaz Themanites, &
Bildad Schuchites, & Tzophar Nahamatites
fecerunt quemadmodum edixerat ipſis Jeho-
va: accepitq; Jehova perſonam [13] Ijobi.
10 Deinde Jehova reſtituit *d* [14] quod captū
fuerat Ijobo, quū oraſſet pro amicis ſuis; etiam
auxit Jehova quicquid fuerat Ijobi [15] duplo:
11 Et convenientes ad eum omnes cognati
ejus, & omnes cognatæ ejus, & omnes famili-
ares ejus anteà, comederunt cum eo cibum in
domo ejus; & condolentes ei cōſolati ſunt eū,
de toto illo malo quod induxerat Jehova ſu-
pra eum; ac [16] dederunt ei quiſque [17] numum
unum & quiſque monile unum aureum.
12 [18] Jehova ergo benedixit fini Ijobi ma-

[1] Hujus reſponſionis partes ſunt duæ: Propoſitio ὁμολογητικὴ, ſive cōfeſſoria, & Petitio.
[2] Propoſitionis iſtius partes ſunt duæ; confeſſio omnipotentiæ & efficacitatis conſiliorum Dei, verſ. 2. & confeſſio ignorantiæ, cujus nūc demùm Ijob ſe conſciū agnoſcit. verſ. 3.
*a* Heb. *neque averti à te poſſe cogitationem*; *hypallage, ut Gen.* 11 6.
[3] ſup. 38. 2. ſic exponit tacitè ſe eum eſſe, qui obmurmuraverit Deo.
[4] q. d. fateor me peccaſſe; ſed ignorans feci.
[5] cogitationes & cōſilia tua, quæ non tantùm antehac, ſed etiam nunc ſuperant captum meum: ita viam ſternit ad precationem ſequentem.
[6] Petitio cujus partes ſunt duæ; una, ut Deus hominem ſuæ infirmitatis conſcium non aſpernetur; altera, ut ignorantē & conſulentem doceat.
[7] confirmatio petitionis duobus argumentis, à beneficio Dei erga ſupplicem, & à ſeria ejus reſipiſcentia. beneficium autem Dei duobus gradibus exponitur, hoc verſ. quod Deus audiendum & videndum ſe ipſi præbuerit.
[8] quia beneficium illud antè acceptum, quum audiviſſem te prædicari; nunc demùm altero cumulaſti, quòd te præſentem exhibes. [9] quæ videlicet cogitaveram & dixeram. [10] i. ex animo & ſtudioſiſſimè: quod illis externis ſymbolis ſignificabatur. [11] i. cauſam meam inique egiſtis, ut Ijob ſuprà expoſuerat cap. 13. [12] ut Ijob ſacerdotis partibus defungatur pro vobis, ſacrificio & precibus; ſic Malcitzedek, & Abraham ante datā Legem, Gen. 14 & 20. *b* Heb. *vultum ejus: ſic v.* 9. *c* Heb. *flagitio*. [13] ſacerdotio fungenti; nomine Chriſti Sacerdotis & victimæ ſempiternæ noſtræ, quem iſta figurabant. *d* Heb. *captivitatem Ijobi*. [14] i. incolumitatem corporis, bona, amicos, & liberos: quæ omnia fuerant ademta, ut ſequentibus verſibus exponitur. [15] i. quàm plurimùm: numerus finitus pro infinito. [16] i. quaſi redivivo atque de integro in priſtinam illam dignitatem ſuam & auctoritatem reſtituto, de qua ſup. 29. honoraria obtulerunt, ut eſſent tum amicitiæ, tum obſequii ſymbola: ſic enim viri principes munere ſalutabantur: ut 1. Schem. 10 27. & 2. Chron. 17. 5. vide Geneſ. 33. 19. [18] Regreſſio ad ſermonem interruptum, & propoſitionem κατάλογον enunciatam ſup. v. 12. Atque hæc omnia apertè demonſtrant hiſtoriam hanc revera fuiſſe geſtam: ut diximus ſupra in 1. 1.

gis quam principio ejus: nam fuerunt ei qua-
tuordecim millia pecudum; & ſex millia ca-
melorum, & mille paria boum, milleq; aſinæ.
13 Fuerunt etiã ei ſeptem filii & tres filiæ:
14 Quarum primæ indidit nomen Jemi-
mæ; nomen autem ſecundæ Kitzihę; & nomen
tertiæ Keren-Happuc.

15 Neque inveniebantur fœminæ pulcræ,
ut filiæ Jiobi in tota illa regione: quibus dedit
pater earum poſſeſſiones inter fratres earum.
16 Quumque vixiſſet Ijob poſteà centum
quadraginta annis; & vidiſſet filios ſuos, & [e]
nepotes ſuos quatuor generationibus;
17 Mortuus eſt Jiob ſenex, & ſatur dierum.

[e] *Heb. filios filiarum ſuarum.*

# PSALMI

## ARGUMENTUM.

Liber *Pſalmorum ſacras cantiones continet, quæ in Eccleſia vetere fuerunt conſcriptæ uſq; ad funeſta tempora Antiochi: ac propterea eſt quædã velut epitome veteris Teſtamenti, ſpeculũ gratiæ Dei, abſolutaq; hominis totius anatome; qua exponuntur omnis generis documenta, de promiſſionibus operibuſq; Dei gratioſis erga ſuos, ſeveris in adverſarios, & in omnes fidelibus: item de fide noſtra in promiſſiones ejus, de obſequio, de infirmitatibus, patientia, conſtantia, & liberatione noſtra in rebus adverſis, de legitimo bonorum uſu & gratiarum actione in rebus ſecundis, denique de toto officio noſtro erga Deum, & fide illius erga nos in Chriſto: de quo elegantiſſimæ & illuſtriſſimæ Prophetiæ habentur paſſim ad conſolationem & confirmationem Eccleſiæ.*

## PRIMUS LIBER PSALMORUM.

### Psalmus I.

*Virorum bonorum vita deſcribitur; denunciaturq; eis felicitas: malis verò infelicitas ex judicio Dei.*

Beatus [1] *eſt* vir ille, qui non am-
bulat in conſilio improborum, &
viæ peccatorum non inſiſtit; ac
in conſeſſu deriſorum non deſi-
det:
2 [2] Sed cujus oblectatio *eſt* in [3] lege Jeho-
væ; & *qui* de lege illius meditatur interdiu ac
noctu.
3 [4] Eſt enim ſicut arbor plantata ad rivos
aquarum, quæ fructum ſuum edit in tempore
ſuo, & cujus folium non decidit: [5] ideo quic-
quid faciet, proſperabitur.
4 [6] Non ita improbi *ſunt*; ſed [7] ſicut gluma
quam diſpellit ventus.
5 [8] Idcirco [9] non exſurgent improbi in [10] il-
lo judicio; aut peccatores in cœtu juſtorum.
6 [11] Nam [12] agnoſcit Jehova viam juſtorum:
at via improborum [13] peritura eſt.

[1] Pſalmus eſt ἀνεπίγραφος; generis didaſcalici; cujus partes ſunt: Propoſitio ver. 5. & Confirmatio ver. ultimo, Propoſitio duobus primis verſibus conſtitutionem bonorum explicat; exornat ſequẽt. Eſt igitur unicum hoc Pſalmo enthymema, cujus deſideratur propoſitio major: reliquæ ſyllogiſmi partes diverſo ordine proponuntur. Atq; hic ſyllogiſmus eſt: Beati quorũ viam agnoſcit Jehova & curat; Juſtorum autẽ viam agnoſcit ver. 6. Ergo juſti (qui circumſcribuntur 1. & 2. verſ.) beati ſunt. Cùm autem hæc ſit minoris propoſitionis ſumma, Bonos beatos eſſe; ideóque ſigillatim oſtenditur tum qui ſint boni, verſ. 1. & 2. tum quæ illorum felicitas, verſ. 3. Boni duobus modis deſcribuntur; primùm κατ' ἄρσιν, ſive ἀφαίρεσιν, quod abſint à malo, verſ. 1. deinde κατὰ θέσιν, quòd ſanctimoniæ hæreant, verſ. 2. Hoc autem verſu tres ſunt κλίμακες, ad perſonas, formas, & actiones perſonarum pertinentes. In perſonis cenſentur improbi, animo; peccatores, vita, & deriſores in utroque omnibus modis obfirmati. Formæ ſunt conſilium; animi: via, vitæ ſive inſtituti, & conſeſſus, denotans habitudinem. Actiones verò, ambulare ad certum aliquem finem, quod eſt conſilii, inſiſtere viæ, conſilio capto; & ſedere ac conquieſcere in conſilio & actionibus malis, obſtinatè, quum vir aut ſua ipſius malitia rapitur, aut aliena traducitur.

[2] altera bonorum deſcriptio, velut per correctionem ſuperiori juncta, q. d. beatus qui abſtinet à malo; ſi ſtudet bono; id eſt, ſi vera, viva, & ardente fide animum eò refert ut obſequatur Deo, cogitationes ſuas, ſermones, operáque conformans voluntati illius explicatæ Lege: ut Pſalm. 34. 15. & 37. 27.

[3] i. doctrina Dei, quæ ſola eſt omnis boni regula. [4] ſecundum membrum propoſitionis, deſcriptio felicitatis quæ viris bonis adjudicatur, exornata à ſimili, hoc verſu; & à contrario, duobus ſequentibus. A ſimili per comparationem arboris: nam tria ponuntur arboris attributa. 1. plantatio ſecundùm aquas; ſymbolum regenerationis & ſucci quem trahimus à Chriſto, nimirum juſtitiæ ejus habitantis in nobis. 2. fructuum productio; ſymbolum ſanctificationis vitæ ad gloriam Dei & commune bonum. 3. conſtans viriditas; ſymbolum perſeverantiæ. [5] Argumentatio eſt à ſimili in hunc modum: ut arbori bene radicatæ, educatæ, & firmæ, ita eſt viro bono: Arbor autem illa fecundatur: Ergo & viro bono ita futurum eſt. [6] Altera propoſitio exornationis à contrario, ſuperiori oppoſita, & ei ex adverſo reſpondens. [7] radice, ſucco, fructu, omníque viriditate carens: non autem ut arbor illa verſ. 3. [8] Exegeſis & accommodatio ejus quod dixerat de gluma, eam diſpelli vento, ad improborum ſtatum q. d. propterea quod ſunt inaniſſimi, privabuntur beatitate illa de qua v. 1. [9] ne ſublato quidem vultu ſe audebunt ſiſtere. [10] in beato illo & benedicto ſtatu qui adjudicatur juſtis, ſup. v. 1. denique in conſortio juſtorum coram Deo.

[11] Confirmatio; ſive ἀποδεικτικὴ cauſarum explicatio, ex quibus ſuperiora eventa bonis & malis ſigillatim certa ſunt. [12] id eſt, in rationes ſuas refert, probat, & curat Deus; ac proinde non perit bonorum via, ſed eos in optatiſſimum ſalutis portum Deus perducit in Chriſto. [13] id eſt, quia eam non approbat Deus, perit via ipſorum cum ipſis: ſynecdoche.

### Psalmus II.

*Impiorum conatus in regnum Chriſti; Dei ſecuritas & judicium in illos, regniq; Chriſti inſtitutio, amplitudo, firmitas, & effecta proponuntur: quam ob rem adverſarii ad fidem & reſipiſcentiam revocantur; exitiumq; reluctantibus denunciatur & obſequentibus ſalus.*

1 Quare [1] tumultuantur gentes: & nationes
meditantur [2] inane;
2 Siſtunt ſe reges terræ, & proceres conſul-
tant ſimul; contra [3] Jehovam, & contra [4] Chri-
ſtum ejus?
3 *Dicentes*, diſrumpamus [5] lora iſtorum; &
projiciamus à nobis denſos funes iſtorum?
4 [6] Sedens in cælis [7] ridet; Dominus ſubſan-
nat eos.
5 [8] Tunc [9] alloquetur eos in ira ſua, & in
æſtu iræ ſuæ perturbabit eos:
6 [10] *Dicet*, [11] atqui ego [a] inungens regem
meum, præfeci [12] Tzijoni [13] monti ſanctitatis
meæ.
7 [b] [14] Decretum enarraturus ſum: Jeho-
va dixit mihi, [15] filius meus es, ego [16] ho-

[1] Pſalmus eſt ἀνεπίγραφος, ut ſuperior, generis didaſcalici; quo theſis ſuperioris Pſalmi tum ad Davidẽ & regnũ ipſius accommodatur, velut Chriſti & Eccleſię typum; tum etiam propriè ad Chriſtũ & Eccleſiam. Partes autem illius ſunt tres; Propoſitio, ſive Exordium θαυμαστικὸν κατ' ἐρώτησιν, 3. verſib. Narrat. inde de à ver. 5. ad 9. uſque: & Concluſio in fine Pſalmi. Ac Propoſitionis quidem illuſtratæ admirativa interrogatione, ſumma eſt, mundum pugnare adverſus regnum Dei; ex cujus circumſtantiis, admiratio illa profecta eſt, ſic Act. 4. 25. ad regnum Chriſti accommodatur id quod priùs in regno Davidis fuerat adumbratum, quum à tam multis hoſtibus peteretur, 2. Schem. à 2. c. uſque ad 10. [2] id eſt, quod effectu ſuo cariturum eſt. [3] Deum Patrem, ut verſ. 7. [4] id eſt, unctum; ſive Davidem typum, ſive Chriſtum qui eſt typorum veritas. [5] id eſt, ſervitutis jugum, quod nobis videtur graviſſimum: ita ſapit mundus. [6] narratio, cujus partes ſunt duæ: una rerum gerendarum potentia Dei, qua oſtenditur Deum nihil de iſtis conſpirationibus laborare, verſ. 4. ſed ſuo tempore omnes iſtos gigantes conturbaturum, verſ. 5. & 6. Secunda rerum dicendarum & docendarum Evangelio per Chriſtum, Deum intereà temporis Regis ſui & Prophetæ opera voluntatem ſuam explicaturum, uſque ad verſ. 10. Hic autem ſtudioſè obſervanda eſt elegantiſſima perſonarum, loci, actionum, & operationum comparatio: nam unus Deus, regibus; ſedens, ridens, & ſubſannans, tumultuantibus, meditantibus & conſultantibus; & cæli terræ opponuntur. [7] humanitùs dictum. [8] i. poſtquàm Filium ſuum miſerit in temporum plenitudine. [9] i. quamvis immorigeris, oſtendet tamen lucem Evangelii tolerantia ſumma, & provocabit ad reſipiſcentiam, priùs quàm conturbet in furore ſuo. [10] Deus Pater videlicet de Filio, hoc verſu.

[11] Exprobratio caſtigantis Dei. q. d. hunc elegeram, & vos eum impiè oppugnaſtis. [a] *Heb. unxeram regem meum ſuper Tzijonem.* [12] ſedi regni Davidis & typo Eccleſiæ Chriſti: nam hoc tum de Davide dici poteſt. 1. Schem. 16. 1. tum de Chriſto, Ephe. 1. 20. & ſequent. [13] Davidem quidem illi aſpectabili qui erat Jeruſchalaimis; Chriſtum verò monti Tzijoni, & civitati Dei vivi, ac Jeruſchalaimis cæleſtibus, Heb. 12. 22. [b] *Heb. narrabo ad decretum.*

[14] i. fideliter prophetam agam, & exponam voluntatem Dei de perſona mea, hoc verſu; de ſacerdotio & regno, v. 8. & de potentia ac effectis ejus, v. 9. Eſt autem hic ſecunda narrationis pars, qua miſericorditer Chriſti & legatorum ejus operâ improbi revocantur ad Deum, antequam exſerat potentiam ſuam illis perdendis. [15] Chriſtus quidem natura atque genitura, ut verba ſequentia explicant; David verò adoptione & gratia; ſic fuit uterque adoptatus in vocationem & adminiſtrationem regni Dei, quod & typicè ad Davidem, & perfectè ad Chriſtum accommodari debet; ut Act. 13. 33. Heb. 15. & 55. [16] ſecundùm naturam quidem Chriſti ab æterno: ſecundùm φανέρωσιν verò Davidis & Chriſti, quum à Schemuele David unctus eſt, 1. Schem. 16. 13. & quum Chriſtus primogenitus in orbem terrarum inductus eſt, Heb. 1. 6.

[17] Davidem quum ſingulari Dei ſpiritu donatus vir alius factus eſt, κατ' χάριν, καὶ κατ' φανέρωσιν: Chriſtum verò non ſolùm κατ' χάριν καὶ φανέρωσιν quum in orbé venit, verùm etiam (ſi placet) κατ' φύσιν, ut qué genuit ab æterno Pater ſecundùm naturá divinam ipſius.

die [17] genui te.
8 [18] Pete à me, & donabo [19] gentes in poſ-
ſeſſioné tuã; & fines terrę jus poſſeſſionis tuę.
9 Confringes [20] iſtos virga ferrea; ut vas fi-
glinum diſſipabis eos.
10 [21] Nunc ergo [22] Reges animadvertite;
eruditionem percipite, ô judices terræ:
11 Colite Jehovam cum reverentia; & ex-
ſultate cum tremore.
12 [23] Oſculamini [24] filiũ [25] ut non iraſcatur,
& pereatis [26] *in* via, quũ exarſerit vel minimũ -
ira ejus, [27] beati omnes qui ſe recipiunt ad eũ.

[18] inſtitutio Sacerdotii Chriſti, de qua Heb. 5. 4. & ſeq. [19] quæ finibus quidem terræ promiſſæ in lege continebantur; ſed anguſtum illud regnum typus fuit regni univerſalis Chriſti: nam horum complementum legitur, 2. Schem. à principio uſque ad cap. 12. de Chriſto verò Johan 3. 35. [20] de quibus in principio pſalmi: complementum in Davide, 2. Schem. ibidem; in Chriſto, Pſal. 110. & 1. Cor. 15. Eſt autem hic unus tantùm effectus regni Davidis & Chriſti, qui ad præſentem cauſam pertinet; alter verò omittitur, bonorum ſalus, expreſſa in fine Pſalmi.

[21] tertia pars pſalmi, concluſio hortatoria à ſuperioribus documentis, exponens officium hominum, & officii iſtius cauſas, verſ. 12. Nunc ergo, inquit, dum tempus eſt, antequam adveniat Chriſtus cum virga ferrea, & Deus ipſe vos conturbet in furore ſuo; duo iſta officia præſtate, audientiam, & cultum ex fide; prophetiam Chriſti, hoc verſu; ſacerdotium, ſequente; & regnum ipſius, verſ. 12. agnoſcentes. [22] & populi: ſynecdoche. [23] i. fidem date illi ad ſuperiora hęc officia præſtanda: vide Gen. 41. 40. [24] Chriſtum, ut ſuprà ver. 7. qui & ſuperiore verſu Jehova dictus eſt. [25] cauſæ duæ, vitatio mali, quod verſatur in indignatione filii & hominum perditione; atque felicitas. [26] amplificatio à circumſtantia, quòd in medio curſu conſumentur, nedum ut pertingant metam conſiliorum ſuorum. [27] Epiphonema, alteram cauſam felicitatis noſtræ exponens, videlicet ſynceram fidem in Deum.

## PSALMUS III.

*David de gravitate afflictionum conquerens fidẽ ſuam natura Dei experientiaque confirmat, itaque Deum orat pro ſalute ſua & populi.*

[1] Inſcriptio occaſionem pſalmi & argumentum oſtendit, occaſio exponitur 2. Schem. 15. uſque ad 20. ca. Pſalmus argumento eſt εὐκτικός, ex tribus partibus conſtans, Expoſtulatione, Narratione, & Petitione.
[2] Expoſtulatio, ſive querimonia, malorum obſidentium, ꝟ. 2. & 3. cujus πάθος anaphoris & homœoteleutis, καὶ τμητικῷ λόγῳ illuſtre eſt.
[3] ad verbũ κατ' ὑπερβολὴν (ut loquitur perſæpe Paulus) id eſt, ſummè, maximè, vehementiſſimè, potentiſſimè, excellenter. Sed hic locus poſtulare viſus eſt ut exponeretur *planè*, ad majorem ſenſus evidentiam. Alibi maximè aut ſummè reddimus pro commoditate locorum.

1 PSalmus [1] Davidis, *quem cecinit* quum fu-
geret metu Abſchalomi filii ſui.
2 [2] Jehova, quàm multi ſunt hoſtes mei;
*quam* multi inſurgunt contra me!
3 *Quàm* multi dicunt de anima mea, non
*eſt* ulla ſalus iſti in Deo [3] plane?
4 [4] At tu Jehova clypeus *es* circa me; gloria
mea, & extollens caput meum.
5 [5] Voce mea ad Jehovam clamanti, reſpõ-
dit mihi è [6] monte ſanctitatis ſuæ maximè.
6 Ego [7] cubui & dormivi, expergefeci me;
quia Jehova ſuſtentat me:
7 [8] Non timebo à myriadibus populi; quas
circum diſpoſuerint *metatores* contra me.
8 [9] Surge Jehova, fac ſalvum me Deus mi,
qui percuſſiſti omnes inimicos meos [10] maxil-
lam, dentes improborum confregiſti.
9 Jehovæ *eſt* ſalus; ſuper [11] populum tuum *ſit*
benedictio tua maximè.

[4] altera pars, narratio, continens fiduciæ profeſſionem ab officio Dei erga ſuos; quod inermibus eſt ſcutum, ignominioſis gloria, & proſtratis auctor ut ſe ipſos erigant: quæ tria totidem verſib. proximè ſequentibus enarrantur. [5] Confirmatio ſuperioris fiduciæ, ab anteacta experientia. [6] i. è ſuo ſacrario, & cæleſti & terreſtri: vide pſalm. 2. 6.

[7] videlicet ſecutus ab hoſtib. [8] i. ita fido ut nihil timeam: gloriatio fidei elegantiſſima, ut infrà 27. 1. & ſequentib. [9] Petitio duplex, pro ſalute regis, & pro ſalute populi, nixa duobus argumentis: unum eſt, ſingularium liberationem quas à Deo perceperat David, hoc verſu, alterum, naturæ Dei, quòd ſolis eſt omnis ſalutis auctor. [10] id eſt: ita contudiſti, ut omnem nocendi facultatem eis ademeris, & ignominia in os affeceris. [11] etiam qui imprudenter ad Abſchalomum deſciverat.

## PSALMUS IIII.

*David orans, adverſarios reprehendit improbitatis vanitatisq; nomine, eoſque probata cauſa ad fidem & reſipiſcentiam revocat: poſtremò Deum orat ut ſe dirigat verbo & ſpiritu.*

[1] Inſcriptio uſum pſalmi, genus & auctoré indicat. Tempus etſi hîc non exprimitur, videtur tamen ex argumento ad perſequutiones Schaulis referendum eſſe. Pſalmus eſt εὐκτικός & διδασκαλικός, ex tribus partibus, id eſt, petitione, παρεκβάσει vel digreſſione didaſcalica, & Concluſione conſtans. Magiſtro autem, id eſt, ſymphoniaco à Davide tradidit ut ad fides in ſacris caneretur: nam inſtrumentorum muſicorum alia ſunt ψηλαφητὰ & κρουστὰ, alia verò πνευματικά. ut annotavimus in Gen. 4. 21.

[a] Heb. præfecto in pulſatilibus, id eſt, ψηλαφητοῖς.

1 [1] [a] MAgiſtro ſymphoniæ fidium, Pſalmus
Davidis.
2 [2] Invocantem me exaudi, Deus juſtitiæ
meæ; in anguſto [3] dilataſti mihi *locum*: gratio-
ſus eſto mihi, & audi orationem meam.
3 [4] Filii virorum, quouſq; gloria mea igno-
minię *futura eſt*? dilecturi eſtis inanitatem? pro-
curaturi mendacium ſummè?
4 [5] At agnoſcite ſeparatim aſſeruiſſe Jeho-
vam ſibi eum [6] quem benignè accipit; Jeho-
vam exauditurum, quum inclamavero ipſum.
5 [7] Commovemini, & ne peccetis: *b* cogi-
tate cum animo veſtro, [8] in cubili veſtro, & *c*
quieſcite *ut qui* maximè.
6 Sacrificate [9] ſacrificia juſtitiæ: & fiduciam
habete in Jehova.
7 [10] Multi dicunt, ô *ſi* quis efficiat ut frua-
mur bono: [11] attolle ſuper nos lucem faciei tuę
Jehova.
8 [12] Indideris lætitiam *d* animo meo; majo-
rem [13] quàm temporis *quo* frumentum iſtorum
& muſtũ iſtorũ percipiuntur *ab ipſis* copioſè.
9 [14] In pace ſimul cubabo & dormiam: cùm
tu Jehova ſolus facias ut ſecurè habitem.

[2] prima pars pſalmi, exordii petitorium, quo exaudiri, gratiá impetrare, & liberari expetit duobus argumẽtis: primum ab officio Dei, quem juſtæ ſuæ cauſæ judicem juſtiſſimum appellat, deinde ab experiẽtia præterita.
[3] id eſt, liberaſti ex anguſtia: metaphora.
[4] altera pars pſalmi didaſcalica, ad malos pertinens uſque ad ver. 7. quibus proponuntur duo documentorum genera: nam primùm evincuntur mali ſui verſ. 3. & 4. deinde revocantur ad bonum, ver. 5. & 6. Quod autem dicit, *filii virorum*, id eſt, vos qui freti auctoritate regis inſoleſcitis adverſus me, & viri vobis videmini: ſic per apoſtrophen cum magnifica fidei gloriatione reprehendit eos duobus hominibus, tum quòd gloriam ipſi à Deo prænunciatam nefariè volebant in ignominiam traducere; tum quòd nihil erant conſequuturi ſuis conſiliis, adeò confidebat veritati Dei, quam ſtatim prædicat. [5] amplificatio præcedentis reprehenſionis per antitheſin officii quo adverſarii Davidis tenebantur: quin potiùs, inquit, deſiſtitis ab iſtis maleficiis affecti ſancta reverentia erga Deum & Filium dilectionis ejus Jeſum Chriſtum: & me ſervum illius ab ipſo defenſionem exoraturum eſſe reputatis, quæ defenſio non eſt futura ſine caſu veſtro Sic cauſam in Chriſto eſſe, effectum verò in ſe à Chriſto pervenire oſtendit paucis, ut Pſal. 16. 10. & alibi. [6] id eſt, me, ut regem quem deſignavit ſtatuat.

[7] alterum documentorum genus, ut diximus in verſ. 3. quo revocantur impii ad reſipiſcentiam, hoc verſu, & ad fructus dignos reſipiſcentia ex fide, verſu 6.
[b] *Heb. dicite in corde veſtro.* [8] id eſt, etiam quo tempore & loco ſoletis vos quieti componere, voluntatis Dei ſenſu afficimini. [c] *Heb. ſilete: ſic 1. Schem. 14. 9.* [9] id eſt, recto animo & ritu legitimo, ut Pſal. 51. 21. [10] Tertia pars Pſalmi, petitio illuſtrata per comparationem ſtudii improborum vagi, qui bonum quidem univerſè & bruta quadam ratione deſiderant, ſed falluntur in ſingulari definitione ejus. [11] ſumma petitionis piis neceſſariæ dum in hac vita per ſpeciem ambulant: eſt enim bonum noſtrum Deus, lux verò divini vultus nobis eſt dux viæ, qua itur ad ipſum bonum. [12] Amplificatio petitionis ab effectis, lætitiæ, hoc verſu, & ſecuritatis, ſeq. q. d. ſi tantùm lucem faciei tuæ extuleris, omnino recreaveris me. [d] *Heb. cordi meo.* [13] id eſt, multo uberiorem, quàm ſoleat celebrari temporibus meſſis & vindemiæ: vide Jeſchaiæ 9. 3. Judicum 9. 27. & alibi frequenter. [14] ut ſuprà Pſal. 3. 5. & 6.

## PSALMUS V.

*David ſupplex oſtendit ſe fretum teſtimonio conſcientiæ, & certum de adverſariorum injuria, reverenter Dei beneficentiam implorare: ac ita demum conſtitutus, petit à Deo regi, adverſarios Deo rebellantes retundi, & Eccleſiæ ſubminiſtrari laudationis argumentum.*

1 MAgiſtro [1] ſymphoniæ ad [2] pneumatica
*inſtrumenta*, Pſalmus Davidis.
2 [3] Dicta mea auribus percipe, Jehova; con-
ſidera meditationem meam:
3 Attende voci clamoris mei, rex mi & Deus
mi; nam apud te orationem habeo.
4 [4] Jehova, [5] manè auditurus es vocem
meam: manè diſſerturus ſum coram te, & ſpe-
culaturus.
5 [6] Nam non es Deus fortis qui delectetur
improbitate: non eſt commoraturum *apud* te
malum.
6 Non conſiſtunt inſani è regione oculorũ
tuorũ: odiſti omnes qui operã dant iniquitati.
7 Perditurus es loquentes mendacium: *a*
virum ſanguinarium & doloſum abominatur
Jehova.

[1] Quod ad inſcriptionem, vide ſup. 4. 1. Pſalmus eſt εὐκτικός Exordio, Propoſitione, Petitione, & Cõcluſione conſtans.
[2] Hebræis *Nechiloth* dicuntur ea muſicorum inſtrumẽtorum genera, quæ tubulata ſunt atq; excavata, cujuſmodi fuerunt Sacerdotum tubæ & Levitarũ buccinæ, quod genus inſtrumentorum quia ſonum edit immiſſo vento, pneumaticum appellatur: Hebræis verò Nechila, id eſt, perforatum, per contractionem pro Nechilla, mutata vocali brevi in longam: vide ſupra in pſalm. 4. 1. [3] Exordium audientiam faciens tum à perſona Dei, propter naturam, officium & promiſſiones ejus, tum à perſona ſupplicis, ver. 2. & 3. [4] Propoſitio fiduciæ, ex qua fore dicit ut Deum accedat, ſollicitet precibus, & obſervet effecta promiſſionum Dei, cujus fiduciæ argumenta ſequentibus quatuor verſibus exponuntur. [5] id eſt, tempeſtivè faciam ut audias me, non deſinam.

[6] Confirmatio fiduciæ duobus argumentis, quæ per antitheſin ad unum revocantur: primùm à perſona adverſariorum, quorum improbitatem ſtatuit Deo exoſam eſſe, tribus verſibus, deinde à perſona ſua quod fretus eſt benignitate Dei, & cum reverentia accedit, ver. 8. [a] *Heb. ſanguinum & doli.*

8 Ego autem inſtructus amplitudine beni-
gnitatis tuæ ingrediar [7] domum tuam: incur-
vabo me verſus templum ſanctitatis tuæ cum
reverentia tui.
9 [8] Jehova, deduc me in juſtitia tua propter
[9] obſervatores meos: complana coram me [10]
viam tuam.
10 [11] Nam non *eſt* in ore [12] illius rectum,
[13] intimum illorum ærumnæ; [14] ſepulcrum a-
pertũ guttur illorum: lingua ſua doloſè blan-
diuntur.
11 [15] Reos fac iſtos, ô Deus, decidant de
conſiliis ſuis: amplitudine defectionum iſtó-
rum depelle iſtos, [16] quia rebellant in te.
12 [17] Et lætabuntur omnes ſe recipientes
ad te, in ſeculum canent quos protecturus es:
& exſultabunt in te amantes nominis tui:
18 [18] Quia tu benedicis juſto, Jehova: facis
ut benevolentia, tamquam umbo, circumte-
gat eum.

[7] Id eſt, atrium domus: ſynecdoche. vide Nechemiæ 6. 11. in annotatione.
[8] Petitio continens duo membra de Davide, hoc verſ. & de improbis, 2. ſeq. Primi autem ſumma eſt, ut Deum ducem habeat in via ipſius per omnẽ juſtitiam: finis ſummus, gloria Dei.
[9] improbos, de quibus duobus ſequẽtibus verſibus.
[10] id eſt, juſtitiæ tuæ, quam præſcribis verbo tuo: prima petitió pro perſona ſua.
[11] ſingularis explicatio illius finis propter quem ſe commiſit Deo, ſuperiore verſ. [12] i. viri ſanguinarii & doloſi, verſ. 7. ψυχικοὶ, ac non regenerati: videlicet niſi tuo Spiritu deduxeris per juſtitiam tuã, & direxeris ante ipſum viam tuam. [13] i. toti intùs ærumnas alienas machinantur. [14] i. nihil loquuntur aut ſpirant niſi cædes, ſanguinem, atq; exitium. Hunc autem locum ex hypotheſi ad theſin optimè accommodat Paulus, quum habeat rationem naturæ humanæ deſtitutæ benignitate Dei. Rom. 3. 13. ut modò oſtendimus. [15] Secunda petitio in perſonam adverſariorum. [16] q.d. non propter me, ſed propter te ipſum. [17] Concluſio prophetica de gloriæ Dei prædicatione in eccleſia. [18] ætiologia laudis quam Eccleſia tribuit Deo, à ſempiterna benedictione & beneficentia ejus, ex gratuita ipſius benevolentia in futurum perſeveratura.

## PSALMUS VI.

*David ægrotus iram Dei flagellumque deprecatur, miſericordiam implorat, & ſalutem petit: quæ deinde certa fide percipiens, adverſus inimicos de attentione & beneficentia Dei gloriatur.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ fidiũ, ad [1] gravem
*ſymphoniam*; Pſalmus Davidis.
2 [2] Jehova, ne in ira tua [3] reprehendas me;
neque in excandeſcentia tua caſtiges me.
3 [4] Gratioſus eſto mihi Jehova, [5] quia lan-
guefactus ſum: cura me Jehova; quia contur-
bata ſunt oſſa mea.
4 Et anima mea conturbata eſt valdè: tù
ergo Jehova [6] quouſque?
5 [7] Revertere Iehova, [8] expedi animam
meam; ſalvum fac me [9] propter benignitatem
tuam.
6 [10] Nam non *eſt* in ipſa morte recordatio
tui; in ſepulcro quis celebraret te?
7 [11] Defatigatus ſum in gemitu meo, [12] feci
ut natet totam noctem lectus meus: lacrymis
meis ſpondam meam liquefeci.
8 Depaſtus eſt ab indignatione ocul⁹ me-
us; conſenuit [13] inter omnes oppreſſores meos.
9 [14] Recedite à me omnes [15] qui datis ope-
ram iniquitati: nam audit Jehova vocem fle-
tus mei:
10 Audit Jehova deprecationem meam: Ie-
hova orationem meam acceptam habet.
11 Erubeſcát & conturbentur valdè omnes
inimici mei: [16] revertantur, erubeſcant [17] mo-
mento.

[1] vide 1. Chron. 15. 21.
[2] Pſalmus eſt δεητικὸς, petitione, cõfirmatione, & concluſione conſtans. Petitionis partes ſunt duæ, deprecatio mali, hoc eſt iræ & flagellorum Dei, hoc ver. & petitio liberationis atq; ſalutis, uſque ad verſ. 6.
[3] nempe verberando.
[4] petitio gratiæ & cauſæ, tum curationis & ſalutis, ut effectorum gratiæ.
[5] ratio precationis à conſtitutione perſonę ſuæ quam per gradationẽ amplificat.
[6] caſtigas, & à me averſus manes? apoſiopeſis.
[7] ἀνθρωποπαθῶς dictum.
[8] à morte præſentiſſima, ut verſus ſequens oſtendit.
[9] prima petitionis cauſa, à natura Dei & benignis promiſſionibus, quæ non niſi à viventibus piis celebrari poſſunt.
[10] Confirmatio cauſæ à gloria Dei, quæ recordatione & celebratione nominis ejus illuſtratur. q.d. ſi moriar, non potero ampliùs in vivis prædicare nomen tuum: ſic Pſalm. 30. 10. & 88. 11. & 115. 17. & 118. 17. & Jeſchahiæ 38. 18.
[11] periphraſis moribundi, hoc & ſeq. ver. [12] id eſt me & lectum meum demergo lacrymis, hyperbole: ſicut & ſequentes loquendi formæ, quæ exprimũt gravitatem mali. [13] qui hoſtili animo calamitates meas obſervant, & triumphant de me: ſic tranſitur ad ultimam hujus Pſalmi partem. [14] Apoſtrophe ad inimicos; qua David fidei gloriationem & veritatem Dei illis omnibus opponit concluſionis loco, quod autem ait, *Recedite*, ſpe deluſos eſſe illos intelligit.
[15] id eſt, hypocritæ, prout deſcribuntur Pſal. 41. 7. & ſequentibus.
[16] qui me fuerant cum lætitia inviſuri, ſi labefactari ſiviſſem me.
[17] i. videntes præter exſpectationem me divina ope reſtitutum; prout Deus ad jactum oculi ſuos liberare ſolet.

## PSALMUS VII.

*David perfide accuſatus, liberationem exoptat à Deo; profeſſus fidem & teſtificationem conſcientiæ ſuæ, mala quæ in ſe ſtruebantur averti petit: poſtremo in fidei gloriatione confirmatus pronunciat improborum exitium, & Dei laudem à piis prædicatum iri.*

1 *a* ODe mixta Davidis: quam cecinit Jeho-
væ [1] ad verba Cuſchi [2] Binjaminitæ.
2 [3] Jehova Deus mi, [4] ad te recipio me: ſal-
vum me fac ab omnibus perſequentibus me,
& libera me:
3 Ne abripiat tamquam leo animã meam,
dilaceret, nemine liberante.
4 [5] Jehova Deus mi, ſi feci iſtud: ſi eſt ini-
quitas *iſta a* in [6] manibus meis:
5 Si intuli malum colenti pacem mecum,
[7] qui expedire ſolitus ſum *quemq;* opprimen-
tem me immeritò:
6 Perſequatur inimicus animam meam &
aſſequatur, conculcétque in terra *auferens* vi-
tam meam: & [8] faciat ut gloria mea in pulvere
habitet *ut qui* maximè.
7 [9] Surge Jehova in ira tua, extolle te *b* gra-
viſſimo furore percitus in eos qui me oppri-
munt: & invigilans *attende* ad me; [10] judicium
præcepiſti.
8 [11] Ergo cœtus nationum circumdet te; &
ſupra hunc [12] in altum revertere.
9 [13] Jehova jus dicit populis: judica me Je-
hova; ſecundùm [14] juſtitiam meam & ſecun-
dùm integritatem meam *pronuncia* pro me:
10 [15] Deficiat quæſo malum improborum;
& ſtabilito juſtũ: [16] prout explorator *es c* [17] ani-
morum & renum, Deus juſte.
11 [18] Clypeus meus *eſt* in Deo, qui dat ſalu-
tem rectis corde,
12 Deo vindice juſti, & *Deo* forti [19] dete-
ſtante quotidie.
13 [20] Si non [21] convertatur *improbus*, gla-

*a* *Heb. ode erratica; id eſt, multiplex cantu, quæ omnibus rationibus muſica decantabatur ſimul. Tullius Græca voce dixit ſynodiam.*
[1] Etſi hujus alibi mentio nominatim non habetur; nõ dubium eſt tamẽ, quin hic ex Schaulis comitatu fuerit, & gravis alicujus criminis, Davidem inſimulaverit falsò: cujuſmodi eſt illud quod inſitiatur David, 1. Schem. 24. 10. quæ falſa delatio huic Pſalmo occaſionem dedit.
[2] nam gentiles Schaulis primas in regno obtinebant, 1. Sche. 22. 7.
[3] Pſalmus eſt mixtus, δεητικὸς & διδασκαλικὸς. continens exordium αἰτητικὸν, verſ. 2. & 3. narrationem hypotheticam ver. 4. & duobus ſequentibus: petitionem vel ardentiſſimam orationem, uſque ad verſ. 11. confirmationem propheticam eorum quæ Dei diſpenſatione fuerant eventura, uſque ad verſum 17. & Concluſionem, verſu ultimo. [4] primum inſtrumentum orationis, fides in Deum; cujus adjunctum ſalus & conſervatio noſtri, ſequente verſu oſtenditur. [5] Secundum inſtrumentum petitionis in narratione hypothetica proponitur, teſtimonium conſcientiæ, quod nullius maleficii eſt ſibi conſcius in ea cauſa cujus nomine apud Schaulem fuerat accuſatus. Tractatur autem iſta propoſitio per ὀμωτικὸν σχῆμα, duobus modis: nam primùm eſt theſis ſive explicatio anteactæ vitæ, duobus verſibus: deinde hypotheſi pœnæ, cui ſe ipſum dedit, ſi comperiatur illius criminationis reus; verſ. 6. [6] id eſt, in me: ſynecdoche.
[7] Amplificatio à contrario, cujus veritatem vide 1. Schem. 24. 6. & ſequentibus, & 26. 9. [8] i. ignominioſa morte & ſepultura afficiat me tam vehementer, quàm qui maximè, adeò ut caput meum nec auſim, nec poſſim attollere.
[9] repetitio orationis; qua tranſitur ad petitionis cauſas, ut iniqui cohibeantur, innocentes defendantur, & Dei gloria promoveatur: qui tres fines per hyſteroſin Hebræis perfamiliarem ſequentibus verſibus exponuntur. hujus autem petitionis duo ſunt diſtincta membra; unum, ut ſolemnem & magnificam quamdam formam ad judicium habendum inſtituat Deus, verſibus 2. alterum, ſummam judicii exponit quod Deus pronuuciaturus eſt, verſu 9. & 10.
*b* *Heb. in indignationibus opprimentium me.* [10] id eſt, jamdiu per Spiritum & Prophetam tuum præfixiſti judicium iſtud, ac veluti dixiſti diem. Argumentatio eſt à fide conſtantiaque divini verbi: unde conficitur petitio ſequentis verſ.
[11] q.d. quum diem certam ad judicium dixeris, ergo comitia imperato, & tribunal judicaturus conſcendito. [12] id eſt, conſcende ſolium judicaturus, ex quo juſtæ cognitionis cauſa quaſi deſcendiſti: ut Deus ipſe loquitur Gen. 18.
[13] ſecundum membrum petitionis, argumento per theſin ducto ab officio Dei, quod nominatim ad perſonam ſuam & cauſam ſingularem accommodat: petit enim primùm privata ſua & ſingulari cauſa, hoc verſ. deinde verò publica, ſequente verſu.
[14] id eſt, innocentiam meam in hac cauſa, ut profeſſus eſt ſup. ver. 4. & 5.
[15] petitio eſt, ut Deus maleficia convellat; ſive ſervatis adhuc, ſive perditis improbis: quam unam rationem eſſe docet ſtabiliendam juſti.
[16] Confirmatio à natura Dei omniſcia, & officio ejus.
*c* *Heb. cordium.* [17] id eſt, cogitationum & cupiditatum.
[18] quarta pars Pſalmi, propheticè explicans uſum fidei & conſequentia ejus. De uſu autem fidei his duobus verſibus agitur, nimirum quòd ſe committens Deo ſalutem recipit, & quod improborum cruciatus à Deo immiſſos obſervat tamquam immiſſos ad ſui confirmationem.
[19] puta improbos, de quibus ver. 10. (nam hæc per hyſteroſin membrorum Hebræis perfamiliarem dicta ſunt) ac proinde indeſinenter & juſtiſſimè eos exagitante atque divexante.
[20] alterum membrum confirmationis prophetiæ de rebus conſequentibus fidem in Deum: docet enim, Pſaltes primùm quid eventurum ſit improbis: uſque ad verſ. 18. deinde concluſionis loco quid pii facturi ſint, ver. 18. In ſtatu improborum & eventu deſcribendo tres proponuntur allegoriæ; una malitiæ, altera partus, tertia foveæ: ad ſignificandas vires, conſilia, & fraudes quibus uti ſolent. [21] id eſt, conſilium inſtitutum non mutet, ſed ita pergat ut ſequentia explicant.

[22] nimirū Deus, de quo prædicantur hæc omnia humanitùs militari modo, & cum multiplici incremēto, his duobus verſibus.
[23] q.d. jam ex facto arma habet comparatiſſima.
[24] id eſt, in eos improbos qui maximè fervebunt malefaciēdi inſano ſtudio.
d Heb. faciet.

dium ſuum [22] acuet; arcum ſuum [23] adduxit &
ſagittam aptavit ei.
14 Denique in eum aptavit arma lethifera:
ſagittas ſuas, [24] in fervidos *d* occupaturus eſt.
15 [25] Ecce parturiet vanitatem; ut concepit
laborem, ita [26] mendacium pariet.
16 Ciſternā fodit & excavavit eam: [27] *c* dejecit
eò ſe, in fovea operaturus *opus ſuum*:
17 [28] Redibit labor ejus in caput ejus: & ſuper
verticem ejus injuria ejus deſcenſura eſt.
18 [29] Celebrabo Jehovam ſecundùm juſtitiam
eius; & pſallam nomini Jehovæ excelſi.

[25] Amplificatio ſuperioris conditionalis propoſitionis κατ' ὑπόδειξιν, quaſi rem præſentem oculis ſubjiceret, conſilia, conatus, & effecta allegoricè repræſentans. [26] i. id quod fallet eum exſpectatione ipſius. [27] i. deſcendit in latibulum vel effoſſam ſpecum, atque in ea delituit. Hæc ut ita jam interpretemur, facit Grammatica vocalium ratio, & comparatio elegantiſſimi illius loci qui eſt infra 10. & ſequent. e Heb. cecidit. [28] ſic infr. 11.5. quemadmodum de Schaule David nominatim dicit 1. Schem 26.10. [29] altera conſequentia fidei, ut obſervatum eſt ſup. ver. 13. ad concluſionem ἐπαγγελτικὴν poſita.

## PSALMUS VIII.

*David extollit majeſtatem Dei à ſupercæleſti gloria, quam nobis in Chriſto explicavit Redemtore noſtro.*

[1] ex plurimis hujus loci interpretationibus unam hanc eligimus. tres ſunt omnino pſalmi hac inſcriptione, octavus, octuageſimus primus, & octuageſimus quartus: quos omneis videtur ſcripſiſſe David, quum arcam Dei Kirjath-jeharimis exportare Tzijonem cogitans deponi apud Hobed-edomum curaviſſet eam, motus offenſione Huzzæ; & occaſionem ſumſiſſe ex rebus præſentibus ut eos cōſcriberet. Hunc igitur Pſalmum cecinit judicio meo, quum ex urbe ſilvarum arcam in domum Hobed-edomi deduceret: ſimiliterque octuageſimum primum, quum irruptione in Huzzam Deus gloriam ſuam ſeveritatemque judiciorum ſuorum teſtatus eſſet, ut populum in religione officioq; coërceret. Pſalmum verò octuageſimum quartum, quum inde arca Tzijonem deducenda eſſet. Quamobrem hi Pſalmi, ad Gitthæam viam, commemorationem, ſtationem, obſervationem: aut ſi quid aliud eſt ad exprimendum quod volo, dicuntur ſcripti.

1 MAgiſtro ſymphoniæ ad [1] *ſtationem* Gitthæam, Pſalmus Davidis.
2 [2] Jehova domine noſter, quàm magnificum
*eſt* nomen tuum in univerſa terra; cui *a*
exponis [3] ſupercæleſtem decorem tuum.
3 [4] Ab ore infantium & lactantium [5] *b* fundatam
diſpoſuiſti [6] laudem; [7] propter hoſtes
tuos, ad cōpeſcendum inimicū & ultorem ſui.
4 [8] Quum reſpicio cælos tuos, [9] opus digitorum
tuorum; lunam & ſtellas quas ſtatuiſti:
5 [10] Quid *eſt* mortalis, quòd [11] memor ſis eius?
aut filius hominis, quòd viſites eum?
6 [12] Minorem quidem feciſti eum paulisper
Angelis: ſed gloria & maieſtate coronaſti
eum;
7 Præfeciſti eum operibus manuū tuarum:
omnia poſuiſti ſub pedibus eius:
8 Greges & armenta quotquot ſunt, etiamque
beſtias agreſtes;
9 Aves cæli & piſces maris: quicquid permeat
ſemitas marium.
10 [13] Jehova domine noſter, quàm magnificum
*eſt* nomen tuum in univerſa terra.

[2] Pſalmus eſt ἐπαινετικός, formæ κυκλοτερής, conſtans ex propoſitione, narratione, confirmatione, & concluſione laudativa. Exordium, ſive Propoſitio laudis eſt verſ. 2. conjuncta exclamatione & admiratione; Deum ſeſe laudabilem nobis exhibere infinita & ſupercæleſti gloria in Chriſto Jeſu. a Heb. ponere, infinitivus pro indicativo præſenti. [3] qui in Chriſto quidem eſſentia, in nobis communicatione gratiæ expoſitus eſt, & in arca Dei exhibitus ſacramentaliter.

[4] Secunda pars narratio, ſive enarratio primùm quidem probat gloriam ſupercæleſtem Dei in terra eſſe expoſitam à teſtimonio & ſenſu communi omniū, adeóque impiorum ipſorum experientia, hoc verſu; deinde verò illuſtrat comparatione 2. ſeq. q.d., inde à tenuiſſimo illo exordio humanæ vitæ, etiam in perpuſillis & recens natis infantibus uſque ad exitum hujus vitæ gloria Dei ſemper illuſtratur (ſic argumentatur Chriſtus Matth. 21.16.) & in rebellibus quoque potentiſſimè perficitur. [5] q.d. jam inde fundamenta jeciſti agnoſcendi & prædicandi robuſtiſſimi decoris tui. b Heb fundaviſti robur. [6] ſic accipitur apud Hebræos robur poſt nomen gloriæ, & alia id genus: ut quum dicit Pſaltes; Cedite Jehovæ gloriam & robur, Pſal. 29.1 & 96.7. &c. atque ita Chriſtus Matt. 21.16.

[7] evincendos, oraque eorum obthuranda, ut ſequentia explicant.

[8] Exornatio illuſtrans antecedens dictum de laudibus Dei infinitis, per comparationem reliquæ univerſitatis, cæli, & rerum ſingularum quę in eo ſunt, cum hominis cōditione, primùm quidem Chriſti ut capitis, deinde verò noſtra communi omnium, præſertim fidelium in Chriſto Jeſu. Eſt igitur argumentatio per comparationem minoris, hoc modo: In quo amplius exponis decorem tuum, in eo magnificum eſt amplius nomen tuum. In cælo, Sole, Luna, &c. cæleſtem exponis, in homine ſupercæleſtem. Amplius ergo magnificum eſt in homine nomen tuum: nam ſupercæleſtis decor cæleſtem ſuperat magnificentia. [9] id eſt, elaboratiſſimum & planè divinum: humanitùs dictum. [10] primò quidem in ſe & per ſe Chriſtus, ſecundò in nobis Chriſtus & nos in ipſo: hic inquam homo & filius hominis qualis & quantus eſt, Deus bone! quantum ſubjectum decoris ſupercæleſtis tui! quantum magnificentiæ tuæ documentum! [11] id eſt, non ſolùm ordinariè cures, ut cætera, ſed ex animo indefinenter ad eum attendas ſingulari paternoque ſtudio præ cæteris, ut pater ad filium ſibi chariſſimum.

[12] Confirmatio, ad quam Propheta tranſit occupatione prophetica. Atqui minor factus eſt Angelis propter perpeſſionem mortis. Agnoſco, inquit Propheta: ſed primum pauliſper hoc fuit, & ad breve tempus quo exinanivit ſeſe: deinde verò ipſum mox evexit atque exaltavit in ſupercæleſtem gloriam, quamvis jam unione perſonali in natura divina ipſam obtineret. Exaltavit autem 1. glorificando in perſona ipſius Chriſti. 2. auctoritatem poteſtatemque omnem in res creatas omneis tribuendo: cujus ſigna ſunt duo: unum in cælis, quòd Chriſtus ſupra omneis res cæleſtes & terreſtres ſedet ad dexteram Dei Patris ἐν τοῖς ἐπουρανίοις; alterum in terra, quòd cum ſuis juſtum dominium & utile in creaturas omneis cōmunicat. Horū autem ſignorū prius verſ. 7. poſterius ver. 8. & 9. exponitur. vide Heb. 2.6. & ſeq. & 1. Cor. 15.27. [13] Concluſio, ut ſup. ver. 2.

## PSALMUS IX.

*David gratias agit Deo, maieſtatem, officium, operaque eius celebrat, & pios ad celebrandum hortatur: deinde exponit formam precationis, quam fideles habent pro ſalute ſua, & inimicorum deiectione.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ [1] acutæ ad medianam, Pſalmus Davidis.
2 [2] Celebrabo, Jehova ex toto *a* animo
meo, enarrabo omnia mirabilia tua *opera*.
3 Lætabor & exſultabo in te, pſallam nomini
tuo excelſe:
4 [3] Revertentes inimicos meos retrorſùm,
corruere & perire à facie tua.
5 [4] Nam exercuiſti ius meum & cauſam
meam, [5] ſediſti in ſolio ô vindex iuſtitiæ.
6 Increpaſti [6] gentes, perdidiſti [7] improbū,
nomē iſtorū deleviſti in *b* ſecula ſempiterna.
7 [8] O inimice, conſummatæ ſunt vaſtitates
in æternum, & civitates exſtirpaſti *ſcilicet*: iſtorum,
iſtorum *inquam* memoria [9] periit.
8 [10] At Jehova [11] in ſeculū ſedebit, [12] comparans
ad iudicium ſolium ſuum:
9 [13] Et ipſe iudicaturus orbem *c* iuſtè, ius dicturus
nationibus rectiſſimè:
10 Eritque Jehova [14] edita arx tenui, edita
arx temporibus *quibus eſt* in anguſtia.
11 [15] Itaque fiduciam habebunt in te qui
noverunt nomen tuum: quia non derelinquis
quærentes te Jehova.
12 [16] Pſallite Jehovæ qui ſedet Tzijone:
nunciate in populos res geſtas eius.
13 Eum [17] qui repoſcit *d* ſanguinem cæde
fuſum, [18] horum recordari, non oblivіſci clamoris
pauperum afflictorum.
14 [19] *Clamantium*, gratiam fac mihi Jehova,
reſpice afflictionem meam *illatam* ab oſoribus
meis, exaltans me è [20] portis mortis:
15 Ut enarrem univerſam laudem tuam
in [21] portis filiæ Tzijonis: exſultem in ſalute
tua, *dicens*,

[1] i. Alti, ſive cūtratenoris (ut vulgus muſicorum vocat) cujus moduli ab acuto, id eſt, ſuperiore ſono ad medianum accedunt, q.d. ſonum poſitum inter Superius & eum qui cantus vel Tenor dicitur.
[2] Pſalmus eſt ἐπαινετικός ſive laudativus, duabus partibus conſtans Prima eſt hypotheſis, laudatio ſingularis prophetæ, uſque ad ver. 11. Secunda theſis ad omnes fideles pertinens, uſque ad finem Pſalmi. Continent autem ſingulę partes ſuas cauſas. Itaque primæ hujus partis membra ſunt, Propoſitio laudationis, uſque ad verſ. 5. Narratio, ver. 5. & 6. & Exornatio, inde uſque ad 12.
a Heb. corde.
[3] Formula laudis, quā ſe prædicaturum profitetur pſaltes.
[4] Narratio occaſionem proximè præcedentem enuncians graviſſimè ordine & verbis forenſibus.
[5] id eſt, judicem & ex ſe ἀπαιτητὴν cauſam: ſic enim egiſti; humanitùs dictum. [6] id eſt, genus humanum in ſe contra te verò immorigerum. [7] id eſt, eum, qui malam agit cauſam: ſic enim accipitur Hebræum nomen, Exod. 2.13. & alibi.

b Heb. in ſeculum & æternum. [8] Sarcaſmus, quo oſtendit quàm irrita fuerint Peliſchthæorum conſilia. quaſi dicat, perditionem aliis interminabantur; ipſi verò eam ſubiverunt. Eſt autem hic ἐργασία propoſitionis per hunc ſarcaſmum & ſubjectam ei apodoſin.
[9] apodoſis per antitheſin elegantiſſimam, cujus hoc prius membrum eſt.
[10] ſecundum membrum antitheſeos, quo à ſuperiore hypotheſi pſaltes tranſit ad theſin de natura, officio, & operibus Dei.
[11] id eſt, natura æternus eſt judex, ac nunquam interiturus, ut ſunt hoſtes.
[12] id eſt, officio judex juſtiſſimus.
[13] ut opere præſtet quicquid judicaverit, perdendo aut ſervando ex calamitatibus.
c Heb in iuſtitia, in rectitudinibus.
[14] metaphora, ut 2. Schem. 22.3.
[15] concluſio laudationis ſingularis, à fide ingenerata in animis piorum propter bona illa quæ in ſuperioribus explicavit, ad ſecundam partem μεταβατική.
[16] ſecunda pars, hortatio: ut obſervatum eſt ſupra verſ. 2. continens primum propoſitionem laudis παρακλητικήν, verſ. 12. & 13. deinde verò exemplum & narrationem precum quibus pii exorant à Deo beneficia ejus, tamquam laudationis argumenta. [17] i. Deum juſtiſſimum & cædium vindicem.
d Hebr. ſanguines.
[18] pauperum & afflictorum, qui mox nominantur.
[19] forma orationis, ut obſervatum eſt ſupra verſu 12. tum pro ſalute piorum ad gloriam Dei uſque ad verſ. 18. tum pro confuſione hominum Deo & Eccleſiæ adverſantium, ad finem uſque. ſunt autem tres hujus orationis partes, propoſitio δεκτική verſ. 14 & 15. Exornatio, ver. 4. ſequent. & Concluſio petitoria, duobus ultimis.
[20] id eſt, ab hac certiſſima alioquin morte & præſentiſſima efferens me: pars igitur prior petitionis hoc verſu continetur: finis verò ſequente.
[21] id eſt, intra Eccleſiam; quæ filia Tzijonis propterea dicitur, quòd Deus ibi ſuam ſedem & conventus Eccleſiæ deſtinaverit.

16 [22] Demerſæ

16 [22] Demerſæ ſunt gentes in foveam, *quam*
fecerant; ad rete quod abſconderant captus
eſt pes earum.
17 Notum ſe fecit Jehova judicio *quod* ex-
ercuit *e quum* ſuo ipſius facto illaqueatus eſt
improbus: rem meditandam ſummè.
18 [23] Retroagentur improbi ad ſepulcrum
uſque; omnes gentes [24] oblitæ Dei
19 [25] Non enim oblivioni *f* unquam tra-
dendus eſt egens: exſpectatio pauperum *non*
peritura eſt in perpetuum.
20 [26] Surge Jehova, ne roboret ſe mortalis:
judicium ſubeant gentes coram facie tua.
21 *g* Incute Jehova timorem eis: vehemen-
tiſſimè agnoſcant gentes ſe mortales eſſe.

[22] ut ſupra 7.16. Eſt autem hic exornatio finis antecedentis, ut in verſum 14. oſtendimus; primùm ab ante actorum judiciorum commemoratione, ver. 16. & 17. deinde à confirmatione prophetica in futurum ejuſdem beneficii, ver. 18. & 19. *e Heb. opere manuum ſuarum.* [23] Confirmatio prophetica officiorum Dei quę facturus eſt certiſſimè, cùm improbos judicando, hoc verſu; tum pios in libertatem atque ſalutem aſſerendo, ſequente verſu. [24] id eſt, quæ omiſſa Dei recordatione opprimunt egentes, de quibus verſ. ſeq. ſynecdoche. [25] ætiologia petitionis ab æquo & bono conveniente cum natura Dei. *f Heb. in æternum.* [26] Concluſio ἀἰτητικὴ, à modis quos adhibiturus eſt Deus infirmandis, judicandis, & conſternandis adverſariis; denique mortalibus (ſi opus eſt) afficiendis morte. *g Heb. appone timorem illis.*

## PSALMUS X.

*Eccleſia ſe deſtitui ope Dei; & ab improbis opprimi expoſtulans, malum animum, maledicta, maleficia & blaſphemias improborum explicat; bonorumque perpeſſiones oſtendit. Idcircò Deum ſollicitat, ut nominis ſui rationem habens ſuorumq; miſertus improbos contundat & pios liberet.*

1 QUare [1] Jehova [2] abſiſtis in longinquo?
*quare* te occultas temporibus *quibus*
*ſumus* in anguſtia?
2 Superbia improbi fervidè infeſtatur pau-
per afflictus: [3] deprehendantur in cogitationi-
bus quas comminiſcuntur.
3 [4] Nam laudat improbus *a* animam ſuam
in deſiderio ipſius; & quæſtum facienti bene-
dicit, irritat Jehovam.
4 [5] Improbi in elatione [6] vultus ſui, non in-
quirere; nllum *eſſe* Deum, hæ *ſunt* omnes cogi-
tationes ejus.
5 [7] Munitæ ſunt [8] viæ ejus quocunq; tem-
pore, altiſſimè *abſunt* judicia tua à conſpectu
ejus: quicunque ſunt hoſtes ejus, in eos [9] favil-
la incendium facit.
6 Dicit cum *b* animo ſuo, non dimovebor;
*c* nulla ætate ſe non *fore* in malo.
7 Exſecratione os ejus plenum eſt, fraudi-
búſque & dolo; [10] ſubeſt linguæ ejus [11] mole-
ſtia & vanitas.
8 Deſidet in *d* ſpecu [12] villarum, in latebris,
occiſurus innocentem: oculi ejus contra defe-
ctum viribus deliteſcunt.
9 Inſidiatur in latibulo, ſicut leo in tugu-
rio ſuo, inſidiatur ad rapiendum pauperem af-
flictum; rapturus pauperem afflictum, trahen-
do eum in rete ſuum.
10 Atterit ſe, incurvat ſe; & procidit *mem-*
*bris* robuſtis ſuis, *tamquam ſi eſſent* defecta vi-
ribus.

[1] Pſalmus eſt ἀντίγραφον, generis δικτικοῦ καὶ σχετλιαστικοῦ, ex 3. partibus conſtans. Exordio verſ. 1. & 2. Narratione inde uſque ad ver. 11. & petitione, ad finem uſque. Exordiū utrumque proponit σχετλιαστικῶς, narrationem querimoniæ hoc ver. & principio ſequētis; & petitionem 2. parte ſecundi verſus. Querimonię duo ſunt loci, unus de Deo, quod opē differat, verſ. 1. alter de improbis, quod bonos afficiant malis, verſ. 2. [2] id eſt, ita opē differs ut ſi procul abeſſes à nobis: humanitùs dictum, ut ſequentia. [3] id eſt; inopinantes opprimantur. [4] ἐξήγησις poſterioris illius partis quæ in querimonia dicta eſt, de improborum injuria: cujus duo gradus proleptice ponuntur hoc verſu, ſequentibus verò ſigillatim explicantur uſque ad verſ. 12. Primus eſt αὐθάδεια & gratulatio ſui ipſius cum animo ſuo, atque Thraſonica de maleficiis apud alios gloriatio: Secundus, contumacia in Deum atque blaſphemia.
*a Hebr. in deſiderio animæ ſuæ.* [5] Explicatio ſecundi membri per hyſteroſin, Hebræorum more: nam ſequentibus deinceps explicatur prius.
[6] id eſt, animi quem indicat vultus; ſynecdoche.
[7] id eſt, quæcunque tempora incidant, quaſi immotus ſecundis rebus utitur, non experitur gravitatem judiciorum Dei; unde glorioſè alios ludificatur, explicatio primi gradus uſque ad verſ. 11. qua docetur quo modo improbi conſtituti ſunt, primùm animo, hoc & ſeq. verſu; deinde ſermone, verſ. 7. poſtremò opere, tribus ſequentibus.
[8] id eſt, inſtitutum & ratio vivendi ejus.
[9] i. ardentem favillam nullo negotio injicit, ut quaſi incendio miſerè imprudentes pereant. Elegans metaphora, ut infra Pſal. 12.6. & Prov. 29.8.
*b Heb in corde ſuo: ſic infra verſ. 11. & 13.* *c Heb. ætate & ætate.*
[10] vide infra Pſal. 66.17. [11] quum videlicet afferat aliis.
*d Heb. in inſidia, id eſt, inſidiarum loco.* [12] id eſt, locorum infrequentium, per ſynecdochen.

11 [13] Dicit cum animo ſuo, oblitus eſt *Deus*
fortis; abſcondit faciem ſuam, non reſpicit *e*
unquam.
12 [14] Surge Jehova, *Deus* fortis attolle ma-
num tuam: ne obliviſcaris pauperum afflicto-
rum.
13 ‖ [15] Quam ob rem irritat improbus De-
um? dicit cum animo ſuo; te non repoſciturum
eſſe?
14 [16] Viſum eſt tibi, quum tu moleſtiam &
indignationem intueris, reponere manu tua:
*f* [17] *c* tuæ fidei committit ſe defectus viribus;
pupilli tu es adjutor.
15 [18] Frange [19] brachium improbi, & mali;
inquire in improbitatem ejus, *donec* non inve-
nias ampliùs.
16 [20] Jehova rex *g* ſempiternus eſt, perie-
runt [21] gentes è terra ipſius.
17 Deſiderium manſuetorum exaudiviſti
Jehova: [22] confirma animum horum, adverte
aurem tuam:
18 Vindicando pupillum & attritum; ut
non pergat ampliùs eum violenter exagitare
mortalis, è terra.

[13] repetitio ſecundi & ſummi gradus nequitię de quo ſupra in fine verſ. 3. & 4. ut eo veluti aculeo infixo, vehementiùs tranſeatur ad petitionem. *e Heb. in æternitatem.* [14] Petitio, ut obſervatum eſt in verſ. 1. quæ poſt adducta argumenta membratim repetitur, ver. 15. & ſequentibus. ‖ *ſup. verſ. 4.* [15] primum argumentum petitionis, à gloria Dei, per graviſſimam conteſtionem enunciatum de reprimendis impiorum blaſphemiis in Deum. [16] ſecundum argumentum ab officio & natura Dei odio habentis & ulciſcentis malum: contra quam dicunt improbi. ſup. verſ. 11. neque cognoſcere, neque repoſciturum eſſe Deum. *f Heb. ſuper te derelinquit.* [17] tertium argumentum à fide piorum in Deum. [18] regreſſio ad petitionem; cujus capita ſunt duo, diſſipatio improborum, hoc & ſeq. verſu; & miſerorum liberatio, ver. 17. & 18.
[19] id eſt, omnia violentiæ inſtrumenta, ut exarmatum judices.
[20] Confirmatio poſtulati antecedentis cùm à natura & officio Dei, ut ſempiterni Regis & Judicis, tum ab exemplis antecedentibus judiciorum ejus.
*g Hebr. in ſeculum & æternum, ut ſuprà 6.9.* [21] maledictæ, quum populum ſuum introducturus eſſet. [22] ſecundum petitionis membrum, ut obſervatum eſt ſup. in verſ. 15.

## PSALMUS XI.

*David contumeliis & perſequutionibus affectus graviſſime inimicos reprehendit, ruinam conſiliorum ſibi adverſantium prænunciat: Deum judicem cognoſcere, probare, & tandem judicaturum eſſe oſtendit ex æquo & bono.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ, [1] *Ode* Davidis:
[2] Ad Jehovam me recipio, quomodo
dicitis animæ meæ, *a* emigra è [3] monte veſtro
[4] avicula?
2 [5] Nam ecce iſti improbi adducunt arcum,
aptant ſagittam ſuam nervo; ad jaculandum
in caligine contra *homines* rectos corde.
3 [6] Quum fundamenta ipſa deſtruentur,
quid fuerit operatus juſtus?
4 [7] Jehova [8] in templo ſanctitatis ſuæ, Jeho-
va cujus ſolium *eſt* in cælis; cujus [9] oculi vi-
dent, cujus [10] palpebræ [11] explorant filios ho-
minum?
5 Jehova juſtum [12] explorat; improbum
vero & amantem violentiæ odit animus i-
pſius.

[1] Quia non diſtinguit inſcriptio utrum pſalmus fuerit an canticum; vocē utrique generi communem adhibemus. Ode eſt διδασκαλικὴ, cōtinens primū ἀγῶνα ſive contentionum adverſus improbos, Schaulem (ut veriſimile eſt) & ejus aſſeclas, verſ. 1. deinde narrationem propheticam, verſibus 5. poſtremo confirmationem ætiologicam, ṽ. ultimo. [2] contentionis argumentum à fiducia ſua in Deum, cui opponit ex adverſo Pſaltes tum amarulentas & blaſphemas inimicorum contumelias, ut 1. Schem. 26.19. tum conatus impios & fraudulentos, verſ. 2. de quibus 1. Schem. à 18. uſque ad finem.
*b vel emigrate, id eſt tu cum tuis hominibus.* [3] id eſt, in quem vos recipitis tamquam in domicilium veſtrum aut ſecuritatis locum; ſic enim accuratiſſimè perſequebatur eos Schaul. vide 1 Schem. 24.3. & 2. Schem. 17.9.
[4] id eſt quam velociſſimè deſiliens huc illuc, tamquam avicula rationis expers, Sarcaſmus. [5] narratio ab hypotheſi ad theſin commodè delabens, & exponens primùm facta improborum violenta & fraudulenta metaphoricè, hoc verſu; deinde eventa & cauſas, quatuor ſequent.
[6] ſecundus narrationis locus de eventis & cauſis: qui locus hypotheticè hoc verſu propoſitus, categoricè poſtea enunciatur ὕστερον πρότερον. Nam prius cauſa verſu 4. & 5. deinde eventa proponuntur verſu 6. contra quam hoc verſu factum eſt.
[7] quaſi dicat, non juſtus quicquam hic præſtare poteſt: unus Jehova proſperum eventum dabit ſua infinita majeſtate, cognitione, adminiſtratione, juſtitia, & operatione.
[8] i. in cælis, ut ſequentia exegeticè oſtendunt, q. d. judex cæleſtis eſt, primus gradationis locus ab uſu forenſi.
[9] i. cognoſcit de omnibus: ſecundus gradationis locus.
[10] i. oculi, metonymicè.
[11] i. dum cognoſcit de hominibus, diligenter omnia excutit; quod ſequente verſu per antitheſin exponitur. [12] caſtigando quem amat, ut oſtendit oppoſitio improborum, ad quorum eventa deſcribenda tranſit per occaſionem ἀντιθέτου, ὕστερον πρότερον.

6 [13] Depluet ſuper improbos prunas, ignem,
& ſulphur: [14] *b* ventuſque procelloſiſſimus [15]
portio calicis eorum *futurus eſt*.
7 [16] Nam juſtus Jehova quæ juſta ſunt [17] di-
ligit; rectum [18] aſpicit vultus ipſius.

[13] id eſt, horrifica judicia exercebit, quæ ab externis caſibus deſcribuntur: tertius gradationis locus. [14] & omnia cōflagrãs; cujuſmodi eſſe turbinem quem preſterem vocant: teſtatur Plin. lib. 2. cap 48. b Heb. ventus preſterum. [15] id eſt, tantum judicium exhauſturi ſunt, ut intus & extrà: corpore & animo conflagrent, experientes gravitatem judiciorum Dei: ſic in ſcripturis metaphoricè deſignatur beneficiorum, caſtigationum, ultionumque menſura, quam ſuo judicio unicuique demenſus immittit Deus.
[16] Confirmatio ætiologica à conjugatis ſumta. [17] quum explorando cognovit de juſto homine: ut contra improbos odiſſe dicitur. verſ. 5. [18] id eſt, rationem illius habet, & ſingularem ejus curam gerit; non autem ut improbos, averſatur & perdit.

## Psalmus XII.

*David aulicorum calumniis impudentiſſimis preſſus, opem Dei implorat: adducta promiſſione ejus fidem ſuam confirmat, & ſalutem petit.*

1 [1] Magiſtro ſymphoniæ ad gravem *ſym-
phoniam*, pſalmus Davidis.
2 [2] Da ſalutem Jehova, [3] nam deſiit benefi-
cus: nam defecerunt veraces ex filiis hominũ.
3 Vanum loquuntur *a* alter cum altero; la-
bia blanditiarum *artifice*; *b* duplice corde lo-
quuntur.
4 [4] Exſcindet Jehova omnia labia blanda;
linguam grandiloquam:
5 Eos qui dicunt, linguæ noſtræ [5] jus obti-
nebimus, labia noſtra penes nos *ſunt*: quis *eſſet*
[6] dominus nobis?
6 [7] A vaſtatione pauperum afflictorum, ab
exclamatione egentium jam exſurgam, dicit
Jehova: locabo in ſalute *illum* in quem [8] favilla
incendium *improbus* fecerit.
7 [9] Dicta Jehovæ dicta [10] pura ſunt; argen-
tum purgatum in catino lectiſſimo terræ, de-
fæcatum [11] ſepties.
8 [12] Tu Jehova ſervato eos: cuſtodito eo-
rum quemq; à [13] generatione iſta in ſeculum;
9 [14] *In qua* circumquaq; improbi obambu-
lant; quum extollitur res vilis inter filios ho-
minum.

[1] de hac inſcriptione vide ſuprà in Pſalm 6. [2] Pſalmus eſt εὐκτικός, conſtans Propoſitione, verſ. 2. & 3. narratione, inde ad verſum 7. Confirmatione verſ. 7. & Concluſione petitoria, verſu 8. & 9 Propoſitione utrumque continetur, petitio exabrupto, & narratio ætiologica: poſteà verò diverſo ordine à Propheta exponitur. [3] ætiologia à perſona adverſariorum, neque ſunt, inquit, qui mihi benefaciunt, neque ſunt, inquit, qui fidem præſtent, quum ſe mihi benefacturos ſimulârunt. a Heb. vir cum proximo ſuo. b Heb. corde & corde.
[4] Narratio prophetica de exitio improborum, verſ. 4. & 5. & de piorum conſervatione, verſu 6. Propriè autem hic exitium denunciat adverſus homines flagitioſiſſimos, Schaulis (ut credibile eſt) aulicos, mendaciorum contra Davidem concinnatores.
[5] ad Davidem evertendum. hic autem per gradationem mimeſimque illorum malitiam deſcribit. [6] qui impediat ne labiis utamur pro arbitratu noſtro. ſic protervè Dei & hominum curam omnem abjiciunt, modò Schauli aſſententur. [7] altera pars narrationis: de piorum conſervatione, ut diximus in verſ. 4. [8] vide ſup. in 10. 5. [9] confirmatio promiſſionum antecedentium.
[10] non ut illa aſſentatorum, impuriſſima & inaniſſima. [11] id eſt, optimè, & ſæpe: numerus finitus pro infinito ut Proverb. 6. 31. [12] Concluſio petitoria accommodans theſin ad ſe & ſuos. [13] improborum, quam deſcripſit verſ. 2. & ſequentibus, & amplius exponitur ſeq. verſu. [14] exegeſis antecedentis dicti de generatione illa, amplificans poſtulati neceſſitatem duobus argumentis: primùm à ſtudio & operibus improborum certatim ad maleficia quævis contendentium, ſecundò à præpoſtero judicio & laudatione vitii, quod abjiciunt boni, improbi verò laudibus in cælum efferunt, & alii alios extimulant ad mala: ut ſup. 10. 3. & Rom. 1. 32.

## Psalmus XIII.

*David de opis divinæ dilatione, infirmitate ſua, & inimicorum importunitate expoſtulans, Deum orat pro ſalute ſua, & inimicorum confuſione, ad glorificandum eum.*

1 Magiſtro ſymphoniæ, pſalmus Davidis.
2 [1] Quouſque Jehova? [2] obliviſcere-
ris mei in æternum? quouſque abſcondes fa-
ciem tuam à me?
3 Quouſque *a* [3] repoſiturus ſum conſilia in
animo meo, mœrorem in corde meo [4] de die?
quouſq; attollet ſe inimicus meus contra me?

[1] Pſalmus εὐκτικός. Propoſitione querelæ. Petitione & Concluſione conſtans. Querelæ loci ſunt tres; primus à perſona Dei, tamquam deſerentis verſ. 2. ſecundus à perſona calamitoſi, tanquam luctantis cum ſuis infirmitatibus; tertius à perſona inimicorum, verſ. 3. Quouſque autem, ſubaudi, non intueberis? apoſiopeſis.
[2] humanitùs dictum, ſicut ſequentia; ut ſup. 10. 1.
a Heb. ponam. [3] id eſt, fluctuabor conſiliis pro calamitatum quibus afficior varietate & multitudine; ita in dubio eſt animus. [4] quod ſpatium fallendo tempori & mœroribus avertendis per occupationes alias eſt oportuniſſimum. Amplificatio.

4 [5] Intuere, exaudi me Jehova Deus mi: [6]
illuſtra oculos meos: ut [7] non [8] dormiam *dor-
mitione* mortis:
5 Ut non dicat inimicus meus, prævalui ei:
hoſtes mei exſultent, quum dimotus fuero.
6 [9] Ego enim in benignitate tua fiduciã ha-
beo, exſultet *b* animus meus in ſalute tua: can-
tabo Jehovæ, quum bono affecerit me.

[5] Petitio tribus gradibus querimoniæ reſpondens, qui habentur ſup. 2. verſ. [6] elata ſuper me luce faciei tuæ. ut ſuprà 4. 7. quam Deus abſcondiſſe dicitur ver. 2. [7] ætiologia ſive explicatio cauſarum, quibus ad petitionem adducitur: harum prima eſt à perſona ſua, hoc verſ. ſecunda, à perſona inimici, verſ. 5. tertia, à perſona Dei, cujus gloriam hoc pacto prorogatum iri profitetur. verſ. 6. [8] periphraſis mortis metaphorica.
[9] Concluſio à cauſa efficiente expoſtulationis, & fine illius, q. d. nomẽ tuum prædicabo ex animo: cujus prædicationis duo ponuntur argumenta, fiducia in Deum ad futurum tempus, & beneficia à Deo ante collata. b Heb. cor.

## Psalmus XIIII.

*David hominum vitium & impietatem, à Dei & conſcientia ipſorum teſtificatione, & vanitate ſtudii illorum oſtendit; fretuſque promiſſionibus Dei futuram liberationem lætitiamque prædicat à ſola illius miſericordia.*

1 Magiſtro ſymphoniæ. [1] *Ode* Davidis: Di-
cit [2] ſtultus *a* cum animo ſuo, non eſt
Deus: [3] corrumpunt, abominandam *quamque*
actionem perpetrant, non *eſt* qui faciat bonũ:
2 [4] Jehova è cælis proſpectat ſuper filios
hominum; vt videat an ſit *ullus* qui intelligat,
qui exquirat Deum.
3 Unuſquiſque [5] receſſit, *omnes* ſimul [6] pu-
tidi facti ſunt: non *eſt* qui faciat bonum, non
*eſt* vel unus.
4 [7] An non ſibi ſunt conſcii omnes qui ope-
ram dant iniquitati, quòd [8] edentes populũ
meum edunt panem, Jehovam non invocant?
5 [9] Ibi expaveſcunt pavore: [10] quia Deus
adeſt generationi juſtæ, *dicens*.
6 [11] Conſilium pauperis afflicti pudefacie-
tis ſcilicet; quia Jehova *eſt* receptus ejus.
7 [12] *O ſi* quis det è [13] Tzijone ſalutem Jiſ-
raelis: reducente Jehova [14] reducem turbam
populi ſui; exſultabit Jahakob, lætabitur Jiſ-
raël.

[1] vide annotata Pſal. 11. Pſalmus eſt διδασκαλικός conſtans ex Propoſitione, Conteſtatione adverſus improbos & Concluſione prophetica. Propoſitio eſt, non ſecus à natura univerſum genus humanum vivere quàm ſi nullus Deus eſſet: prout hæc fuit conſtitutio mundi omnibus temporibus, ut interpretatur Apoſtolus Ro. 1. [2] id eſt, homo ψυχικός, ratione ſua abutens ad inſaniam: ut à natura homo eſt donec per Spiritum Dei revocetur. a Heb. in corde ſuo.
[3] Ἐργασία propoſitionis petitur primùm à teſtimonio operum quæ illi committunt aut omittunt, hoc verſu: deinde à teſtimonio Dei, duobus ſequentibus; poſtremò verò à teſtificatione propriæ ipſorum conſcientiæ, qui ſummus eſt locus conteſtationis, cujus ante meminimus. [4] explicatio teſtimonii divini ſumta à judiciorum forma; proſpectat, videt, cognoſcit tanquam judex, hoc verſ. & quæſtione habita deprehendit id quod ſequente verſu dicitur; eos nec intellectu, nec voluntate ad Deum reſpicere. [5] à Deo requiſivit eum.
[6] tantùm abeſt ut res à Deo oblatas velut odorari poſſint atque percipere: nam hoc ex adverſo opponitur ei quod dixerat ſuperiore verſ. an ſit intelligens.
[7] Conteſtatio ad evictionem impiorum pertinens, ut dictum eſt ſup. verſ. 1. q. d. fieri non poteſt, quin ita tranſigentes vitam ſint ſibi malè conſcii, hoc verſ. ac proinde etiam tum & eodem loco ubi ſe in maleficiis occupant terroribus conſcientiæ agitentur, verſu ſequente. [8] i. in bonos injurii, & in Deum impii ſunt (quod ſynecdochicè duabus loquendi formis oſtenditur) & tamen comedũt panem, &c. id eſt, ita ſe obfirmant in ſua impietate & injuſtitia; ut comeſſationibus & libidini ſuæ audeant indulgere; Deumque ipſum contemnant arrogantiſſimè, quaſi retundentes ſtimulos conſcientiæ. [9] i. ipſis in conviviis ſuis hilaribus, quum panem hilariter cogitant comedere, omnémque Dei recordationem excutere. [10] quia Deus juſtorum cauſa conſcientiam improborum, velint nolint, extimulat. [11] Conteſtatio ironica, fidelium nomine facta adverſus improbos per apoſtrophen: quaſi dicat, non ſtat per vos quominus pauperes confundatis; habetis voluntatis & facultatis plus ſatis; ſed unicum eſt impedimentum vobis è cælo, & nobis ſalutare perfugium. [12] Concluſio prophetica ex ſuperiore conteſtatione naſcens ad electorum & piorum Eccleſiæ membrorum conſolationem cujus partes ſunt duæ, optatum, & prophetica gloriatio de futura liberatione. [13] id eſt, habitaculo Dei. [14] id eſt, à tyrannide Satanæ & ſervitute peccati ſtipendióq; mortis vindicatam in libertatem & gloriã filiorum Dei. Veriſſimum verò complementum in regno Chriſti docetur Evangelio.

## Psalmus XV.

*David oſtendit vera Eccleſia præſentis & ſempiternæ membra ex integritate vitæ, juſtitia, & veritate innoteſcere.*

1 Pſalmus Davidis: [1] Jehova quis commora-
turus eſt in tentorio tuo? quis habitatu-
rus in monte ſanctitatis tuæ?

[1] Pſalmus eſt διδασκαλικός formæ διαλογικῆς, quæſtione & reſponſo cõſtans. Quæſtio eſt, quis in tentorio, id eſt, Eccleſia aſpectabili, ſit commoraturus dum peregrinamur à domino, & quis in Eccleſia catholica & cælеſti in ſempiternum habitaturus, denique futurus germanum utriuſque membrum. de hac quæſtione Deus ſalutis auctor conſulitur, ut oſtendat Pſaltes reſponſum quod ſubjicitur eſſe omni exceptione majus.

2 [2] Qui ambulat *a* integrè, exercétq; juſtitiam: ac loquitur veritatem ex *b* animo ſuo:
3 [3] Non obtrectat lingua ſua, [4] non afficit proximum ſuum malo, & [5] opprobrium non effert in propinquum ſuum.
4 [6] In cujus oculis contemtus *eſt c* reprobus; timentes verò Jehovæ honorat: juratus *d* in damnum ſuum, non tamen mutat.
5 [7] Pecuniam ſuam non exponit fœnori, & munus contra innocentem non accipit: qui facit iſta, nunquam dimovebitur.

[2] reſponſum à ſignis, quibus homo hominē ſuo modo & aliquatenus poteſt internoſcere. Proponuntur autē ſigna tria, Integritas, Innocentia, & Veritas; quæ tria reſpondent tribus illis capitibus novo homini attributis, Eph. 4.24. ſequentibus autem verſibus καθ' ὕστερον, ſive ordine præpoſtero ex Hebræorum conſuetudine explicantur. [a] Heb. integer. [b] Heb. corde. [3] Explicatio veritatis ab exemplo uno, ſynecdochicè. [4] Explicatio innocentiæ ſive juſtitiæ. [5] dictis, aut factis. [6] explicatio integritatis: reprobos reprobat, & probos probat: non aſſentatur cuiquam; ne ſibi quidem indulget: ita timore Dei in officio continetur: atque hic poſtremus locus ſequente verſu amplificatur duobus aliis exemplis; quia doctrina eſt inprimis [illegible]: primùm, Non eſſe propter damnum abſtinendum à benefactis: deinde, Non eſſe benefaciendum exſpectatione commodi. [c] Heb. ſpretus. [d] Heb. ad malefaciendum ſibi. [7] i. ſive ex beneficio commodet, ſive ex officio judicet, ſui emolumenti rationem abjicit, & proximum juvat charitate, non utilitate ductus. [8] Concluſio à promiſſionibus Dei.

## PSALMUS XVI.

*Eccleſia ſalutem à Deo petens bona ſua in Deo prædicat: cumq; celebrat tum præſentium bonorum nomine, juſtitiæ, & ſanctificationis per Spiritum, tum etiam venturorum, nimirum reſurrectionis Chriſti & omnium piorum per Chriſtum, ac vitæ æternæ.*

1 INſignis *ode* Davidis: [1] Serva me, *Deus* fortis; [2] nam me recipio ad te:
2 [3] Dicis Jehovæ, dominus meus es: [4] bonum meum non *es conditurus* penes te:
3 Sanctis qui in terra *ſunt* & magnificis *collaturus es*; iis in *quibus eſt* tota oblectatio mea.
4 [5] Horum multiplicant [6] dolores, [7] *qui* alium dotant: [8] non ſum libaturus libamina iſtorum ex ſanguine; [9] neque aſſumturus nomina eorum in labiis meis.
5 [10] Jehova [11] portio prædii mei, & populi mei; [12] tu ſuſtentas ſortem meam.
6 [13] Funiculi acciderunt mihi in locis amœniſſimis, etiam poſſeſſio eſt elegantiſſima, *quæ* obtigit mihi.

[1] Ode eſt generis mixti, partim διδακτικῆς, partimque εὐχαριστικῆς. Partes ejus ſunt tres: propoſitio, verſu 1. enarratio, verſib. 5. ſequētibus & ſpōſio in futurum omniū officiorum fidei, reliquis. Propoſitione continentur poſtulatum ſalutis, & cauſa poſtulati, fides: quæ cauſa deinceps enarratur verbis graviſſimis. Videtur autem hic Pſalmus à Davide ſcript⁹ nō privato ſuo, ſed Eccleſiæ totius nomine; quam ideò compellat ſequente verſu. [2] ætiologia vel explicatio cauſæ cur ſervari à Deo petat, nempe quod fretus eſt fide in promiſſiones ipſius. [3] tu, nempe Eccleſia; cui hunc Pſalmum per Spiritum Dei dictabat David. Antecedenti autem propoſitioni καθ' ὕστερον ſubiiciuntur partes duæ ad propoſitionis membra reſpicientes. Nam hac in parte exponitur ætiologia, & fiducia Eccleſiæ in Deum enarratur: Sponſione verò ſupponitur & ſpectatur petitionis complementum. Suam verò fiduciam enarrat Eccleſia primum per theſin, verſ. 1. & 3. deinde per hypotheſin, verſ. 4. & duobus ſequen. Per theſin appellat Eccleſiam Dei, & tamquam germanus filius adducit promiſſiones matri factas à parente ſuo: per hypotheſin confirmat ſeſe, oſtenditque eas promiſſiones ad ſe velut germanum Eccleſiæ membrum pertinere. Theſeos duo ſunt capita: unum Deum eſſe dominum Eccleſiæ ſuæ: alterum, ex natura & fœdere eſſe in eam beneficum, & nunquam cohibere apud ſe benedictiones ſuas, quod poſterius membrum κατ' ἀναίρεσιν hoc verſu; καὶ θέσιν, ſequente enunciatur. [4] id eſt, quicquid mihi homo & ſaluti futurum eſt: hic enim modus interpretandi optimè convenire videtur cum Eccleſię argumentatione, & ſcriptura ſacra: ut inf. 84.12.
[5] puta ſanctorum qui in terra ſunt, &c. Hypotheſis eſt, vel ſingularis Prophetæ & piorum in Eccleſia applicatio: qua primùm oſtendit Pſaltes ſe nunquam aliunde quam à Domino bonum ſuum expetere, hoc verſ. deinde explicat bonum illud quod ſibi conſtare novit in Domino, 2. verſib. ſeq. Præcedit autem amplificatio à cruce: multis quidem doloribus ſanctos afficiunt impii: vel συγχωρητικῶς: afficiant ſanè doloribus; omnino tamen à te pendere ſtatui, quamvis oblatrante & obſiſtente mundo. [6] i. afflictiones, per quas veniendum eſt in regnum cælorum.
[7] i. alieno Deo ac potius idôlo ſe velut matrimonio copulantes, non accipiunt, ſed conferunt dotem mox in nihilum abituram.
[8] i. neque deos illegitimos, neque illegitimè colam, ut gentes quæ humano etiam ſanguine libant contra legem pietatis & humanitatis.
[9] vide Exod. 23. 13. Sunt autem hæc per antitheſin poſita, ut commodius tranſeatur ad alteram partem: quaſi dicat, non colam illos; ſed hærebo ſoli Deo: nam Jehova eſt, &c.
[10] altera pars, explicationi boni, cujus pius quiſque apud ſe conſcius eſt à Domino. Eſt autem explicatio hæc triplex; à ratione ſacrificiorum, ſortitionum, & poſſeſſionum. [11] i. vita mea, per ſynecdochen; ad illos verò idololatras nihil attinet.
[12] i. non mihi ſervandam committis ſortem meam; ſed ipſe mihi das & conſervas virtute tua, 1. Pet. 1. 4. & 5. Apoſtrophe.
[13] amplificatio ab amœnitate beneficiorum Dei; qua gradatione illuſtratur antitheſis fidelium cum idololatris. Nam idololatris (inquit) nihil accedit ſuperſtitione; pios auget religio: illis etiam quod habent deperit; his conſervatur datum: illis dolores multiplices & infiniti; his amœnitates obveniunt. De funiculis autem vide Deut. 32. 9.

7 [14] Benedicam Jehovæ [15] qui dedit conſilium mihi: *quo auctore* [16] etiam per noctes, erudiunt me renes mei.
8 Propono mihi Jehovam jugiter: quia à dextera mea *eſt*, non dimovebor.
9 Idcircò lætatur *a* anim⁹ meus, & exſultat [17] gloria mea: etiam caro mea habitat ſecurè:
10 [18] Quia non es derelicturus [19] animam meam in ſepulcro: neque expoſiturus eum quem benignitate proſequeris ut [20] videat corruptionem.
11 [21] Notam facis mihi ſemitam vitæ: ſatietatem gaudiorum in conſpectu tuo amœniſſimorum: [22] dextera tua, in æternitatem.

[14] Tertia pars, ſponſio eucharistica à conſcientia beneficiorum Dei, quā duobus verſibus ſupra per antitheſin attigit, & ſequentibus copiosè explicat à bonis præſentibus, deinde fundamentales (ut appellant) cauſas hujus ſponſionis affert, ad finem uſque. Bona præſentia ponuntur tria: benedictio, id eſt, ſolemnis profeſſio benedictionum acceptarum à Domino, hoc verſu: conſtans obſequium voluntatis ejus, ℣. 8. & gaudium in ſpiritu, verſ. 9. quæ tria recenſet Apoſtolus Rom. 14. 17.
[15] id eſt, ſpiritu ſuo me docet: primum beneficium. [16] i. & ita quidem conſulit ut ſpiritus ejus in me habitet, qui omni etiam quietis tempore intimas meas voluntates & ſtudia dirigit; quorum ſedem renibus ſcriptura tribuit, ut ſuprà 7. 10. gradatio, quam ſequens verſus amplificat. [a] Heb. cor.
[17] i. lingua gloriationis piæ inſtrumentum; metonymicè: ut Gen. 49. 6.
[18] Explicat jam Eccleſia cauſas (ut ita dicamus) fundamentales illius ſponſionis ſuæ. Sunt autem duæ: 1. à virtute efficientis cauſæ. 2. ab effectis illius. Animo, lingua, & ipſa carne ſecurus ſum, quia Chriſtus eſt anima ſeu vita mea: Chriſtus autem ſe à ſepulcro & corruptione vindicabit, tertio die reſurgens à mortuis: ergo & me ſuo ordine vindicaturus eſt: nam efficientis cauſæ ſupernaturalis, liberæ, ac non impeditæ effectus eſt conſtantiſſimus. [19] i. Chriſtum, qui vivit in me, Galat. 2. 20. quia ipſe eſt reſurrectio & vita; ac proinde auctor reſurrectionis meæ & piorum omnium: vide Act. 2. 25. & ſequent.
[20] i. experiatur; metaphora à ſenſu uno ad alterum. [21] Secundus locus ab effectis: q. d. jam vivens in me Chriſtus contulit mihi reſurrectionem primam, è tenebris mortis animam meam excitans, viam vitę oſtendens, &c. ut expertus & emenſus viam illius vitæ, vita illa lætiſſima, amœniſſima, & ſempiterna coram te perfruar: ſic duo ponit ventura beneficia quæ animo præceperat David, reſurrectionem carnis, & vitam æternam. [22] ſic interpretatur Petrus, Actor. 2. 33.

## PSALMUS XVII.

*David ab inimicis preſſus juſtitiam cauſæ, vitæ innocentiam, & ſimplicitatem ſuam profitetur: ita fretus bonitate Dei ſervari ſe ab inimicis & inimicos cōturbari petit, ut bonorum ſuorum quibus confidebant inſtabilitatem experirentur, & ipſe veritatem Dei.*

1 [1] ORatio Davidis: Exaudi Jehova [2] juſtitiam, attende ad clamorem meum; aurem præbe orationi meæ *quam habeo* abſque labiis *a* doloſis.
2 [4] A facie tua jus meum prodeat: oculi tui [5] videant quæ recta ſunt.
3 [6] Quum exploraveris *b* animum meum, viſitaveris [7] de nocte; [8] probaveris me, nō [9] invenies; *quod* cogito, nō tráſgreditur os meum.
4 Ad opera humana *inſtituenda*; ex verbo labiorum tuorum, ego [10] obſervo ſemitas [11] effractoris.
5 [12] Contine greſſus meos in [13] orbitis tuis; ne dimoveantur pedes mei.
6 [14] Ego invoco te, quia exaudis me Deus fortis; inclina aurem tuam ad me, auſculta ſermonem meum.
7 [15] Separa benignitates tuas, ô qui ſervas recipientes ſe ad dexteram tuam ab inſurgentibus.

[1] Hujus odes argumentum in inſcriptione ipſa oſtenditur. Partes ſunt tres. Exordiū ſive propoſitio, verſ. 1. & 2. Enarratio, inde ad verſum 14. & Concluſio, ultimo. Exordium proponit Prophetę poſtulata, & poſtulatorum argumenta, fidē videlicet & bonam conſcientiam.
[2] i. juſtam cauſam meam accipe.
[3] i. quæ non cōveniant cum cogitatione, verſ. 3.
[a] Heb. doli.
[4] i. ſententia & judicati exſequutio.
[5] i. demonſtrent ſe videre & probare æquitatem meam. [6] Enarratio antecedentium poſtulatorum & argumentorum diſtincta duobus locis, à perſona ſupplicis & adverſariorum. Ac cauſæ quidem à perſona ſupplicis exponuntur verſ. 3. & 4 quibus ſubjiciuntur poſtulata ſua, v. 5. & ſequētibus. A perſona verò adverſariorum, deinceps. [b] Heb. cor. [7] qua ſolet plurimum Deus animos hominum ab actionibus humanis evocatos ſollicitare & admonere voluntatis ſuæ, ut Ijobi 4. 12. [8] quaſi metallum conflans.
[9] ſub dolum, de quo verſ. 1. [10] ne incedam per illas. [11] i. hominis præfracta audacia omne jus perrumpentis. [12] prioris loci poſtulata, ut Propheta ducatur in bonum, & contineatur à malo: quæ duo propoſita fidei confirmatione, verſu 6. ex ordine repetuntur verſ. 7. & 8. & illuſtribus loquutionibus exornantur. [13] id eſt, quas deſignaſti verbo tuo. [14] argumentum à perſona Dei, & facili attentione ejus ad preces ſervorum ſuorum, quæ experientia ſpem ingenerabat & confirmabat in animo Davidis. [15] Petitio generalis, hoc verſu; cujus membra ſunt duo; unum, ut Deus ſervo ſuo benefaciat; alterum, ut obſiſtat adverſariis propter illum: univerſè autem utrumque petitur hac loquendi forma, *ſepara benignitates tuas*: quaſi dicat, haſtenus ita egiſti nobiſcum, ut ſi benignitates tuæ promiſcuæ eſſent omnibus, ac potius ad illos pertinerent: jam tempus eſt ut ſecernas benignitatem & quos benignitate proſequaris, vindiceſque ab iſtorum abuſu.

[16] prior petitionis locus pro ſalute ſua. [27] i. ſtudioſiſſimè, ut homo ſolet pupillam oculi ſui: ſic Deuter. 32, 10. [28] id eſt, protege me, ut exponitur Ruth. 2. 12. humanitus dictum. [29] ætiologia eſt à perſona adverſariorum, ἀντιδιαιτῶν ad ſecundum enarrationis locum, ut diximus in verſum 3. c Heb. in animam, i. vitam. [20] id eſt, præpingues ſunt, & deſideriis ſuis omnibus circumfluunt: ſic amplificat calamitates ſuas à cōparatione adverſariorū, quòd bene ſe habeant, arroganter loquantur; & inhumanè vivant inſectantes bonos, duobus verſibus ſequentibus.

8 [16] Serva me [17] tamquam nigrum pupillæ
oculi: [18] umbrâ alarum tuarum abſconde me:
9 [19] Propter improbos qui vaſtant me; inimicos meos c capitales *qui* cingunt me.
10 [20] Adipem ſuum d obeſant; ore ſuo loquuntur ſuperbè:
11 [21] Greſſum noſtrum nunc circumdant nobis: [22] oculos ſuos adjiciunt [23] declinando in terram.
12 Similitudo cujuſque *eſt* tamquam leonis appetentis rapere, & velut juvenis leonis reſidentis in latibulis.
13 [24] Surge Jehova, anticipa faciem ejus; proſterne eum, [25] eripe animam meam gladio tuo ab improbo:
14 Ab hominibus *eripe* manu tua, Jehova, ab hominibus [26] è mundo [27] quorum portio *eſt* in hac vita, quorum ventrem imples [28] recondito *theſauro* tuo: [29] ſatiantur filii, & relinquunt excellentiam ſuam infantibus ſuis.
15 [30] Ego [31] in juſtitia videbo vultum tuum: [32] ſatiabor e [33] quum expergiſcar [34] ſimilitudine tua.

d Heb. occludunt, id eſt, obſtipant. [21] id eſt, obſervant me & meos. [22] i. hoc unum ſpectant ut ruamus. [23] id eſt, deprimendo ſe, & diſſimulando, ut opprimant tamquam leones procumbentes, ad circumveniendam prædam, ſeq. verſ. vide Pſal. 10. [24] altera pars petitionis adverſus improbos. [25] regreſſio ad priorem petitionem. q. d. illos dejice, ut eripias me. [26] i. qui ſunt mundani, mundum ſpirant & ſapiunt; neq; ad regnum Dei. [27] hoc eſt, nihil cum altera vita commune habent; ſed hanc eſſe putant ſaginarium ſuum. [28] id eſt, opimis rebus: metonymia.
[29] id eſt, diuturna felicitate abutuntur, prout eſt benignitas & patientia Dei.
[30] Concluſio prophetica bimembris, ad vitam præſentem & futuram ſpectans.
[31] id eſt, hic mihi ſatis eſt, modo ſententia tua & re ipſa demonſtratus juſtus, faciei tuæ luce perfruar & contemplatione tui: de qua ſupra 4. 7. & 16. 11.
[32] quaſi dicat non indignè fero illos hic præſentibus beneficiis ſatiari atque inſerciri; per me licet: ego in venturorum bonorum certiſſima fiducia conquieſco. e Heb. in expergiſcendo. [33] i. reſurgam è mortuis, quos obdormire dicit ſcriptura uſque ad ſecundum adventum Chriſti. [34] i. videbo te perfectiſſimè ſicuti es, & ſimilis ero tibi, quum patefactus fuerit Chriſtus glorioſo adventu ſuo: vide 1 Joan. 3. 2.

## PSALMUS XVIII.

*Eodem argumento eſt cum 2. Schem. 22.*

[1] i. qui vita & regno deceſſurus ratione vitæ, fidei, & adminiſtrationis ſuæ reddidit Deo, ut fidelem ſervum oportuit: ſic cōtra quum regnū aditurus eſſet elegante Pſalmo ſe Dei ſervum fore profeſſus eſt, & ſe totum commiſit adminiſtrationi & bonæ voluntati Dei, infr. Pſal. 36. [2] de toto hoc Pſalmo vide 2. Schem. 22. eſt autem hîc propoſitio contenta verſibus tribus.

1 MAgiſtro ſymphoniæ, [1] ſervi Jehovæ, Davidis: qui eloquutus eſt Jehovæ verba cantici hujus, qua die eripuerat Jehova eum è manu omnium inimicorum ipſius, ut è manu Schaulis:
2 [2] Et dixit; ex intimis viſceribus diligam te, Jehova firmitas mea.
3 Jehova, petra mea, & propugnaculum meum, & liberator meus; Deus fortis meus, rupes mea, ad quē me recipiam; clypeus meus, & cornu ſalutis meæ, editus locus meus.
4 Laudatum invoco Jehovam, & ab inimicis mei ſervor.
5 Circumdantibus me doloribus mortis; & torrentibus *hominum* nequam perterrentibus me:
6 Doloribus ſepulcri circumeuntibus me; occurrentibus mihi tendiculis mortis:
7 In ipſa anguſtia mea, invoco Jehovam, & ad Deum meum vociferor: exaudit è templo ſuo vocem meam, & vociferatio mea coram eo pervenit ad aures ejus:
8 Et concutitur ac movetur terra, fundamentaque montium commoventur; concutiuntur autem, quum *ira* accenditur ei.
9 Aſcendit fumus per naſum ejus, & ignis ex ore ejus conſumens: prunæ ardentes ab eo *ſunt*:
10 Et demittens cælum deſcendit; cum caligine ſub pedibus ſuis:
11 Et inſidens Cerubinis volat, volitatque ſuper alas venti:
12 Diſponit tenebras latibulum ſuum, circa ſe tugurium ſuum; a tenebroſas aquas, denſitates ſuperiorum nubium.

a Heb. tenebras aquarum.

13 A ſplendore *qui eſt* ante eum nubes ejus denſæ tranſeunt; grando & prunæ igneæ.
14 Tonante in cælis Jehova, & excelſo edente vocem ſuam; grando & prunæ igneæ:
15 Ita emittens ſagittas ſuas, diſpergit illos; & fulgura jaculans fundit illos.
16 Conſpiciuntur etiā imi alvei aquarum, & revelantur fundamēta orbis habitabilis; increpatione tua Jehova, flatu ſpiritus naſi tui.
17 Mittens ex edito aſſumit me, extrahit me ex aquis multis:
18 Eripit me ab inimico meo valentiore; & ab oſoribus meis, quum robuſtiores ſunt me.
19 *Quū* occurrunt mihi in b tempore calamitatis meæ; tū *eſt* Jehova pro ſcipione mihi:

b Heb. die: ſynecdoche.

20 Et educit me in latum; liberat me, quia delectatur me.
21 Tribuit mihi Jehova ſecundùm juſtitiam meam; ſecundùm puritatem manuum mearum reſtituit mihi.
22 Quum obſervo vias Jehovæ, neq; improbè averto me à Deo meo;
23 Quum omnia judicia ejus in conſpectu meo ſunt; & ſtatuta ejus non amoveo à me:
24 Denique quum ſum integer coram eo; & caveo mihi c ne iniquè agam:

c Heb. ab iniquitate mea.

25 Reſtituit Jehova mihi ſecundùm juſtitiam meam; ſecundùm puritatem manuum mearum coram oculis ſuis.
26 Cum benigno benignum te exhibes; cum viro integro integrum te exhibes;
27 Cum puro purum te præbes: at cum perverſo eluctaris.
28 Quia tu populum afflictum ſervas; oculos verò elatos dejicis:
29 Quin tu illuſtras lucernā meam: Jehova Deus meus ſplendentes efficit tenebras meas.
30 Per te enim tranſcurro turmam; & per Deum meum tranſilio murum.
31 Hujus *Dei* fortis integra *eſt* via, ſermo Jehovæ purgatiſſimus *eſt*: clypeus eſt omnibus qui ſe recipiunt ad eum.
32 Nam quis *eſt* Deus præter Jehovam? & quis rupes præterquàm Deus noſter?
33 Hic *Deus* fortis *eſt* qui accingit me robore, & reddit integram viam meam:
34 Diſponens pedes meos tamquam cervarum: ut in excelſis meis ſtatuat me:
35 Docens manus meas prælium; adeò ut frangatur arcus chalybeus brachiis meis.
36 Nam das mihi clypeum ſalutis tuæ, dexteraque tua ſuſtentat me; & manſuetudo tua adauget me.
37 Dilatas greſſui meo locum meum; neque vacillant malleoli pedum meorum.
38 Perſequor inimicos meos, & aſſequor eos: neque revertor donec conſumſero eos.
39 Frango eos adeò ut non poſſint reſurgere; cadentes ſub pedibus meis.
40 Accingis enim me robore ad bellum; proſternis inſurgentes in me ſub me.
41 Et inimicorum meorum exponis mihi cervicem; ut oſores meos exſcindam.
42 Vociferantur, ſed non *eſt* qui ſervet; ad Jehovam, ſed non exaudit eos.
43 Itaque contundo eos tamquam pulverem coram vento: ut lutū plateārū frio eos.
44 Liberas me à contentionibus populi; diſponis me in caput gentium, populus quem non noveram ſerviunt mihi:

45 Ad

45 Ad auditionem auris obediunt mihi; a-
lienigenæ *d* mendaciter ſe dedunt mihi:
46 Alienigenæ decidunt, & horreſcunt è
conclavibus ſuis.
47 Vivit Jehova, & benedicta rupes mea:
quapropter exaltetur Deus ſalutis meæ,
48 *Deus* ille fortis qui præſtat ultiones mi-
hi; & adducit populos ſubter me:
49 Liberans me ab inimicis meis:etiam ſu-
pra inſurgentes in me exaltaſti me;à viro *e* vi-
olento eripuiſti me.
50 ‖ Idcircò celebrabo te in gentibus, Je-
hova,& nomini tuo pſallam:
51 Magnificam præſtare *f* ſalutem omni-
modam regi ſuo:& exercere benignitatem er-
ga unctum ſuum;ergaDavidem & erga ſemen
ejus uſque in ſeculum.

d *Heb. mentiuntur mibi.*
e *Heb.violentia.*
‖ *Rom.* 15.9.
f *Heb.ſalutes regi.*

## PSALM. XIX.

*David expoſitis documentis quæ Deus exhibet in rebus creatis, & ſancto verbo ſuo, Deum orat ut peccata ipſi condonet, deducat in ſanctificationem ſpiritus,& ipſum acceptum habeat in Chriſto.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ, [1] pſalmus Davi-
dis.
2 Cæli enarrant gloriam *Dei* fortis, & o-
pus manuum ejus indicat expanſum eorum.
3 [2] Dies ad diem [3] eructat [4] ſermonem; &
nox ad noctem oſtendit ſcientiam.
4 [5] Non *eſt* ſermo, neque verba *eis*; & ſine
*his* intelligitur vox eorum.
5 ‖ [6] In totam terram [7] prodeunte delinea-
tione eorum, ſimul *prodierunt* in extremita-
tem orbis habitabilis ſermones eorum; *ex quo*
Soli diſpoſuit tentorium in eis.
6 Nam eſt [8] tamquam ſponſus prodiens è
thalamo ſuo; lætatur tamquam robuſtus, *a*
decurſurus viam.
7 Ab extremitate cælorum exortus ejus,&
revolutio ejus ad extremitates eorum *eſt:* nec
*eſt* quod abſcondatur à calore ejus.
8 [10] Doctrina Jehovæ integra *eſt*,reſtituens
animam: teſtimonium Jehovæ verax, ſapien-
tiam afferens imperito.
9 Mandata Jehovæ *ſunt* recta, lætificantia
*b* [11] animum:præceptum Jehovæ purum, illu-
ſtrans oculos.
10 Reverentia Jehovæ munda, [12] conſi-
ſtens in ſempiternum:judicia Jehovæ *ſunt* ipſa
[13] veritas,juſta ſunt pariter:
11 Deſideratiſſima, [14] *deſiderabiliora* auro,
& quidem auro purgatiſſimo quamplurimo;
ac ‖ dulciora melle, & quidem [15] acœto melle.

1 Pſalmus eſt generis mixti, partim διδασκαλικός partimque δεητικός. Sunt autem partes illius duæ. Propoſitio doctrinæ, uſque ad verſ. 12. & Concluſio petitoria, inde ad finem uſque. Doctrinæ ſumma eſt, Dei gloriam omnibus modis prædicari, tum à rebus creatis ex naturæ ordine, uſque ad ỳ. 8. tū à verbo Dei ex diſpenſatione gratiæ, uſque ad verſ. 12. Quia autem cælum & quæ in cælo ſūt; ut expanſum, ſecundo verſu; dies & nox, ỳ. 3. ſol, verſ. 6. & ſeq. illuſtriſſimum exhibent divinæ gloriæ documētum: idcirco de cælo tantùm & cæleſtibus reb[9] hic agit pſaltes.
2 id eſt, dies diei alteri ſuperveniens; ut hodiernus heſterno, craſtin[9] hodierno: ſic de nocte.
3 i. deſinenter profundit, ut fōs perennis aquas profundit largiter: metaphora.
4 de Dei gloria ſuo modo: elegans proſopopœja, quam duo verſus ſequentes explicant. 5 Occupatio, qua propheta emollit ſuperiorem proſopopœiam, & docet intelligentiam ejus: non loquuntur quidem ut homines, ſed tamen (inquit) velut loquentes nobis intelliguntur. ſic Rom 1.20.& Heb. 11.3. ‖ *Rom.* 10.18.
6 amplificatio à tempore: non eſt novum (inquit) hoc documenti genus; ſed inde ab initio creationis omnia præconio illorum perſonant. 7 i. quum eos delineavit Deus ſecundo creationis die, Gen. 1.6. & ſequentibus. 8 quarto creationis die, Gen. 1.16. 9 id eſt, inde à creatione ornatiſſimus, indefeſſus, velociſſimè percurrit demenſum ſuum, atque efficaciſſimè calore ſuo afficit omnia, quæ omnia duobus ſimilibus hoc verſu exornantur, & apertè prædicantur ſequente. a *Hebr. currere.* 10 alterum genus documentorum, ut obſervatum eſt in ỳ. 11. commendatur autem hoc genus à duobus locis primùm à natura ipſius; quod documentum hoc integrum, verax rectumque eſt, &c. deinde ab effectis erga pios, quòd ſingula effecta ſuam convenientiam habeant cum prioribus attributis ſingulis de natura verbi. Integra eſt doctrina, ac proinde animos redintegrat, ac ſic deinceps. b *Heb. ut cor. verſ.* 15. 11 qui totus perturbatus eſt, dum deſtituitur recto. 12 ac proinde homines pios & reverentes Dei in eamdem imaginem transformans à gloria in gloriam per ſpiritum domini, ut in ſempiternum conſiſtant. 13 ac proinde verè hominibus juſtitiam afferunt, qua ad ſempiternam illam vitam pervenitur.
14 duobus illis nominibus, & quòd ipſa bona ſunt, & quòd afferunt bonum. ‖ *Infra* 119.103. c *Heb. diſtillatione favorum.* 15 id eſt, maximè laudabili, quod per ſe fluit, & non ſidit ſuo velut cubili: ſed ultro è favo ſtillat ut muſtum vel oleum: quod genus propriè acœton appellari docet Plinius lib. 11. natural. hiſtor. cap. 15.

12 [16] Tum *m* ſeruum tuum commonefa-
ctum iſtis;in horum obſervatione *eſſe* emolu-
mentum magnum.
13 ([17] *Nam* errores quis intelligat?) me, *in-
quam*,ab occultis abſolve:
14 Tum [18] à contumaciis ſubtrahe ſervum
tuum, ne dominentur in me; [19] tunc integer
& inſons ero à defectione magna.
15 *d* Sint accepti [20] ſermones oris mei, &
meditatio animi mei coram te: Jehova [21] ru-
pes mea & [22] redemptor mi.

16 Concluſio petitoria ab occaſione ſuperioris doctrinæ, & ſtudio conſequendi boni quod illa explicat. Sunt autem petitionis capita tria; primùm, liberatio à peccatis per errorem commiſſis, his duobus verſibus: Secundum, conſervatio piorum in obſequio Dei & ſanctificatione verſ. 14. tertium, acceptio perſonæ per Chriſtum, qui primus eſt aditus ad remiſſionem peccatorum & ſanctificationem, quas poſtulaverat ſuperioribus verſibus. 17 Occupatio, qua oſtendit David ſe peccata ſua, ſi noviſſet, fuiſſe expoſiturum Deo ad impetrandam veniam: ſed humanum eſſe errare, & ignorare errorem ſuum. 18 i. ne quando ſim contumax, q. d. deduc & contine me in obſequio tuo. 19 quum hæc duo fuero conſequutus, remiſſionem peccatorum, & ſanctificationem vitæ. d *Heb. in benevolentiam: ut Levit* 22.20. 20 i. ego ipſe cum orationibus & cogitationibus meis. 21 vide Deut 32.4. 22 in Chriſto, qui ſervat populum ſuum à peccatis ſuis.

## PLALMUS XX.

*Eccleſia regi in expeditionem proficiſcenti bene precatur ſuo & regis ſui nomine; fiduciam ſuam in Deum prædicat, & fauſto eventu glorioſè prænunciato, res ſuas Chriſto Deo commendat.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ, [1] pſalmus Davi-
dis.
2 [2] Exaudiat te Jehova *a* tempore angu-
ſtiæ;te in edito collocet [3] nomē Dei Jahakobi.
3 Mittat auxilium tuum [4] è ſancto, & [5] è
Tzijone fulciat te.
4 [6] Odoretur omnia munera tua, & holo-
cauſtum tuum in cinerem redigat [7] ut quum
maximè.
5 Det tibi ex *b* animo tuo, & totum tuum
conſilium impleat.
6 [8] Canamus de ſalute tua, & in nomine
Dei noſtri [9] vexillis utamur: impleat Jehova
omnes petitiones tuas.
7 [10] Jam agnoſco Jehovam ſervare [11] un-
ctum ſuum,exaudire eum de cælis ſanctitatis
ſuæ; [12] ex *c* ſumma fortitudine, ſalute dexteræ
ſuæ.
8 [13] Hi curruum, & illi equorum; nos verò
nomini Jehovæ Dei noſtri [14] recordamur.
9 Illi incurvant ſe & [15] cadunt: nos verò
ſurgimus & conſiſtimus.
10 [16] Jehova ſerva; [17] rex ipſe exaudiat nos,
quo tempore invocabimus.

1 Pſalmus eſt δεητικός, tribus partibus cōſtās; petitione, uſque ad verſum 7. confirmatione, uſque ad ỳ. 10. & concluſione. Petitionis loci ſunt duo: unus, quo petit populus & precatur ſalutem regi, uſque ad ỳ. 6. alter quo precatur ſalutem, pacem, & lætitiam populi, verſ. 6.
2 prolepſis ſive propoſitio generalis totius petitionis; cujus membra ſunt duo: unum, ut Deus perſonam accipiat & preces exaudiat, quod explicatur ỳ. 4. Alterum, ut benevolentiam ſuam opere teſtetur, regem ſupra omnia pericula evehens, quod explicatur ỳ. 3 per ὑστερον. a *Heb. in die: ſynecdoche: ſic infra verſ. ult.* 3 i. Deus nominatiſſimus & laudatus, ut ſupra vocavit, pſalm. 18.4. Hypallage: 4 i. è cœlis ſanctitatis ſuæ, ut inf. verſ. 7. 5 i. ſede aſpectabili ipſius in eccleſia. 6 i. te & preces tuas gratè accipiat: Synecdoche à ſignis.
7 vide ſupra in Pſal. 33. b *Heb. corde.* 8 petitionis pars altera, ut obſervatum eſt ſup. in ỳ. 1. 9 id eſt, ex conflictu & victoria ab hoſtibus triumphemus: ſynecdoche. 10 Confirmatio, ſive prædicatio glorioſa eccleſiæ, velut jam petitionem adeptæ, qua oſtendit ſe plane de felice eventu in Deo ſecuram eſſe.
11 i. regem, ſup. 2.2. 12 hæc duo ſunt documenta quibus præter ſalutare verbum Eccleſia agnoſcit gratiam Dei: nimirum natura & operationes gratioſæ Dei. Agnoſco igitur, inquit Eccleſia, ex his duobus documentis. ἐμπλοκή.
c *Heb. fortitudinibus.* 13 ἐργασία ſuperioris prædicationis per ἀντίθεσιν ſive comparationem fiduciæ fidelium cum fiducia infidelium, hoc verſu: & eventus utrorumque, verſu ſequente. 14 id eſt, in unica ejus recordatione acquieſcimus. 15 id eſt, ex cauſa proſtrati jacent, ut docet oppoſitum conſiſtendi verbum. 16 Concluſio, ſummam Precationem fiduciamque Eccleſiæ repetens.
17 Chriſtus, qui idem eſt Jehova ſalutis auctor, & Mediator à Patre datus.

## PSALMVS XXI.

*Pſaltes Deo gratulans de beneficiis ejus, enarrat quæ acceperit ad vitam, ſalutem, & gloriam præſentem & ſempiternam pertinētia: exitium adverſariorum prædicat: & Deum orat ut procuret porrò gloriam ſuam.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ, [1] pſalmus Davi-
dis.
2 [2] Jehova, de robore tuo lætatur rex;

1 Pſalmus eſt συγχαρητικός, id eſt, gratulatorius conſtans ex propoſitione ỳ. 2. narratione cauſarum ad gratulationem pertinentium, uſque ad verſ. 14. & concluſione, verſ. ult. 2 propoſitio gratulationis duobus nominibus; roboris divini, & ſalutis quam robur divinum præſtat.

& de ſalute tua quàm exultat valde!
3 [3]Deſiderium *a* animi ejus das ei, pronũ-
ciatum labiorum ejus nõ avertens, [+] maximè:
4 [5]Quin [6] prævenis eum [7] benedictioni-
bus boni, [8] imponis capiti ejus coronam auri
purgatiſſimi.
5 Vitam petiit abs te, dediſti ei; *etiam* lõgi-
tudinem dierum in ſeculum & ſempiternum.
6 [9] Magna *eſt* gloria ejus per ſalutem tuam;
decus & majeſtatem poſuiſti in eo.
7 [10] Nam diſpoſuiſti illi benedictiones in
ſempiternum, exhilaraviſti eum lætitia à facie
tua.
8 Quoniam ipſe rex confidit Jehovæ, ideò
fretus benignitate excelſi non dimovebitur.
9 *b* [11] Aſſequêris manu tua omnes inimicos
tuos, dextera tua aſſequêris oſores tuos.
10 [12] Diſponis eos *ut* fornacem ignis tem-
pore faciei iratæ tuæ; Jehova ira ſua abſorbet
eos, quaſi conſumat eos ignis.
11 Fructum eorum è terra perdis, & ſemen
eorum à filiis hominum:
12 [13] Quoniam intenderunt tibi malum;
commenti ſunt cogitationem, non poſſunt
*perficere.*
13 [14] Nam ponis eos *velut c* tumulum; ner-
vis tuis *d* aptatas *ſagittas* jacularis contra faci-
em eorum.
14 [15] Exaltare Jehova robore tuo; cante-
mus & pſallamus fortitudinem tuam.

1 narratio operum, quibus robur ſuum & ſalutem præſtabat Deus. Sunt autẽ gradus illius duo: unus quòd non ſolùm res optatas dedit. hoc verſ. verum etiam, quòd ſupra optata dedit, uſque ad ℣. 9. alter, quòd adverſarios perdit, inde uſque ad ver. vltim.
a Heb. cordis eius.
4 vide ſuprà in 3.3.
5 amplificatio eſt prioris gradus beneficẽtiæ Dei, proleptícè in hoc verſu enunciata: cujus duæ ponuntur partes; bona vitę ex benedictione Dei proficiſcentia, ut explicantur ſequente verſu, & gloria atq; amplitudo, quã explicat, verſ. 6.
6 i. nihil tale cogitanti, nedum optanti exhibes: ut oſtenditur 1. Schem. 16.
7 i. optimis αὐξήσεσι.
8 i. committis regnum ampliſſimum & glorioſiſſimum in populo Dei ℣. 6. ſynecdoche.
9 i. duplicem gloriam tribuiſti ei, tum quia ſalutem contuliſti & liberationem ab omni calamitate, tum quia in ſummum majeſtatis faſtigium eʼvexiſti: ſic enim totius anteactę vitæ, acceptorumque à Deo beneficiorum recordatur David.
10 amplificatio beneficiorum Dei, à circumſtantia temporis: in quibus ſeipſum confirmat propheta primùm à revelatione Dei. 2. Schem. 7. deinde à fide ſua promiſſiones amplectente, verſ. 8.
b *Heb. invenies: ſic paulo infra eodem verſ.*
11 tertius narrationis locus ordinarium Dei judicium in adverſarios explicans hic verbis propriis, figuratis vero, verſ. ſeq.
12 i. perſonas, facultates, & poſteritatem convellis, his duobus verſ.
13 ἀνταπόδοσις judiciorum Dei, quæ improbis eventura prædicavit, à nefariis conatibus: & conſiliis eorum.
14 Elegans allegoria: qua improborum corpora cum aggere; facies cum ſcopo aggeri infixo comparantur: ſic Ijobi 16. 12. & Lamen. 3. 12.
c *Heb. humerum, id eſt aggerem quem deorſum ſimiliter vocat Virgilius.*
d *Heb. aptas contra faciem, ſyllepſis, ut Exod. 21. 2.*
15 Concluſio petitoria pro gloria Dei, & ſalute lætitiaque populi ad gloriam ejus.

## Pſalmus XXII.

*Pſaltes perpeſſiones infinitas Chriſti explicat, in quibus eum invocantem fuiſſe exauditum teſtatur: deinde prophetiam, ſacerdotium, & regnum illius ſempiternum atque univerſale ad eccleſiam totam perventurum docet.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ [1] *a* ad primam au-
roram [2] pſalmus Davidis.
2 [3] Mi *Deus* fortis, mi *Deus* fortis, [4] quare
dereliquiſti me; longinquus à ſalute mea,
verbis [5] rugitus mei?
3 Deus mi, *quare* invocantem me interdiu
non exaudis? & noctu *invocanti* non *eſt* [6] ſi-
lentium mihi.
4 [7] Atqui ſanctus es, [8] permanens, *b* perfe-
cta laus Jiſraelis:
5 Tibi confiſi ſunt majores noſtri: confiſi
ſunt; & liberaſti eos.
6 Ad te clamaverunt, & erepti ſunt; tibi
confiſi ſunt, [9] nec puduit eos.
7 [10] At ego [11] *ſum* vermis, ac non vir; op-
probrium hominum, & contemptus *c* popu-
lo.
8 Omnes videntes me ſubſannant me; [12] di-
ducunt labium, [13] movent caput.
9 Devolvit ſe ad Jehovam (*inquiunt*) libe-
ret eum: eripiat eum, quandoquidem dele-
ctatur eo.
10 [14] Cùm tu *ſis* qui eduxiſti me ex utero;
faciens ut ſecurus agerem ad ubera matris
meæ;
11 [15] In te rejectus ſim ex vulva, inde ab ute-
ro matris meæ *Deus* fortis meus ſis:
12 [16] Ne procul abſis à me; dum anguſtia
propinqua eſt, [17] dum nemo eſt adjutor.
13 [18] Circumdant me [19] juvenci multi; ro-
buſti *juvenci* [20] Baſchanis cingunt me.
14 Dilatant contra me os ſuum, *tamquam*
leo rapiens & rugiens.
15 [21] Sicut aqua effundor, & diſparant ſe o-
mnia oſſa mea: eſt cor meum ſimile ceræ, li-
queſit in *d* viſceribus meis.
16 Areſcit ut teſta vis mea, & lingua mea ad-
hæret faucibus meis; & in pulvere *e* lethali
collocas me.
17 Nam circumdederunt me canes, cœtus
maleficorum circumvenêrunt me; [22] foderunt
manus meas & pedes meos.
18 [23] Enumerare poſſem omnia oſſa mea:
ipſi [24] intuentur, reſpiciunt in me.
19 ‖ Partiuntur veſtimenta mea inter ſe, &
pro indumento meo projiciunt ſortem.
20 [25] Tu ergo, Jehova, ne procul abſis: vir-
tus mea, ad auxilium meum feſtina.
21 Eripe à gladio animam meam, *f* à cane
[26] unicam meam.
22 Serva me ab ore leonis, & à cornibus u-
nicornium, exaudiens me.

1 Has voces multifariã redditas, ita accipimus pro diluculo, quia eo demum tempore auroræ primordium eſt. Nam quòd plerique initium cantionis eſſe exiſtimant, non ſatis videtur cum argumento hujus Pſalmi & cum gravitate ac honeſtate Eccleſiæ convenire, ut adhibeantur ludicri & populares cantus. Senſus igitur eſt, Pſalmum hunc Sacerdotibus & Levitis fuiſſe traditum, ut ſingulo quoque manè in Eccleſia quum primùm aurora erumperet, caneretur; prout moris erat Sacerdotibus & Levitis ex lege ſymphoniam exercere, 1. Chron. 9. 33. & 23. 4. & 24. ſic voluit Deus Eccleſiam veterem ſingulis diebus recolere fiduciam de exſpectatione Chriſti, cujus perpeſſionum & regni vaticinium hoc Pſalmo continetur.
a *Heb. ad primordium auroræ.*
2 Pſalmus eſt generis mixti, εὐκτικὸς καὶ εὐχαριστικός: cujus argumentum etſi aliqua ex parte & certis tantùm verſibus ad Davidem accommodari poteſt: tamen non dubitamus propriè ad Chriſtum pertinere, de quo David per ſpiritum Dei prophetavit. Conſtat itaque hic Pſalmus ex duabus partibus; precatione, quæ coniunctas habet perpeſſiones Chriſti, uſque ad verſ. 23 & gratiarum actione, ſive prædicatione beneficiorum Dei & regni ad Chriſtum perventuri, inde ad finem uſque. Nam his duabus partibus, nimirum perpeſſione & gloria, tota Evangelii doctrina continetur: ut docetur 1. Pet. 1. 11. Precationis autem membra ſunt duo, Exordium, & Propoſitio.
3 Exordium petitionis per exclamationem patheticam, his duobus verſibus, quibus exprimitur virtus fidei adverſus infirmitatem carnis graviſſime concertantis, & animum ad Deum ſuperata carne & difficultatibus ejus erigentis. Nam fidei opus eſt, Deum noſtrum in mediis procellis cernere, invocare, & invocando præſtare: carnis verò opus & infirmitatis, de abſentia Dei conqueri.
4 in iſtis calamitatibus non acceleras ad ſalutem meam, neque exaudis me? ut ſequentia exegeticè docent: nam Chriſto adverſus pœnas præſentes & æternas ex peccatis noſtris dimicante, quaſi latebat Deus, neque vires ſuas exſerebat natura divina ejus foras.

5 i. clamoris vehementiſſimi: metaphora.
6 id eſt, quies ab iſtis calamitatibus; quibus preſſi clamamus, & ſilemus liberati: ſynecdoche.
7 Propoſitio cõtinens duo petitionis vel poſtulati membra: unum, ἀποτρεπτικὸν vel deprecationis, ne porrò à ſupplice abſit Deus, ad verſum uſque 13. alterum, precationis, uſque ad verſum 23. utrique autem petitionis membro ſuæ antecedunt cauſæ. in priore hoc cauſarum tria ſunt genera: unum eſt à perſona Dei: ſecundum, à perſona adverſariorum: tertium, à perſona ſupplicis. A perſona Dei ponuntur duo argumentorum genera, his 3. ℣. Prius, ex natura ejus, quod ſanctus, ſempiternus, & laudatiſſimus eſt: poſterius. ex officiis erga ſuos & eorum exemplis, quod ſaus eſt, fiducia, liberator, & ſervator populi ſui.
8 ſic accipitur Pſa. 102. 13. & alibi.
b *Heb. laudes Jiſraelis.*
9 quaſi deluſos exſpectatione: ſed potius glorioſè ſupra omnes calamitates evecti ſunt: Litotes.
10 Alterum argumentum à perſona adverſariorum hominem miſerum indigniſſimè exagitãtium, contumeliis & ſannis ludificantium atque blaſphemiis, tribus verſibus.
11 i. non pluris apud illos fio, ut ſequentia oſtendunt.
c *Heb. populi.*
12 i. per ludibrium buccas inflant: ſimile eſt Ijobi. 16. 10.
13 vide 2. Regum 19. 21. & Matth. 27. 39. & ſequentibus.
14 tertium argumentum à perſona ſua, quo adducit non meritum ſuum, ſed ante accepta Dei beneficia inde ab utero.
15 i. totus tuus, & commiſſus curæ fideique tuæ ex fœdere tuo: cujus ſumma ſequentibus verbis continetur: ut Gen. 17. 7. & 8.
16 prior locus petitionis, qui προσυπακτέον commodè poſteà repetitur ver. 20. Eſt autem hæc petitio admodum pathetica per antitheſin contrariorum: nam Deum ſalutarem & longinquum anguſtiæ propinquæ opponit: quaſi dicat, indignum eſſet te procul abeſſe, qui ſolus fides & ſalus noſtra es: afflictionem verò ſemper in propinquo ſinere.
17 ullus præter te.
18 ἐργασία ſuperiorum argumentorum, à perſona adverſariorum & ſua, ſternens viam ad ſecundum petitionis locum, ut diximus ſup. in verſ. 4.
19 i. inimici robuſti, & ferocientes, qui allegoricè beſtiarum nominibus deſcribuntur.
20 i præpingues & obeſi, ut juvenci in Baſchane paſti, vide Deut. 32. 14.
21 altera pars ἐργασίας à perſona ſua, ubi hyperbolicè exponit calamitates ſuas corpore, animo, & ſingulis eorum partibus initas, quaſi dicat, caro, adeoque oſſa, cor, viriditas, lingua, totus deniq; contabeſco.
d *Heb. in medio viſcerum meorum.*
e *Heb. mortis.*
22 Etſi in vulgatis exemplaribus habentur verba, quæ ſonant tamquam leo manus meas: tamen ad hanc lectionem quam ſervamus, non tantùm argumentationis ordine & ſimplicitate conſtructionis adducimur, Græcorumque exemplo; ſed etiam duplice Maſſoritarum teſtimonio: nam teſtantur in bona librorum emendatiorum parte ſcriptum fuiſſe, *Caru*, quod eſt foderunt: & qui alteram lectionem habent, docent eam non eſſe accipiendam in ordinaria ſignificatione: quam ob rem Chaldæus paraphraſtes utramque interpretationem conjunxit; quaſi dicas, foderunt vel pertuderunt manus pedeſque meos. ut leo dentibus ſolet pertundere.
23 præ macie.
24 id eſt, tamen ſiccis & fixis oculis reſpiciunt in me, gaudentes de malo meo.
‖ *Matth. 27. 35.*
25 Petitionis ſecundus locus: cujus partes ſunt, ut Deus adſit, hoc verſu, ut liberet à malo, verſu ſequente, & plenam ſalutem bonumque conferat, verſu 22.
f *Heb. è manu canis: ut Geneſ. 9. verſ. 5.*
26 id eſt, ſolitariam vitam meam adjutore omni deſtitutam: ut expoſtulavit ſupra verſ. 12.

23 [27] Enarrabo nomen tuū fratribus meis;
in media congregatione laudabo te:
24 [28] *Dicens*, timentes Jehovæ laudate eum;
totum ſemen Jahakobi honorate eum: & ti-
mete ab eo totum ſemen Jiſraelis.
25 [29] Quia non ſpernit, neque abominatur
afflictionem afflicti, neque abſcondit faciem
ſuam ab eo; ſed quum vociferatur ad ipſum,
*g* exaudit.
26 [30] *De bonis obventuris* à te *futura eſt* laus
mea in congregatione multa: vota mea per-
ſolvam coram reverentibus eum.
27 [31] Comedent [32] manſueti, & ſaturabun-
tur; laudabunt Jehovam quærentes eum: [33]
vivet animus veſter in ſempiternum.
28 Recordabuntur & convertentur ad Je-
hovam [34] omnes fines terræ; & incurvabunt ſe
coram te *honorem exhibentes* omnes familiæ
gentium.
29 Quoniam [35] Jehovæ *eſt* regnum ipſum,
& dominium habet in gentes.
30 [36] Comedentes incurvabunt ſeſe omnes
[37] pingues terræ, coram eo procumbent qui-
cumque deſcendunt in pulverem; [38] *qui* ani-
mam ſuam in vita non conſervaverit.
31 *Horum* ſemen [39] colet eum, [40] accenſebi-
tur Domino in quaque ætate.
32 Advenientes annunciabunt juſtitiam
ejus; populo naſcituro, [41] ipſum exercere *eam*.

27 ἀναφορὰ altera pars pſalmi, ut dictum eſt in verſ.1.cujus partes ſunt, profeſſio publica beneficii à Deo accepti in Eccleſia, cū hortatione prophetica 3. verſibus, prophetia de perfūctione ſpiritalis & æterni ſacerdotii, verſ.26. & prophetia de regno Chriſti, inde ad verſum 27. de hoc autem verſu vide Heb. 2.12.
28 hortatio ad Eccleſiam, alterum profeſſionis memorum ad propheticum Chriſti officium pertinens.
29 ἀποδοχὴ à beneficio Dei tū ſingulari erga Chriſtum, quando inclamavit patrem, ut ſuprà, & Heb.5.7. tum communi erga membra ejus.
g Heb. eſt exaudiens.
30 tranſitio ad alteram ἀναφορᾶς partem, per repetitionem ejuſdem laudis, cujus meminerat ſupra verſ.23. à ſacerdotio Chriſti. 31 prophetica explicatio regni ad Chriſtum pertinentis: cujus tria capita proleptice ponuntur hoc verſu, educatio fidelium, laus Dei, & vita æterna. Ponitur autem laudatio Dei inter præſens tempus educationis, & futurum æternæ vitæ; quia ad utrumque communiter pertinet. 32 id eſt, pii, qui domita & abdicata feritate naturæ ſuæ recordantur Dei & ſe ad ipſum convertunt, ſequente verſu. 33 apoſtrophe ad manſuetos emphatica. 34 id eſt, incolæ totius terræ ad extremos uſque terminos: metonymia, ut ſup. 2.8. ſic oſtenditur regnum Chriſti non finibus Judææ circumſcriptum, ſed univerſale fore. 35 vide accommodationem hujus argumenti, Rom.3.29. & 1. Timot.2.5. 36 i. cujuslibet conditionis homines, magni & parvi, divites & pauperes, &c. fruentur educatione, quæ prima fuit pars prolepſeos ſupr. 27. vide uſum iſtius argumenti, 1. Timo.2. in principio. 37 id eſt, ſecundis rebus fruentes, proſperantes: periphraſis. 38 id eſt, qui ultrò flagrans ſtudio gloriæ Dei abjecerit vitam ſuam, & ſibi renunciaverit propter cultum ipſius: nam hæc certiſſima eſt nota populi voluntarii, ut appellatur Pſal.110. 39 ſecundum membrum prolepſeos, ſup. 27. 40 id eſt, populo Dei adſcribetur, ut copioſius exponitur pſal.87. 41 id eſt, auctorem eſſe omnis juſtitiæ, tum illius qua juſtificat impium in miſericordia, tum etiam illius qua in judicio damnat.

## PSALMUS XXIII.

*Propheta Deum paſtorem ſuum agnoſcens, & ſe viciſſim illius ovem, officia illius erga ſe prædicat, & de futuro animum ſuum confirmat.*

1 PSalmus [1] Davidis: [2] Jehova paſtor meus
*eſt*, non poſſum egere.
2 [3] In caulis *a* herbidis facit ut recubem, [4]
ſecundum aquas *b* lenes deducit me:
3 [5] Animam meam quietam efficit, [6] ducit
me per orbitas juſtitiæ; propter nomen ſuum.
4 [7] Etiam quum ambularem per vallem
lethalis umbræ, non timerem malum, quia tu
mecum *es*: [8] virga tua & pedum tuum ipſa
conſolantur me.
5 [9] Inſtruis coram me menſam è regio-
ne hoſtium meorum: *c* delibutum reddis un-
guento caput meum, poculum meum exube-
rans.
6 [10] Nihil niſi bonum & benignitas proſe-
quentur me omnibus diebus *d* vitæ meæ: &
quietus ero in domo Jehovæ, *e* quandiu lon-
ga erunt tempora.

1 Pſalmus eſt didaſcalicus, quo Pſaltes exponit fiduciam ſuam in benignitatem Dei, & finē illius, duobus modis: primùm per narrationem allegoricam, uſque ad verſum 5. Deinde per ἀναγωγὴν ſive accommodationem allegoriæ ad perſonam ſuam, duobus reliquis.
2 propoſitio allegoriæ, qua Deus cum paſtore, fidelis cum ove comparatur. Explicatur vero hæc allegoria primum ſimpliciter, enumeratis partibus quæ ad officium boni paſtoris pertinent, duobus verſibus: deinde per hypotheſin, ℣.4. 3 i. non tantùm alimoniam copioſè, ſed etiam quietem molliſſimam & opportuniſſimam concedit. a Heb. teneræ herbæ. 4 i. commoditatem potus & refrigerij exhibet, quaſi dicat, meæ vitæ, quieti, & amœnitati conſulit. b Heb. quietū. 5 i. me languentem, mea infirmitate labefactatum, & planè cōfectum inſtaurat: regenerationis ſymbolum. 6 i. facit ut ſine metu ſerviam ipſi cum ſanctitate & juſtitia in conſpectu ipſius: Luc.1.74. 7 hypotheſis, ut obſervatum eſt ſup. in verſum 2. quaſi dicat, etiamſi ignorantia vel infirmitate mea ab ipſo & ipſius grege aberrarem, in ipſo tamen ſecurus ſum. vide Johan.10.28. promiſſionem Dei huic ſecuritati reſpondentem. 8 id eſt, ductus ſpiritus tui ex præſcripto verbi quaſi virga me agit, & quaſi pedo inhibet. 9 ἀναγωγὴ, ut obſervatum eſt in ℣. 1. cujus partes ſunt duæ: una, explicatio beneficiorum præſentium, hoc ℣. altera, futurorum cùm in præſente, tum in futura vita ſequente verſu. Præſentia autem metaphoricè exponit, docens ſe tam largiter & lautè à Deo curari, ut rebus omnibus circumfluat tum ad neceſſitatem, tum ad ornamentum ſuum pertinentibus. Nam oleo & unguentis ferè delibuti erant veteres, elegantiæ atque venuſtatis, non neceſſitatis cauſa: ut Matth.6.17. & 2 Schem.12.20. quamobrem qui in luctu erant, ab unguentis abſtinebant, ut 2. Schem.14.3.

c Heb. pingue. 10 altera pars, ſecuritas de futuro: ut modo diximus. d Heb. tantummodo. e Heb. in longitudinem dierum.

## PSALMUS XXIV.

*Propheta regno Dei univerſali in res creatas expoſito, ſingulare regnum in Eccleſia (cujus notas apponit) explicat, & eam ad honorificè convenienterq; excipiendum Chriſtum regem adhortatur.*

1 DAvidis [1] pſalmus. [2] Jehovæ *eſt* terra &
quod *a* implet eam; orbis habitabilis,
habitantes in eo.
2 [3] Nam ipſe [4] ſuper maria fundavit illam,
& ſuper flumina ſtabilivit illam.
3 [5] Quis aſcenſurus eſt in montem Jehovę,
& quis ſtaturus in loco ſanctitatis ejus?
4 [6] Innocens manibus & purus *b* animo;
qui non effert ad vanitatem animam ſuam,
neque jurat ad fraudem:
5 *Is* reportat benedictionem à Jehova, &
Juſtitiam à Deo ſalutis ſuæ.
6 Hæc *eſt* generatio requirentium eum:
quærentium [7] faciem tuam, [8] *generatio* Jaha-
kobi, [9] ſummè *quærentium*.
7 [10] Attollite portæ capita veſtra, & attolli-
te vos, [11] oſtia ſeculi; ut ingrediatur rex gloriæ.
8 [12] Quis *eſt* iſte rex gloriæ? Jehova robu-
ſtiſſimus & potentiſſimus; Jehova potentiſſi-
mus *c* bellator.
9 [13] Attollite portæ capita veſtra: attollite,
inquam, oſtia ſeculi, ut ingrediatur rex glorię.
10 Quis *eſt* iſte rex gloriæ? Jehova exerci-
tuum: is *eſt* rex gloriæ ſummè.

1 Pſalmus eſt didaſcalicus, regnum Chriſti explicans duobus modis: primum à ſubditis ejus uſque ad ℣. 7. deinde ab adventu ejus in regnum ſuum, inde ad finē uſque. Subditorum ponuntur duo genera: unum, natura & creationis jure ad Deū pertinentiū, ℣.1. & 2. Alterum, domeſticorum ejus, quos beneficio gratiæ ſuæ & redemtionis recipit ad ſe, ℣. ſequentibus. 3 i. res omnes creatæ ad ipſum pertinēt, ac proinde eorum ſunt etiam quos Deus ad ſe recipit in Chriſto, ſive uti illis, ſive non uti commodum videatur; ſic accōmodat Apoſtolus 1. Cor.10.25. & 28.

a Heb. plenitudo ejus. 3 ἀποδοχὴ à creationis, ſuſtentationis, & adminiſtrationis jure. 4 i. ita ſtatuit eam, ut depulſis in ſuos alveos maribus & fluentis, ſuprà extet ad commodam habitationem noſtram. Quamobrem pſalm.104. baſes terræ vocantur ac velut ſtatumina, quibus latera ejus circumquaque fulciuntur. 5 tranſitio ad alterum ſubditorum genus, quod dialogiſticè exponitur, ut pſal.15. quaſi dicat Etſi omnia ſunt Jehovæ; tamen non omnia, ac ne omnes quidem homines apud Jehovam permanſuri ſunt. Quis ergo aſcendet, &c. 6 ſubjectio, ſive reſponſio ad quæſtionem proximam de notis domeſticorum Dei: quarum genera ſunt tria; primùm integritas vitæ, animi, cogitationum & ſermonum, hoc verſ. deinde teſtificatio Dei, verſu ſequente; & poſtremo profeſſio & ſtudium ipſorum ad adeundem Deum, verſ.6. b Heb. corde. 7 apoſtrophe ad Deum. 8 id eſt, quæ non ſecundum carnem cenſetur in poſteris Jahakobi; ſed qui filii ſunt promiſſionis ex fide, ut Rom.9.6. & ſequentibus, & Galat. 6.16. 9 vide in Pſalm.3.3. 10 altera pars pſalmi dialogiſtica de adventante rege Chriſto; qua per proſopopœiam admonentur pii, ut ſe comparent ad excipiendum eum: nam Eccleſia templum Dei eſt; & fidelium ſingulorum animus, allegoricè eſt porta qua intromittitur Chriſtus: ut Apocal.3.20. ideoq; jubentur animos ab iſtis rebus terrenis avocatos ſurſum erigere. 11 id eſt, æterna Dei templa, æternæ Eccleſiæ & univerſalis membra. 12 quæſtio fidelium de perſona regis, non repellentium quidem, ſed ad majorem ſui confirmationem percunctantium; quibus ita reſpondetur ut deſignetur Chriſtus à natura & effectis ſuis: à natura, quòd Jehova, id eſt, Deus ſempiternus, robuſtiſſimus, & potentiſſimus bellator eſt, hoc verſ. ab effectis verò, quòd omnibus bellis, cum ſpiritali ſuo adverſus Satanam, tum noſtro adverſus omnia victor eſt, quòd exercitus omnes pro arbitrio ſuo agit, & poſtremo quòd gloriam ex natura & rebus geſtis ſibi ac ſuis conſequitur. c Heb. belli. 13 repetitionis finem vide in Gen.41.32.

## PSALMUS XXV.

*David preſſus ab adverſariis, benignè à Deo doceri & peccata calamitatum cauſas condonari petit: ſe ipſum in horum exſpectatione, fretus Dei bonitate & teſtimonio fidei ſuæ, confirmat: ac poſtremo ſibi totique eccleſiæ poſtulat liberationem à malo.*

א 1 [1] ODe Davidis; [2] ad te, Jehova, ani-
mam meam attollo.

1 Ode eſt ἀλφαβητική: cujus ſinguli verſus ferè principio ſuo alphabeticum Hebræorum ordinem retinent. Conſtat autem ex tribus partibus; Petitione uſque ad verſ.8. Confirmatione uſque ad verſum 16. & Concluſione petitoria, inde ad finem uſque.
2 petitio ſuis cauſis conjuncta duo capita ſummatim continet, demonſtrationem communicationemque boni, ℣.4. & ſequentibus; deinde abolitionem mali peccatorumque noſtrorum: ut perſonæ acceptæ ſint, verſ.7. Cauſarum genera ponuntur tria, ut obſervatum eſt ſup. in Pſal.13. Prima eſt à perſona ſupplicis & bonorum omnium: ſecunda, à perſona adverſariorum, verſ.1. 2. & 3. tertia à perſona Dei, verſ.6.7. & 8.

ב 2 Deus mi, in te confido, ne erubeſcam:
ne exſultent inimici mei de me.
ג 3 Etiam ulli exſpectantes te, ne erube-
ſcant: erubeſcant qui perfidè agunt immeritò.
ד 4 [3] Vias tuas, Jehova, notas fac mihi; ſe-
mitas tuas doce me.
ה ו 5 Fac ut incedam [4] per veritatem tuam,
& doce me; nam tu *es* Deus ſalutis meæ, te ex-
ſpecto totum diem.
ז 6 [5] Recordare miſerationum tuarum, Je-
hova, & benignitatũ tuarum; eas à ſeculo eſſe.
ח 7 [6] Peccatorum pueritiæ meæ & defe-
ctionum mearum ne recorderis: pro benigni-
tate tua recordare mei tu, propter bonitatem
tuam Jehova.
ט 8 [7] Bonus & rectus Jehova *eſt*, idcircò
docet [8] peccatores viam:
י 9 Facit ut incedant manſueti *a* ex jure, &
docet manſuetos viam ſuam.
כ 10 Omnes ſemitæ Jehovæ [9] benignitas &
fides *ſunt*, cuſtodientibus fedus ejus & teſti-
monia ejus.
ל 11 [10] Propter nomen tuum, Jehova, con-
donabis igitur iniquitatem meam: nam ma-
gna eſt.
מ 12 [11] Qualis futurus eſt vir ille qui reve-
retur Jehovam, docentem ipſum quam viam
eligat?
נ 13 [12] Anima ejus in bono [13] pernoctabit,
& ſemen ejus hæreditario jure poſſidebit ter-
ram:
ס 14 [14] Arcanum Jehovæ *adeſt* reverenti-
bus ipſum, & fedus ejus, ut experimento te-
ſtetur eis.
ע 15 [15] Oculi mei jugiter ad Jehovam *reſpi-
ciunt*; quia ipſe educit è reti pedes meos.
פ 16 [16] Reſpice ad me, & gratiam fac mihi;
quia [17] ſolitarius & pauper ſum.
צ 17 Oppreſſiones *b* animi mei [18] dilatant
*ſe*: ab anguſtiis meis deduc me:
ק 18 Aſpice afflictionem meam & laborem
meum; & condona omnia peccata mea.
ר 19 [19] Aſpice inimicos meos, quia potentio-
res ſunt; & odio violento oderunt me.
ש 20 Serva animam meam & eripe me, ne
erubeſcam, [20] quia recipio me ad te.
ת 21 [21] Integritas & rectum cuſtodiant me;
quia exſpecto te.
פ 22 [22] Redime, Deus, Jiſraelem ab omni-
bus oppreſſionibus ejus.

3 quibus me vis incedere: primũ petitionis caput. 4 id eſt, prout verax es, fideliter & conſtanter præſtans promiſſiones tuas. Argumentum à natura Dei. 5 id eſt, qua miſericordia erga tuos uſus es inde ab orbe condito, eadem erga me utere: argumentum ab exẽplo & natura Dei. 6 ſecundum petitionis caput; remiſſio peccatorum. 7 Secunda pars pſalmi; confirmatio à natura Dei, operibuſque erga electos. 8 quos juſtificet in Chriſto ſecundum electionem gratiæ, ubi manſueti effecti ſunt: ut ſuprà pſal. 22.27. a Heb. in jure. 9 id eſt, benigniſſimæ & conſtantiſſimæ: auxeſis. 10 accommodatio ſuperioris theſeos, perinde ac ſi confirmatus ex ea Davidis animus ſtatueret idem in ſe reipſa præſtari: ſic reſpondet argumento quo uſus fuerat ſuprà ℣. 6. 11 alter confirmationis locus dialogiſticè enunciatus, ab effectu promiſſionum Dei, nimirum timentes Dei ex fœdere bonum conſequuturos & elapſuros è malo: unde ſequitur accommodatio ſingularis ad perſonam Davidis. ℣. 15. 12 i. omnium bonorum ſpiritalium & corporalium hæres futurus eſt, ad ſuam & ſuorum utilitatem, ex conſilio & fœdere Dei. 13 i. conquieſcet, quemadmodum de nocte quieſci ſolet. 14 ætiologia ſuperioris dicti: nam Deus voluntate cùm arcana, tum etiam revelata conſuluit illis. 15 Tranſitio ad petitionem & concluſionem Pſalmi. 16 Concluſio petitoria, cujus partes duæ ſunt; una, petitio ſingularis pro perſona ſupplicis; altera, petitio publica pro corpore eccleſiæ, verſ. ult. 17 id eſt, aliena ope deſtitutus, ut pſal. 22.12. b Heb. cordis mei. 18 id eſt, tam latè occupant, ut animus quaſi præfocetur: primum argumentum à perſonæ ſuæ calamitatibus. 19 ſecundum argumentum à perſona inimicorum. 20 fretus promiſſionibus Dei: tertium argumentum à fide ſua integerrima in promiſſiones Dei, hoc & ſequente verſ. 21 fidei meæ, quaſi dicat, promiſſiones tuæ, quibus totus recumbo fide. 22 ſecunda concluſionis pars [illegible], ut diximus in verſum 16.

## PSALMUS XXVI.

*David ab hoſtibus preſſus ad Deum judicem confugit, fidem ſuam & vitæ innocentiam probat: ideoque liberari ab anguſtiis & gratiam conſequi expetit, ad glorificandum Deum.*

1 [1] ODe Davidis. Judicẽ meum age Jehova,
[2] quoniam ego in integritate mea ambulo; &
Jehovæ confido, me non vacillaturum.
2 [3] Proba me Jehova & tenta me; examina
[4] renes meos, & *a* animum meum:
3 [5] Nam benignitas tua coram oculis meis
*eſt*, & indeſinenter ambulo in veritate tua:
4 [6] Non ſedeo cum hominibus *b* vanis, &
cum [7] *c* diſſimulatis non convenio:
5 Odi congregationem maleficorum, &
cum improbis non ſedeo:
6 [8] Lavo in innocentia manus meas, &
[9] circum eo altare tuum Jehova;
7 Perſonando voce gratiarum actionis, &
enarrando omnia mirabilia tua.
8 [10] Jehova, diligo habitaculum domus
tuæ; & locum, tabernaculum gloriæ.
9 [11] Ne aggreges [12] penes peccatores ani-
mam meam, & penes viros *d* ſanguinarios vi-
tam meam.
10 [13] Quorũ in manibus ſcelus, [14] quorum
dextera plena eſt corruptionis muneribus.
11 At ego in integritate mea ambulo: redi-
me me, & gratiam fac mihi.
12 [15] Pede meo, conſiſtente in plano, in
congregationibus benedicam Jehovæ.

1 Odæ eſt [illegible], conſtans tribus partibus propoſitione juris ſui, uſque ad verſ. 9. petitione, ad ultimum uſque, & concluſione, verſ. ultimo. Propoſitionis partes ſunt, exordium, quo ſecum agi poſtulat in cauſa ſua ex judiciorum formula, v. 1. & 2. & narratio cauſarum quibus ad poſtulatum hoc adducitur; quod utrumque v. 1. per prolepſin continetur.

2 ſumma cauſarum proleptica, ex quibus ad Dei judicium confugit; integritas, vitæ & fides in Deum, quæ poſtea explicantur inde à v. 3. 3 i. judicem te facio, & appello teſtem: introſpice, & penitus cognoſce de cauſa mea: metaphora ab aurificibus. 4 ut ſup. 7.10. a Heb. cor. 5 Narratio qua David tum animum ſuum erga Deum, tum vitæ rationem exponit, ut ſuprà v. 1. quæ duo deinceps per ὕστερον, hoc eſt inverſo ordine, explicantur. 6 explicatio ſecundæ partis de vita ſua κατ' ἀναίρεσιν καὶ θέσιν, ut Pſalm. 1. quũ primo loco inficiatur David ſe male verſari, duobus verſibus; deinde confirmat ſe vitam bene tranſigere. b Heb. vanitatis. 7 id eſt, multiplicibus, Proteis & ſeſe in omnes facies vertentibus. c Heb. abſconditis.
8 Profeſſio vitæ, tum ratione converſationis humanæ, tum etiam officiorum ac pietatis in Deum coram eccleſia. Eſt autem lavare manus ſuas in innocentia, puriſſimè cum hominibus converſari, ut Ijobi 9.30. 9 id eſt, te colo agnoſco, & prædico in Eccleſia: ſynecdoche. 10 Explicatio prioris partis de fide & ſtudio animi ſui in Deum. 11 petitio duabus partibus conſtans: quarum una eſt, ne Deus ſinat ſervum ſuum improbis exponi, & involvi malo: altera, ut gratiam faciat, & exhibeat nominis ſui benedicendi argumentum, v. duobus ultimis. 12 hoc eſt, vitam meam ne patiare venire in facultatem illorum. d Heb ſanguinum. 13 Amplificatio primum à perſona adverſariorum ſuorum, hoc verſ. deinde à perſona ſua, principio ſequentis. 14 hoc eſt, qui & malefici ſunt, & ad omne maleficium ſui commodi cauſa paratiſſimi. 15 i. quum non amplius in lubrico & ſalebroſo loco importunitate hoſtium cogar conſiſtere, ſed beneficentia tua liberatus fuero ab his anguſtiis & meliori loco poſitus; tum demum benedicam Jehovæ. Concluſio votiva, ſive ἐπαγγελτική.

## PSALMUS XXVII.

*David vim ſuæ in Deum fiduciæ adverſus omnia pericula prædicans, quia ab Eccleſia aſpectabili abeſſe cogebatur, ſe eadem fide conſolatur: Dei gratiam, opem, documenta, ductum, & liberationem petit: ac poſtremò ſe & eccleſiam ad confirmandos in Deo animos hortatur.*

1 ODe [1] Davidis. [2] Jehova [3] lux mea & ſalus
mea *eſt*, à quo timerem? Jehoua robur
vitæ meæ *eſt*, à quo expaveſcerem?
2 [4] Belligerantibus contra me maleficis ad
exedendum carnem meam, hoſtibus meis
& inimicis meis *a* in me; ipſi corruunt & con-
cidunt.
3 [6] Si metarentur contra me caſtra; non ti-
meret *b* animus meus: ſi inſurgeret contra me
bellum, [7] *c* hac re ego ſecurus eſſem.
4 [8] Unum petii à Jehova, id ipſum requiro;
[9] ut conſideam in domo Jehovę omnibus die-
bus vitæ meæ, [10] ad videndum amœnitatem
Jehovæ, & inquirendum in templo ejus.

1 Ode eſt generis mixti, διδασκαλικὴ καὶ εὐκτικὴ, tribus partibus conſtans: prima eſt propoſitio fiduciæ in Deum, uſque ad verſum 7. ſecunda, petitio, uſque ad verſ. ultimum; & poſtrema, concluſio hortatoria. 2 propoſitio fiduciæ duo mẽbra continens; prius, beneficiũ Dei erga fideles; poſterius, indubitatã in Deum ſecuritatem ex fide, quæ eſt effectus alterius. 3 id eſt, liberator meus ab adverſitatibus (quas ſcriptura ferè tenebras vocat) & ſalutis auctor omniſque boni. 4 ἐ γατία propoſitionis præcedentis, ab anteacta experientia, hoc verſ. unde naſcitur glorioſa illa fiduciæ prædicatio, verſ. ſequentibus. 5 i. me inhumaniſſimè ferarumque more conſumendum. a Heb. mihi ſunt.
6 ſummus fiduciæ prædicandæ locus per hypotheſin ſive conditionalem orationem. b Heb. cor meum: ſic verſ. 8. & ultimo.
7 nimirum quam modò prædicavi, quod Jehova ſit lux mea, &c.
c Heb. in hac. 8 Exceptio, q.d. omnia quidem in Deo percipio fide, mirificas liberationes, & ſalutem maximam: hoc verò videtur fiduciæ meæ adverſari, quòd deſtituor aſpectabili præſentia ejus, quam tantopere deſideravi & etiam nunc deſidero, ut cultu ejus libero ac legitimo uti poſſim hoc vnum eſt quòd me videtur deficere.
9 ac non ita errare & vagari compellar.
10 i. ad percipiendum ſancta & auguſta illius dona, & ad conſulendum eum; quæ duo ſunt, piorum officia in eccleſia.

5 [11] Nam

5 [11] Nam abſcondit me in tugurio ſuo, *d*
tempore adverſitatis; abdit me in abdito ten-
torii ſui, in rupem attollit me:
6 Jam verò [12] extollitur caput meũ ſupra
inimicos meos, circumſtantes me; ut ſacrifi-
cem in tentorio ejus ſacrificia clangoris, ca-
nam & pſallam Jehovæ.
7 *e* [13] Audi Jehova *me* voce mea claman-
tem: gratiámque fac mihi, & exaudi me.
8 [14] Tuum *illud*, [15] requirite faciem meam,
*f* cogitat animus meus: faciem tuam, Jehova,
requiro.
9 [16] Ne abſcondas faciem tuam à me, ne
avertas in ira ſervum tuum: auxilium meum
fuiſti, ne deſeras me, neque derelinquas me,
Deus ſalutis meæ.
10 [17] Nam pater meus & mater mea dere-
linquunt me, ſed Jehova recipiet me.
11 Doce me, Jehova, viam tuam, & [18] deduc
me per ſemitam planam; [19] propter obſervan-
tes me.
12 Ne tradas me *g* deſiderio hoſtium meo-
rum: [20] nam conſiſtunt contra me teſtes men-
daces, & qui ſpirant violentiam:
13 *Abrepturi me*, niſi crederem me *h* frui-
turũ [21] bonitate Jehovæ, [22] in terra viventium.
14 [23] Exſpecta Jehovã, confirmare, & fortifi-
cabit animũ tuum: itaque exſpecta Jehovam.

[11] Reſponſio ad exceptionẽ præcedentem duobus argumẽtis: hoc (inquit) non efficit quo minùs fiducia mea ſibi conſtet. Primùm enim beneficia ejus, nimirum liberationes maximas & honores ab eo percipio, hoc ꝟ. deinde, quamvis hæc omnia deficerent, tamen fide & animo illius cultus ſum particeps, à quo videor longiſſimè abeſſe: & de futuro ſum certò perſuaſus me tandem aliquando re ipſa & coràm fore participem, ſequente verſ. [d] Heb. die mali. [12] id eſt, glorioſè prædico adverſus hoſtes, velint nolint, me ſacrificaturum & cultutum Deum. [e] Heb. clamo. [13] ſecunda pars Pſalmi, Oratio; cujus membra ſunt tria: exordium audientiam faciens, hoc ꝟ. propoſitio, verſ. ſequente; & petitio, reliquis, uſque ad v. ultimum. [14] propoſitio, qua mandatum Dei & officium ſuum ex mandato agnoſcit profitetúrque pſaltes. Eſt autem hîc ὕστερον, quam perſpicuitatis causâ mutavimus. [15] i. in rebus dubiis conſulite, & in adverſis invocate; ſic Deut 4 29. [f] Heb. dicit cor meum. [19] Petitio Davidis, cujus membra ſunt tria: primum deprecatio, ne abjiciatur ab eo, hoc ver. ſecundum precatio, ut receptus doceatur & deducatur à Deo, duobus ſequentibus: tertium, altera deprecatio, ut ſaltem ſi tẽpus liberationis tempus advenit, non exponatur adverſariorum libidini, ꝟ. 12. Sunt autem hæc pleraque humanitus attributa Deo. [17] i. omnes qui naturæ & amicitiæ jure deberent & vellent mihi opem ferre, præ tyrannide nimia me coguntur deſerere, ut ſup. 25. 16. [18] i. in libertatem vindica me; metaphora, ut ſup. 26. 12. [19] vide ſup. Pſalm. 5. 9. [g] Heb. animæ. [20] i. non corruerent & conciderent, ut dixit ſup. verſ. 2. ſed voti ſui compotes efficerentur vel ſua fraude vel vi; niſi fiducia certa in te recumberem: argumentum à perſona adverſariorum & ſua. [h] Heb. viſurum. [21] i. bonis à te promiſſis. [22] i. in hac ipſa vita, ut Pſal. 116 9. [23] Concluſio, qua ſe & alios hortatur David ad ſpem & fidem in Deo collocandam, & promiſſionem confirmat.

## Pſalmus XXVIII.

*David à perditiſſimis adverſariis preſſus, Deum orat pro ſalute ſua & illorum exitio: ſalute accepta, Deum celebrat ſuo & eccleſiæ nomine; ac poſtremò eccleſiæ toti bene precatur.*

1 ODe Davidis. Te, Jehova, inclamo, [2] ru-
pes mea, [3] ne ſurdum agas *averſus* à me:
ut non [4] ſi mutus eris *&* *averſus* à me, [5] conſi-
milis fiam deſcendentibus in *a* ſepulcrum.
2 Audi vocem deprecationum mearum,
dum vociferor ad te; dum attollo manus meas
[6] ad adytum ſanctitatis tuæ.
3 [7] Ne trahas me penes improbos, & pe-
nes operarios iniquitatis; [8] loquentes pacem
cum proximis ſuis, malitia *obtinente* in *b* ani-
mo eorum.
4 [9] Da iſtis ſecundùm opus ipſorum, & ſe-
cundùm malignitatem actionum ipſorum: ſe-
cundùm opus manuum ipſorum da eis, redde
retributionem ſuam eis.
5 [10] Quia non animadvertunt ad opera Je-
hovæ, & ad factum manuum ejus: [11] deſtructu-
rus eſt eos, non autem exſtructurus eos.
6 [12] Benedictus *ſit* Jehova, quia exaudivit
vocem deprecationum mearum;
7 Jehova robur meum & ſcutum meum;
cui confidente animo meo, adjuvor: idcirco
exſultat animus meus, ut cantico meo cele-
brem eum.
8 Jehova robur [13] iſtis, & robur maximè *c*
ſalutare eſt Chriſtus illius.
9 [14] Serva populum tuum; & benedic [15] poſ-
ſeſſioni tuæ: paſceque eos ac extolle eos uſque
in ſeculum.

[1] Ode eſt generis mixti, ἐυχαριστικῆ καὶ ἐυχαριστικῆ, oratio continetur quinque primis verſ. laudatio verò ſequentibus tribus; cui poſtremò, ſubjicitur concluſio petitoria. orationis partes ſunt duæ; una, pro ſalute ſupplicis, tribus verſ. altera, pro exitio adverſariorum, v. quatuor. [2] ut Deut. 32. 4. argumentum ab officio & promiſſionibus Dei. [3] i. ne abjicias aut negligas: humanitus dictum. [4] i. ſi non reſpondeas. [5] i. ſuccumbam & peream: periphraſis mortuorum, ſic deprecatur à perſona ſua [a] Heb. ciſternam. [6] i. ad cælum; ubi eſt ſanctuarium quod fixit dominus, & non homo, Heb. 8. 8. [7] i. ne inducas me in poteſtatem illorum, aut ſinas quaſi mancipium ab illis capi, ut ſup. Pſal. 26. 9. & 27. 12. [8] ut de Schaule legimus 1. Sche. 24. 17. & 26, 17. & ſeq. [b] Heb. corde, ſic infra v. 7. [9] altera pars orationis, imprecatio aduerſus illos quos deſcripſit ſuperiore verſ. nimirum improbos, qui opere, ſermone, & animo depravati, obfirmati & Deo infenſi ſunt, q. d. juſtitiam tuam in illis exerce. [10] αἰτιολογία imprecationis per comparationem illorum injuſtitiæ cum juſtitia Dei: iſti (inquit) teſtimonio ſuæ ipſorum conſcientiæ rei ſunt, quòd animum ad opera Dei omnia, & nominatim ſingulare illud erga me electionis meæ minimè advertunt. Quamobrem non poteſt Deus non perdere eos judiciis ſuis, qui non erudiuntur documentis. Ego verò abſit ut benedicam, cui maledicit Jehova, vide 1. Sche. 2. 25. in annota.

[11] id eſt, juſtum eſt eos perdere & re ipſa perdet: metaphora ab ædificiis. [12] laudatio primùm à ſingulari beneficio Dei, erga prophetam, duobus verſ. deinde à publico erga totam eccleſiam, in Chriſto, ꝟ. 8. [13] popularibus meis, id eſt, eccleſiæ Dei. [c] Heb. ſalutum. [14] Concluſio, qua eccleſia Deo & Chriſto ſervanda, augenda, & benedicenda modis omnibus commendatur. [15] i. populo, vide Deut. 9. 29.

## Pſalmus XXIX.

*Propheta pios hortatur ad prædicandas Dei laudes, cum propter documenta naturæ ac nominatim tonitruum, tum propter documenta gratiæ, quam cum eccleſia ſua communicat verbo.*

1 PSalmus Davidis. Cedite Jehovæ, [2] filii
fortium; cedite Jehovæ gloriam & lau-
dem.
2 Cedite Jehovæ [4] gloriam nominis ejus,
incurvate vos honorem exhibentes Jehovæ
[5] in decoro ſanctitatis.
3 [6] Vox Jehovæ [7] ſupra aquas, *vox Dei* for-
tis *a* glorioſi intonat, *vox* Jehovæ ſupra aquas
multas.
4 Vox Jehovæ *b* potenter, vox Jehovæ de-
corè.
5 [8] Vox Jehovæ confringit [9] cedros, per-
fringit etiam Jehova cedros Libani:
6 Et [10] facit ut exſiliant ſicut vitulus; Liba-
nus & [11] Schirjon; ut *c* pullus unicornium.
7 Vox Jehovæ [12] cædit flammas ignis.
8 Vox Iehovæ dolore afficit [13] deſertum,
dolore afficit Iehova [14] deſertum Kadeſchi.
9 Vox Iehovæ [15] facit ut pariant cervæ, &
[16] denudat ſilvas: [17] verùm in templo ſuo *d* e-
loquitur totam gloriam ſuam.
10 [18] Iehova [19] in diluvio ſedebat, & ſedet
Iehova rex in ſeculum,
11 Iehova robur populo ſuo dat, Iehova
[20] benedicit populo ſuo cum pace.

[1] Pſalmus eſt ἐπαινετικός, id eſt, laudativus, conſtans hortatione ad laudẽ, & argumentis laudis. [2] i. etiam generoſiſſimi & potentiſſimi quique, ac proindè omnes: ſynecdoche. [3] vide ſup. In 8. 3. [4] id eſt, nominatiſſimam & celeberrimam, qualis convenit majeſtati ejus. [5] i. in ſanctuario magnifico: ſic 1. Chron. 16. 29. [6] ſecunda pars, argumenta laudis, quorum genera ſunt duo, alia cõmunia, quæ palàm omnibus rebus creatis offeruntur, uſque ad finem verſus 9. alia verò ſingularia in eccleſiam Dei. Argumentorum autem communiũ unum tantùm genus exempli cauſa ponitur, ut ab eo cætera cognoſcantur: nimirum tonitru, cujus natura oſtenditur primùm à vehementia, ver. 3. & 4. deinde ab effectis, uſque ad v. 9. [7] i. vehementia fragores, plauſus, & ſtrepitus omnes, quantumvis magnos, ſuperat. Frequens eſt autem in ſcripturis, fremitum aquarum comparari cum ſono vehementiſſimo, ut Jechezkel 1. 24. & 43. 2. ſic accipiendum eſſe oſtendit ver. ſequens. [a] Heb. gloriæ. [b] Heb. cum virtute, cum decoro. [8] altera deſcriptio tonitru ab effectis, quòd omnia validiſſima frangit, ſtabilia commovet, denique omnia perhorreſacit arbitratu Dei auctoris ſui. [9] proceriſſimas, craſſiſſimas, & maximè durabiles. [10] i. movet montes, quamvis firmiſſimos: [11] vide Deut. 3. 8. & 9. [c] Heb. filius. [12] id eſt, coruſcationes, fulgetra, fulguraque diſſipat. [13] i. feras in deſerto verſantes: metonymia. [14] i. animalia quantumvis horrifica; cujuſmodi fuiſſe in hoc deſerto legitur, Deut. 8. 15. [15] i. cervas, quantumvis præ anguſtia utantur difficiliore partu, cogit abortire: vide Ijobi 39. 4. & ſequentib. [16] feris, quæ trepidè antra ſua latibulaque petunt, ut ſcribit Virgil. 1. Georg. nam ut de arboribus capiatur, impedit ver. 5. [17] ſecundùm genus argumentorum laudis, ut obſervatum eſt ſup. in ver. 3. q. d. hæc quidem glorioſa ſunt; ſed tamen particulæ ſunt duntaxat illius gloriæ quam Deus explicat in Eccleſia ſua, non tantùm opere externo, ſed etiam prædicatione verbi. [d] Heb. totam ipſius eloquitur gloriam: ὕστερον. [18] ſumma explicatio gloriæ, quam Deus teſtatur eccleſiæ; primùm à ſempiterna majeſtate ejus, hoc ver. deinde à beneficentiſſima communicatione cum eccleſia, ver. ſequente. [19] i. jam tum regnabat, quum diluvium effectum eſt ſuper terram, Gen. 6. & 7. [20] i. pacem ſuam largitur ſuis verbo & communicatione ſpiritus, ac proinde tranquillitatem confert.

## Pſalmus XXX.

*David ex fuga reverſus, & domum ſuam à ſceleribus Abſchalomi repurgans, Deum celebrat beneficii erga ſe ſingularis nomine, pios ad laudes Dei prædicandas hortatur; calamitates inſtaurationemq; ſui factam à Deo narrat; ac votum laudis exhibet.*

1 [1] PSalmus Davidis, [2] canticum dedicatio-
nis domus illius.
2 [3] Extollam te Jehova; quoniam *a* evexiſti
me; neque lætitia affeciſti inimicos meos de
me.
3 Jehova Deus mi, [4] vociferantem ad te, [5] cu-
raſti me:
4 Jehova, eduxiſti è ſepulcro animam me-
am; conſervans me vivum, ne deſcenderem in
*b* ſepulcrum.
5 [6] Pſallite Jehovæ quos ipſe benignitate
proſequitur, & celebrate [7] ad memoriam ſan-
ctitatis ejus.
6 [8] Quum momento *fuit* in ira ſua, vita *ad-
eſt* benevolentiâ ejus: veſpere ſi diverſetur fle-
tus, manè *adeſt* cantus.
7 [9] Nam ego dicebam in [10] tranquillitate
mea, non dimovebor in ſeculum:
8 [11] Jehova, benevolentiâ tua conſtitueras
in monte meo robur; [12] te abſcondente faciem
tuam, fui conturbatus.
9 [13] Ad te, Jehova, clamavi; & *e* Jehovam de-
precatus ſum, *dicens*,
10 [14] Quid lucri *erit* [15] in ſanguine meo, [16]
quum deſcendam in foveam? an celebrabit te
[17] pulvis? nunciabitne veritatem tuam?
11 Audi Jehova, & gratiam fac mihi; Jeho-
va, eſto adjutor mihi:
12 Convertiſti [18] planctum meum [19] in cho-
ream mihi; [20] ſolviſti cilicium meum, & ac-
cinxiſti me lætitia:
13 Ut pſallat tibi [21] gloria, ac non contice-
ſcat. [22] Jehova, Deus mi, in ſeculum celebrabo
te.

[1] Pſalmus eſt ἐπαγγελτικὸς tribus partibus conſtans, propoſitione ſingulari laudis, à ℣. 2. ad 5. publica hortatione ad laudes ejus in eccleſia; inde ad verſum ultimum; & concluſione. [2] i. quod cecinit David, quũ repeteret ac redintegraret cõſecrationem domus ſuæ, quæ inceſtis nefariiſque Abſchalomi ſceleribus fuerat contaminata, 2. Schem. 16.22. nam moris erat, ut novis ædificiis extructis adhiberentur ceremoniæ ad purgãda & ſanctificanda loca pro inhabitantium uſu: ut Deut. 20.5. & Nechemjæ 12. quam rationem à Davide fuiſſe ſervatã pro repurgãda domo, non obſcurè indicatur 2. Sche. 20.3. cur verò ad hoc potiùs tempus & hanc domũ referamus, docet argumentum ipſum & contextus Pſalmi. Eſt autem in hoc verſ. verborũ ϲυμπλοκὴ, quam ad evidentiam ſuſtulimus. [3] propoſitio ſingularis laudis, à beneficio liberationis maximæ acceptæ à Deo, quam per congeriem amplificat David.
*a* *Heb. hauſiſti me: metaphora à puteis & ſpecubus, quo reſpicit ſinu ver. 4.*
[4] ut docetur 2. Schem. 15.32. [5] i. remedium attuliſti malis meis: metaphora.
*b* *Heb. ciſternam: ut ſup. 28.1.* [6] hortatio, ut annotatum eſt in verſ. 1. cujus argumenta ſequentibus exponuntur; primùm ab ordinaria adminiſtratione Dei erga ſuos, verſ. 6. deinde à ſingulari exemplo ſuo, reliquis verſibus.
[7] id eſt, ut ſanctitatis ejus ſempiterna ſit memoria in eccleſia.
[8] q.d. ita eſt à natura, ut quamvis propter peccata noſtra nobis ſuccenſeat; tamen illico benevolentiam exſerens nos ad vitam revocet in peccatis noſtris alioqui morituros: quod argumentum ſequentia verba illuſtrant allegoricè.
[9] alterum argumentum à ſingulari exemplo ſuo, quod propheta enarrat paucis. [10] i. quum tranquillè deſiderem Jeruſchalaimis, 2. Schem. 11.1. & 1. Chro. 21. [11] i. tu confirmaveras regnum meum, quod ego non cogitabam demens: epiphonema, quo interpretatur illud, in tranquillitate mea, ſuperiore verſ.
[12] i. quum primum te averriſti à me; ut per Nathanem denunciaverat, 2. Schem. 12.10. & ſequentibus. [13] ut docet hiſtoria 2. Schem. 15.32.
*c* *Hebr. vel dominum, ut in aliis exemplaribus legitur.* [14] ſumma orationis quam habuit David duobus verſ. comprehenſa; cujus partes ſunt duæ, exordium ab inutili, hoc ver. & petitio, ver. ſequente. [15] i. ſi occidar.
[16] i. ſepeliar: periphraſis: ut ſup. ver. 4. [17] i. homo in pulverem redactus: metonymia: vide ſup. 6.6. [18] de quo vide 2. Schem. 15.30. [19] i. in maximum gaudium: hyperbole. [20] i. ſuſtuliſti luctum, & lætitiam attuliſti: Synecdoche à ſignis. [21] i. lingua, præco gloriæ, ut ſup. 16.9. [22] Concluſio epiphonematica.

## PSALMUS XXXI.

*David graviſſima calamitate preſſus, Deum orat pro ſalute ſua, fidem ſuam in miſericordiam Dei, & miſeriæ ſuæ gravitatem indignitatemque explicans: adverſariis impiis exitium imprecatur: deinde quaſi liberatione parta Deum laudat publicorum privatorumque beneficiorum nomine, & pios omnes hortatur ad diligendum conſtanter & colendum Deum.*

1 [1] MAgiſtro ſymphoniç, [1] pſalmus Davidis.
2 [2] Ad te, Iehova, [3] me recipio, ne e-
rubeſcam in ſeculum: [4] juſtitiâ tuâ libera me.
3 [5] Inclina ad me aurem tuam, cito eripe
me: eſto mihi *a* rupes robuſta, locus munitiſſi-
mus ad ſervandum me.
4 Nam petra mea & munitio mea es; ita-
que propter nomen tuum [6] agito me & [7] de-
ducito me.
5 Educito me è reti quod abſconderunt
adverſum me: quia tu robur meum *es*.
6 In manum tuam depono ſpiritum meũ:
[8] redemiſti me, Jehova *Deus* fortis, [9] *b* verax.
7 [10] Odi eos [11] qui obſervant vanitates *c* va-
niſſimas: nam ego in Iehova confido;
8 Me exſultaturum & lætaturum benigni-
tate tua; quando aſpexeris afflictionem meã,
agnoveris anguſtias animæ meæ:
9 Ac non tradideris me in manum inimici;
*ſed* [12] ſtatueris in lato pedes meos.
10 Gratiam fac mihi, Iehova, [13] nam angu-
ſtia *eſt* mihi; [14] contabeſcit præ indignatione
oculus meus, [15] anima mea, & venter meus:
11 Nam deficit mœrore vita mea, & anni
mei gemitu: labefactatur *d* pœna iniquitatis
quam patior: virtus mea, & oſſa mea contabe-
ſcunt.
12 Apud omnes hoſtes meos ſum probro,
& apud vicinos meos valdè, pavoriq́ue notis
meis: aſpicientes me foris evagantur à me:
13 Oblivione ſepelior ab animo, ut mor-
tuus: [16] ſum ut inſtrumentum perditum.
14 Nam audio infamiam à *e* multis, metum
circumquaque; conſultando ſimul adverſus
me, de intercipienda anima mea cogitant.
15 [17] Ego verò in te confido, Iehova; dicens,
[18] Deus meus es:
16 [19] In manu tua [20] tempora mea ſunt; eri-
pe me à manu inimicorum meorum, & à per-
ſequentibus me.
17 [21] Fac ut luceat facies tua ſupra ſervum
tuum, ſerva me benignitate tua.
18 [22] Iehova, ne erubeſcam, quandoquidem
invoco te: erubeſcant [23] improbi, exſcindantur
*deſcenſuri* in ſepulchrum.
19 Muta reddantur labia *f* mendacia; quæ
loquuntur contra juſtum *g* duriter, cum ela-
tione & contemtu:
20 [24] Quàm multa eſt bonitas tua, quam
recondis reverentibus te! operaris erga eos
qui ſe recipiunt ad te, coram filiis hominum!
21 [25] Abdis eos in abdito præſentiæ tuæ, ab
elationibus virorum: abſcondis eos in tugurio
à contentione linguarum.
22 [26] Benedictus *ſit* Iehova; quia mirificam
reddit benignitatem ſuam erga me, *ut* in civi-
tate munita *collocans me*.
23 [27] Ego quidem dixeram in feſtinatione
mea, exciſus ſum à conſpectu oculorum tuo-
rum: Verumtamen audiviſti vocem deprecati-
onum mearum, quum vociferarer ad te.
24 [28] Diligite Iehovam omnes quos beni-

[1] Pſalmus eſt generis mixti, δικτικὸς ἐξαγγελτικὸς καὶ διδασκαλικὸς: ac proinde conſtans ex tribus partibus; precatione, uſque ad ver. 20. laudatione uſque ad ver. 24. & concluſione didaſcalica, duobus ultimis. [2] prima pars Pſalmi, precatio: cujus partes ſunt duæ, una pro ſalute ſupplicis, uſque ad ver. 18. altera pro adverſariorum exitio, ver. 18. & ſequente: ut ſupra Pſalm. 28. In hac autem priore precatione argumenta ducuntur tum à perſona ſupplicis, ut qui in Deum confideret, tum à perſona Dei: qui duo loci prolepticè hoc verſ. poſiti per ὕστερον ſequentibus explicantur. [3] prior locus à fiducia perſonæ ſuæ. [4] poſterior locus, à natura & officio Dei.

[5] ἐργασία precationis, argumẽto ducto à perſona Dei, uſque ad ver. 7.
*a* *Hebr. in rupem roboris, in locum munitionum.*
[6] præiens & præmonſtrans viam.
[7] Senſim & accommodè ad infirmitatem meam, ut fœtæ pecudes duci ſolent: ut Jeſcha. 40. 18.
[8] Confirmatio ab anteacta experientia.
[9] i. qui ſemper idem es ac tibi conſtans; proinde neque promiſſam rem, neque anteacta mutaturus es.
*b* *Heb. veritatis.*
[10] alter locus precationis à perſona ſua: ut obſervatum eſt ſup. in ver. 2. cujus duo ponuntur argumenta: unum, quòd integro animo & fide eſt in Deũ, uſque ad ℣. 10. alterum, quod graviſſimè & indigniſſimè affligitur, uſque ad ver. 15.
[11] i. fiduciam habent in caducis rebus, & ſe ad illas recipiunt.
*c* *Heb. vanitatis, ſive nihili.*
[12] ut ſup. Pſalm. 4.2. & 18.20.
[13] ab indigniſſimis ſuis calamitatibus precationem amplificat, ut obſervatum eſt in ℣. 7. Oſtendit enim primùm exhauriri vitam, hoc & ſeq. ver. Deinde ſe ignominia obrui, duobus ſequentibus: poſtremo omnibus modis conſternari, v. 14.
[14] ut ſup. Pſalm. 6. v. 8.
[15] i. totus animo & corpore.
*d* *Heb. iniquitatis mei.*
[16] i. nulla eſt cura aut memoria mei.
*e* *Hebr. multorũ.*
[17] regreſſio ad priorem partẽ argumenti, quæ fuerat intermiſſa inde à v. 10. q.d. indignum eſt novas miſerias accumulari miſero, ſed fideli & credenti in te, indignius: ſic concludit precationem de ſalute ſua, repetitis ſummatim argumentis à fide ſua & à perſona Dei, his tribus verſ. [18] à federe locus.
[19] locus à potentia, federis promiſſionúmque effectrice. [20] i. terminus & ſtatus vitæ meæ: quamobrem ne ſinas ab iſtis vitam mihi aut ſtatum proſperum adimi. [21] vide ſup. 4.7. [22] tranſitio ad ſecundam precationem, ut obſervatũ eſt ſup. in ver. 2. [23] à Deo, à bono & æquo alieni: ut ſup. Pſ. 28.4. *f* *Heb. mendacii.* *g* *Heb. durum: ut 1. Schem. 2.3.* [24] ſecunda pars Pſalmi, laudatio gratiæ beneficiorúmque Dei, primùm κατὰ θέσιν, hoc v. & ſequente, deinde κατ᾽ ὑπόθεσιν & ſingulare exemplum perſonæ ſuæ, v. 23. & 24. Eſt autem hoc loco graviſſimum epiphonema, quo oſtendit pſaltes theſauros Dei infinitos alios aſſervari piis, alios palàm communicari, hoc verſ. alios denique clam in ipſorum animis æterna virtute ejus obſignari, & quum opus eſt exhiberi. [25] i. non tantùm orbas bonis, ſed etiam conſervas à malo. [26] laudatio ſingularis: ut dictum eſt in ℣. 21.
[27] amplificatio laudationis ſingularis ab infirmitate ſua labaſcente propter calamitatum magnitudinem: ad me (inquit) & ad infirmitatem meam non reſpexit Deus: ſed ad benignitatem & miſericordiam ſuam.
[28] Concluſio hortatoria ad amorem Dei, hoc verſ. & confirmationem fidei amoriſque erga illum, ver ſequente.

gnitate proſequitur; [29] fideles cuſtodientem
Jehovam, & rependentem *h* excellentiſſimè,
facientem res magnificas.

25 Confirmamini, [30] & fortificabit a-
nimum veſtrum; omnes qui ſperatis in Jeho-
vam.

[29] ἀπολογία cur amore proſequi debeamus Deum ab operibus illius erga bonos, contra improbos, & in omnes magnificis.
[h] Heb. excellentiā.
[30] ἀπολογία hortationis à promiſſionibus Dei.

## Psalmus XXXII.

*Pſaltes beatitatem piorum in remiſſione peccatorum prædicat, & experientia ſua confirmat: deinde fideles informat in fide, invocatione & obedientiâ; propoſitaque adminiſtratione Dei in bonos & malos, illos hortatur ad gaudium in ſpiritu.*

1 DAvidis [1] *ode* didaſcalica. [2] Beatus *a* leva-
tus *a* defectione cujus tectum eſt pecca-
tum:
2 Beatus homo, cui non imputat Jehova
iniquitatem, & cujus ſpiritui non ineſt dolus.
3 [3] Quum [4] ſilerem, [5] inveteraſcebant oſſa
mea; [6] in rugitu meo toto die.
4 Nam interdiu & noctu gravis erat ſuper
me manus tua; [7] convertebatur præſtantiſſi-
mus humor meus in ſiccitates æſtivas maxi-
mè.
5 Peccatum meum notum faciam tibi, &
iniquitatem meam non tegam (inquiebam)
Confitebor defectiones meas Jehovæ; & tu
ſuſtuliſti *b* [8] pœnam peccati mei [9] maximè.
6 [10] Propter hanc oraturus eſt te, quemcun-
que benignitate proſequeris: [11] quo *c* tempore
obvenerit: [12] (in inundatione aquarum multa-
rum, ad eum [13] nō pertingent tantùm) *dicens*:
7 [14] Tu latibulum es mihi, ab anguſtia cu-
ſtodito me: cantionibus liberationis circum-
dato me maximè.
8 [15] Erudiam te & docebo te qua via am-
bulaturus ſis; conſilium dabo, *attento* in te o-
culo meo.
9 [16] Ne eſtote ut equus, ut mulus, *d* exper-
tes intelligentiæ: cujus os fræno & habena
conſtringendum *eſt*, [17] ne appropinquet ad te.
10 [18] Magni dolores *ſunt* improbo: qui au-
tem fiduciam habet in Jehova, benignitas cir-
cumdat eum.
11 [19] Lætamini in Jehova, & exſultate juſti,
& cantate omnes recti *e* animo.

[1] Iſtius odes ſummæ partes ſunt tres: prima eſt propoſitio beneficiorum Dei, ſua confirmatione juncta; uſque ad verſ. 6. ſecunda propoſitio officii noſtri, uſque ad ỳ. 10. poſtrema; concluſio hortatoria, duobus ultimis verſ.
[2] γνώμη: cujus ſumma eſt, beatitatē hominis poſitam eſſe in remiſſione peccatorum & imputatione juſtitiæ Chriſti, cujus effectus eſt ſanctificatio; ſub finem ỳ. 2. juſtificatio autē tribus modis declaratur, primū quod peccata tolluntur adeò ut nō ſint; deinde quòd teguntur ita, ut ne peccatorum quidē veſtigia & ſordes appareant, hoc ver. poſtremò quòd ea non imputet Deus quum ſemel ſuſtulit, delevitque, ſed ſāctūm juſtitiam in Chriſto.
[a] Hebr. levatus defectione, tectus peccato: ſynecdoche.

[3] Confirmatio ab experientia ſingulari: cujus partes duas enarrat pſaltes: una eſt, dum continui apud me peccatum meum, Dei manus preſſit me graviſſimè; altera, quum primum rejeci in Deum atque confeſſus ſum peccata mea, hanc gratiam à Deo expertus ſum. [4] id eſt, non enunciarem, ſed diſſimularem peccata mea. [5] id eſt, totus conficiebar animo; nihil erat in me tam firmum, quod non attereretur manu Dei: metaphora [6] i. tantiſper dum non adverti ad peccata mea, ſed tamquam fera rationis expers, præſente adverſitatum ſenſu abreptus ſum, & belluinos potiùs quàm humanos gemitus & querimonias fudi. [7] i. viriditas mea exareſcebat tota, & exhauriebar viribus; metaphora. [b] Heb. iniquitatem. [8] id eſt, peccatum & pœnam; reſpicit enim ad propoſitionem v. 2, peccata tolli, & illis quibus tolluntur benè eſſe. [9] vide in Pſal. 3. 3. ſic inf. ver. 7. & proximè præcedente. [10] altera propoſitio, de officio noſtro, cujus partes ponuntur duæ; prior eſt, invocatio fidei, his duob. ver. poſterior, obſequium & attentio ad voluntatem Dei, verſ. 8. & 9. propter hoc (inquit) quod tuis te talem exhibes, ac nominatim mihi; fideles hæc duo officia præſtituri ſunt, orationem fidei; & obedientiam. [11] quædam velut inundatio calamitatum: cujus mox meminit. [c] Heb. tempore obveniendi. [12] id eſt, procellis & fluctibus calamitatum vehementiſſimis, ut ſup. 18. 17. & Pſalm. 69. paſſim. Eſt autem hęc præſtantiſſima promiſſio Dei erga pios officio ſuo defungentes; cujus verba aliquantum invertimus, quia obſcurior eſt ἐναλλαγὴ in Hebræo textu. [13] id eſt, ne pertingent quidem; adeò firma eſt charitas Dei erga nos in Chriſto, Rom. 8. 35. [14] id eſt, tu unus es perfugium meum; forma orationis fidelium in calamitatibus. [15] apoſtrophe ad fidelem quemque: ſecundum propoſitionis membrum ut obſervatum eſt ſup. in verſ. 6. [16] id eſt, ne obſtupeſcite & obbruteſcite ad exercitationes Dei: ſed animos veſtros ſedulò advertite, ut cognoſcaris adminiſtrationem ejus; ne frænos potentiæ ſuæ cogatur adhibere ad edomandum veritatem veſtram. [d] Heb. non intelligere. [17] ore ſuo, ne mordeat noceátve tibi. [18] Concluſio, cujus partes ſunt αἰτία ſive cauſa ex adminiſtratione Dei, hoc verſu: & hortatio ad pacem & lætitiam ſpiritus, verſ. ſequ. Cauſam ſic exponit propheta: magnis doloribus afficitur improbus, & eo quidem majoribus, quòd nullum habet ſenſum benignitatis Dei, fidelem verò etiam in magnis doloribus benignitas Dei circumdat atque conſolatur. [19] hortatio à ſuperiore cauſa. [e] Heb corde.

## Psalmus XXXIII.

*Pſaltes laudationem Dei commendat à mirificis operibus illius ex ordine vel extra ordinem naturæ factis; nominatim vero contra infideles & erga fideles; quorum cauſa ſingularem providentiam adhiberi in hoc mundo prædicat: poſtremò Eccleſia fiduciam ſuam in illum profeſſa, ſibi exoptat benignitatem illius.*

1 [1] CAntate juſti in Jehova; rectos decet
laudatio.
2 Celebrate Jehovam cithara; nablio & de-
cachordo pſallite ei.
3 Canite ei [2] canticum novum, *a* optimè
pulſate cum clangore.
4 [3] Quia rectum *eſt* verbum Jehovæ, & o-
mne opus ejus *b* conſtans:
5 Amat juſtitiam & [4] judicium: benignita-
te Jehovæ plena eſt terra.
6 || [5] Verbo Jehovæ cæli facti ſunt, & [6] ſpi-
ritu oris ejus totus [7] exercitus eorum:
7 Congerit quaſi cumulum aquas maris,
diſponit in theſauris [8] abyſſos.
8 [9] Timeant à Jehova omnes *incolæ* terræ:
ab ipſo metuant omnes habitatores orbis.
9 Nam ipſo dicente eſt *quicquid eſt*: ipſo
præcipiente exſiſtit.
10 Jehova irritum facit conſilium genti-
um, infringit cogitationes populorum:
11 Conſilium *verò* Jehovæ in ſeculum con-
ſiſtit; cogitationes *c* animi ejus in ætates ſin-
gulas.
12 [1] Beata gens illa, cujus Jehova [11] Deus
*eſt*, populus *quem* elegit in poſſeſſionem ſibi.
13 [10] E cælis intuetur Jehova, videt omnes
filios hominis:
14 [12] E loco habitationis ſuæ, proſpicit in o-
mnes habitatores terræ:
15 Formator pariter cordis eorum, animad-
vertit ad omnia opera eorum.
16 Non *eſt* rex qui ſervetur multitudine co-
piarū, potens non eripitur multitudine viriū:
17 *d* [14] Mendax *eſt* equus ad ſalutem, &
multitudine roboris ſui non liberat *ſeſſorem*.
18 [15] Ecce oculus Jehovæ *attendit* ad timen-
tes ſui: ad exſpectantes benignitatem ipſius:
19 Ut eripiat à morte animam eorum, &
vivos conſervet eos [16] in fame.
20 [17] Anima noſtra præſtolatur Jehovam:
auxilium noſtrum & ſcutum noſtrum eſt.
21 Nam in eo lætatur *e* animus noſter, quia
[18] nomini *f* ſancto ejus confidimus.
22 Sit benignitas tua, Jehova, ſuper nos;
prout exſpectamus te.

[1] Pſalmus eſt αἰνετικός; ex parte ἐπαινετικός, & ex parte εὐκτικός, itaq; tribus partibus conſtat, laudatione, tribus primis verſ. narratione ſive propoſitione argumentorum laudis, inde à verſ. 4. uſque ad 19. & concluſione petitoria.
[2] i. quod non antiquatur, ſeneſcit aut evaneſcit, ſed perpetuò in eccleſia viget, dum perpetua Dei erga ſe beneficia percipit in Chriſto, prout ſequentia oſtēdunt, ſic infra 40. 4.
[a] Hebr beneficite pulſando.
[3] altera pars; propoſitio ſive narratio argumentorum ad laudes Dei pertinentium ab ordinaria adminiſtratione ejus verbo & opere: quæ duo ſunt ordinaria documenta juſtitiæ, judicij, & benignitatis ejus. quę omnia proleptice his duobus verſ. poſita, deinde copioſè explicantur, primùm à creatione & adminiſtratione ordinis naturalis, ver. 6. & 7 deinde ab adminiſtratione qua utitur extra ordinem, contra improbos, & erga eccleſiam ſuam, uſque ad ỳ. 20.
[b] Heb. in veritate ſive conſtantia.
[4] i. exſequutionem juſtitię adverſus improbos, ut oſtendit benignitatis antitheton, ac proinde exſequitur ipſe: nam quodcunque vult, facit: Pſalm. 115. 3. || Gen. 1. [5] ab opere creationis & conſervationis, ut obſervatum eſt in verſ. 4, quod opus Deus Pater in Filio fecit per Spiritum. [6] ut Ijobi 1. 30. [7] ut Geneſ. 2. 2. [8] id eſt, aquas profundas in ſuis alveis. [9] tranſitio ad ſecundum genus argumentationis ab extraordinaria adminiſtratione Dei: primùm univerſè, 9. ver. deinde ſigillatim, tum in omnium conſilia præter ipſius voluntatem inita, ver. 10 & 11. tum erga eccleſiam ſuam, ver 12. [c] Heb. cordis ejus in ætatem & ætatem. [10] epiphonema de felicitate eccleſiæ, quæ cum ſuperioribus Dei operibus comparata eſt magnificentiſſima. [11] vide Geneſ. 17. 7. [12] ἐργασία proximi epiphonematis, à ſollicita attentione & adminiſtratione Dei, quæ humanitus deſcribitur his duobus ver. deinde accommodatur ad ſingulos homines, conſilia, & facta eorum, tam improborum, ver. 15 & ſequente, quàm bonorum & timentium Dei, ver. 18. & 19. [13] id eſt, è cælo, ut Reg. 8. ver. 30. & 43. [d] Heb mendacium. [14] id eſt, fallens fiduciam & exſpectationem ſeſſoris. [15] alter locus de providentia Dei erga pios, quaſi per hypotypoſin. [16] id eſt, in quovis periculo, ſynecdoche exemplorum omnium ſub appellatione unius: quo modo ferè totus hic pſalmus accipiendus eſt. [17] Concluſio, cujus partes ſunt duæ, profeſſio fiduciæ noſtræ in Deum & gloriationis, duobus verſ. & petitio gratiæ, verſ. ultimo. [e] Hebr. cor. [18] i. ei nominatiſſimo Deo atque ſanctiſſimo: hypallage Rhetorum. [f] Heb. ſanctitatis ejus.

## Psalmus XXXIV.

*David ex præſentiſſimo periculo, in quod ſe infirmitate conjecerat, divinitus liberatus, Deum celebrat, & eccleſiam ad celebrandum ſuo argumento hortatur: deinde doctrinam de officio noſtro attexens providentiam Dei, veritatem*

*atque conſtantiam nobis ſervandis à malo, redimendiſq; explicat.*

1[1] O*De* Davidis, ‖ quum [2] mutaſſet *a* ſpe-
ciem ſuam coram [3] Abimeleco; eoque
ipſum [4] expellente, [5] abiiſſet.
א 2 [6] Benedicam Jehovæ omni tempore; ju-
giter laus ejus *erit* in ore meo.
ב 3 In Jehova jactabit ſe anima mea; audi-
ent manſueti, & lætabuntur;
ג 4 *Dicam*, [7] magnificate Jehovam me-
cum, & extollamus nomen ejus pariter.
ד 5 [8] Quæſivi Jehovam, & exaudivit me;
ac ex omnibus [9] pavoribus meis eripuit me.
ה 6 Qui intuentur in eum & confluunt;
vultus eorum [10] ne erubeſcant; *ſed dicant:*
ו 7 Iſte pauper invocavit; & Jehova exau-
divit; ac ab [a] omnib. anguſtiis ejus ſervavit eũ.
ח 8 *b* [12] Caſtra metantur angeli Jehovæ
circa timentes ejus, & eripit eos.
ט 9 [13] Guſtate & videte bonum eſſe Jeho-
vam: beatus vir ille, *qui* ſe recipit ad eum,
י 10 Timete Jehovam ſancti ejus: quia non
*eſt* penuria timentibus eum.
כ 11 [14] Juvenes leones pauperantur atque
eſuriunt: quærentes autem Jehovam, non in-
digent ullo bono.
ל 12 *c* Agite [15] filii, auſcultate mihi: reve-
rentiam Jehovæ docebo vos.
מ 13 [16] Quis *eſt* vir ille, qui [17] delectatur vi-
ta; amat dies, *amat* frui bono?
נ 14 [18] Cuſtodi linguam tuam à malo; & la-
bia tua ne loquantur fraudem.
ס 15 Recede à malo, & fac bonum: require
pacem, & ſectare eam.
ע 16 [19] Oculi Jehovæ ad juſtos, & aures e-
jus ad vociferationem eorum *attendunt:*
פ 17 Irata *vero* facies Jehovæ ad facientes
malum, ut exſcindat è terra memoriam eo-
rum.
צ 18 [20] Clamantes *illos* Jehova audit, & ex
omnibus anguſtiis ipſorum eripit illos.
ק 19 [21] Propinquus *eſt* Jehova [22] fractis *d* ani-
mo: & contritos ſpiritu ſervat.
ר 20 Multæ *ſunt* afflictiones juſti; ſed ex
omnibus illis eripit eum Jehova.
ש 21 Servans omnia oſſa ejus; [23] unum ex il-
lis non frangitur:
ת 22 [24] At morte afficit improbum affli-
ctio; & qui oderunt juſtum *e* diſperduntur.
פ 23 [25] Redimit Jehova animam ſervorum
ſuorum; neque diſperduntur ulli recipientes
ſe ad eum.

[1] Ode eſt ſecunda alphabetica ex ordine Hebræorum, generis mixti, ἐπαινετικὴ καὶ διδασκαλική. Occaſio illius conſcribendæ exponitur ver. 1. partes ſunt tres: exordium 2. & 3. verſ. propoſitio laudativa, uſq; ad verſ. 9. & doctrinæ loci, inde ad finem uſque.
1. Schem. 21.
[2] i. diſſimulaviſſet ipſe ſe, & alium finxiſſet, ut ab exteris aut ferretur facilius, aut poſſet commodius effugere, ſi non ferretur.
[a] Heb. *guſtum ſuum,*
[3] vide 1. Schem. 21. 11. in annot.
[4] per ſervos ſuos, quibus in mandatis dedit, ibidem ṽ. 14.
[5] in terram Judæ: ut oſtenditur 1. Sche 22. 1.
[6] Exordium laudativum ex abrupto, quo exponit David ſe omni tempore & animo palàm in eccleſia celebraturum Deum.
[7] propoſitio hortatoria ad laudationem Dei; primùm à ſingulari experientia ſua, deinde à communi fidelium omnium
[8] narratio brevis exempli ſui, qua oſtendit ſe non ſimulatione illa ſtultitiæ, ſed ſolo Dei, quem invocavit, beneficio liberatum eſſe. [9] de quibus 1. Schem. 21. 13. [10] magnificare Jehovam & extollere nomen ejus, prout ego ſimulans ſtultitiam feci; ſed potiùs audentibus animis prædicent: μείωσις. [11] prædicatio beneficentiæ Dei à ſingulari exemplo, quod ipſe David proponit Eccleſiæ verbis, q. d. quid fecerat miſer? primùm occupatus metu, ſuæ ſalutis cauſa ſe ad populum perditum receperat, & conjecerat in præſentiſſimum periculum (nam iſta effugia non probari Deo, docuit propheta Gad. 1. Sche. 22. 5.) deinde cultum Dei diſſimulaverat ſimulata ſtultitia: ſed eo major fuit miſericordia Domini erga eum, quòd abjecta infirmitatis ejus ratione exaudivit eum. Sic ſe ipſum proponit in exemplum toti eccleſiæ, & præbet omnib. verba ad ædificationem illius. [b] *Heb. caſtra metatur angelus: enallage numeri.*
[12] tranſitio ab hypotheſi ad theſin: q. d. eccleſia, iſte miſer non humanitùs, ſed divino præſidio ex iſtis periculis ſervatus eſt: certum eſt igitur, pios præſidio Dei & angelorum caſtris circumvallatos & munitos eſſe; ut alia ſcripturæ exempla docent: Gen. 32. 1. & 2. Re 6. 17. & alibi paſſim.
[13] tertia pars odes, continens duos doctrinæ locos, quorum unus eſt de officio noſtro erga Deum, uſque ad ver. 16. alter, de beneficio Dei erga nos, inde ad finem uſque. Officii autem noſtri genera ponuntur quatuor: primum eſt, ut ex perceptis & viſis bonis atque exemplis ejus cognoſcamus eum, hoc ver. ſecundum; ut cognitum timeamus, duobus ſequentibus: tertium, ut timentes audiamus voluntatem ejus, ver. 12. poſtremum, ut auditæ voluntati ejus obſequamur; quibus ſingulis partibus ſuæ promiſſiones propheticæ adjunguntur. Ait igitur David, *Guſtate & videte*, id eſt, percipite re ipſa, & cognoſcite exemplis: metaphora. [14] amplificatio ſuperioris promiſſi per comparationem q. d. quicumque viribus ſuis freti atque præfidentes non reſpiciunt ad Deum, miſerè pereunt: fideles vero non item.
[d] *Heb. venite.* [15] De videlicet, domeſtici eccleſiæ, & diſcipuli prophetarum in ædificatione eccleſiæ laborantium: ſic amico ellogio animos illorum dociles efficit atque benevolos,
[16] tranſitio ad quartum doctrinæ caput per interrogationem, ubi inverſo ordine promiſſionem primo loco ponit, ut ad obſequium (quod explicatur duobus ſequentib. verſ.) commodius fideles adducat. [17] i. cupit bene beatéque vivere, cùm in præſente tum in futura vita. [18] Obſequii leges verbis, operibus, & animis datæ, primùm κατ' ἀναίρεσιν, ne quid obeatur mali; deinde κατὰ θέσιν, ut fiat & procuretur quod bonum honeſtumque eſt coram Deo atque hominibus. [19] alter doctrinæ locus de adminiſtratione Dei, continens membra duo: de beneficiis ejus erga bonos; alterum, de ſuppliciis improborum, quæ duo per prolepſin his duobus ver. enunciata, in ſequentib. explicantur. [20] ἐξήγησις verſ. 16. reſumtis verbis hypotheſeos, quæ habentur ſup. ver. 7. [21] majeſtate, virtute, atque auxilio, ſive per ſe, ſive per res creatas. [22] i. calamitatum magnitudine confectis, & propè animam agentibus.
[d] *Heb. corde.*

[23] ſine ejus voluntate: vide Matth. 10. 29. & ſeqq.
[24] ἐξήγησις v. 17.
[e] *Heb. vaſtantur, ut ſeq. verſ.*
[25] Concluſio ad confirmationem & conſervationem piorum.

## CAPUT XXXV.

*David Dei fidem implorans pro adverſariorum exitio & ſalute ſua, injurias indigniſſimè acceptas, & perfidioſiſſimam illorum hypocriſin explicat; ſervari à Deo petit contra fraudulentos illorum conatus, Deumque appellat teſtem & judicem improbitatis illorum & innocentiæ ſuæ, ad gloriam ipſius & publicum eccleſiæ bonum.*

1[1] O*De* Davidis. Contende Jehova, adver-
ſus contendentes mecum; impugna im-
pugnantes me.
2 [2] Prehende ſcutum aut clypeum; ac ſur-
ge in auxilium meum:
3 Et exſere haſtam, & præclude perſequen-
tibus me: dic animæ meæ, ſalus tua ſum.
4 Pudefiant & rubore perfundantur, quæ-
rentes animam meam: agantur retrorſum, &
erubeſcant machinantes malum meum.
5 Sint [3] ſicut gluma coram vento, angelo
Jehovæ impellente:
6 Sit via eorum *a* tenebroſa & lubriciſſi-
ma; & angelus Jehovæ perſequatur eos.
7 [4] Quandoquidem immeritò [5] abſcon-
dunt mihi *in* fovea rete ſuum, immeritò fodi-
unt *foveam* contra animam meam:
8 [6] Eveniat ei vaſtatio neſcienti, ut rete i-
pſius quod abſcondit, capiat eum: *ad* vaſtatio-
nem decidat in [7] illam.
9 [8] Sic anima mea exſultet in Jehova; gau-
deat in ſalute ejus:
10 [9] Omnia oſſa mea dicant; Jehova, quis
*eſt* par tibi? eripiens pauperem à valentiore
eo; pauperem, inquam, & egentem à diripien-
te eum?
11 [10] Inſurgunt teſtes injurii, quorum non
ſum conſcius *ea* repetunt à me:
12 Rependunt mihi malum pro bono, [11] or-
bitatem animæ meæ:
13 [12] Quamvis ego, ægrotantibus illis, *utens*
*pro* veſte mea [13] cilicio; affligerem jejunio ani-
mam meam, & oratio mea [14] in ſinum meum
rediret:
14 Tamquam *ad* proximum, tamquam *ad*
fratrem mihi indeſinenter [15] itarem, tamquam
lugens matrem atratus curvarem me.
15 [16] Quum verò claudico, [17] lætantur con-
gregantes ſe: [18] congregant ſe apud me loripe-

[1] Ode eſt δικανικὴ conſtans ex quatuor partibus; exordio abrupto, ſive petitione pathetica, uſque ad ṽ. 11. propoſitione ſive narratione malorum ſuorum, inde uſque ad ṽ. 17. petitione, uſque ad 27. & concluſione duobus ultimis. Petitionis autē abruptæ, unde exordium ducitur, membra ponuntur duo, unum, κατηγορικὸν in adverſarios, verſ. 1. alterum δικανικὸν pro ſe ipſo, v. 2. quę duo deinde exornat uſq; ad ver. 9. poſtea verò amplificat à ſupremo fine, qui eſt gloria & laudatio Dei, uſque ad 11.
[2] humanitùs dicta.
[3] ut ſuprà Pſal. 1. ver. 4.
[a] *Heb. tenebræ & lubricitates.* ἀπαρτολογία imprecationis ab atrocitate peccati adverſariorum; qua oſtendit David ſe hic minimè indulgere perturbationibus animi ſui, ſed omnia juſtitiæ Dei tribuere.
[5] i. moliuntur contra me omnibus artibus, metaphora, ut ſupra Pſal. 7. & 9.
[b] *Hebr. abſcondunt mihi foveam rete ſuum. immerito fodiunt contra, &c.* [6] i. eorum cuique: ſyllepſis Hebræorum. [7] foveam, quam fodiſſe dicuntur ver. præcedente [8] ſummus finis petitionis, ut obſervatum eſt ſup. in verſ. 1. [9] i. omnibus viribus meis dicam: hyperbole, ut Ijobi 31. 20. & inf. 51. 10. [10] ſecunda pars, propoſitio ſive narratio querelæ ſuæ: cujus loci ſummi ſunt tres; primus, quod injuriam graviſſimam patitur, hoc verſ. ſecundus, quod indigniſſimè patitur, ut qui adverſariis omnibus modis benefecerit, uſque ad ver. 15. tertius, quod per fraudem & ludibrium exagitatur cum ſimulatione perfidioſiſſima, ver. 15. & 16. Videtur autem de illis hominibus intelligere, qui ipſum falſis criminationibus apud Schaulem onerabant; quorum fit mentio 1. Schem. 24. 10. & 26. 19.
[11] i. efficiunt ut tanquam orbus vel potius orphanus à Dei patris mei cultu, ab eccleſia, patriaque abſim, ut idem conqueritur 1. Schem. 26. 19.
[12] quum nondum percepiſſem deſperatam illorum malitiam, & reprobationem à Deo. [13] vide in Gen 37. 34. [14] i. orationem pro illis frequentarem, & ſæpius repeterem, quaſi in ſinu geſtans. [15] inviſens ad conſolandum eos. [16] i. quum magnitudine rerum adverſarum nutare & propè corruere videor: metaphora à rebus corporeis. [17] i. dum conveniunt inter ſe ut inviſant me, lætitiam magnam agitant. [18] i. quum ad me venitur, ſimiliter dolentes agunt, quaſi eodem malo afficerentur mecum, ſimulatione miſeriæ (ut Auguſtinus loquitur) non compaſſione miſericordiæ.

des,

des, ut non [19] animadvertam; [20] lacerant, ac [21]
non ſilent:
16 [22] *c* Inter hypocritas *facetos* ſanniones
faceti; [23] frendentes contra me dentibus ſuis.
17 [24] Domine, [25] quamdiu aſpicies? [26] reduc
animam meam [27] à vaſtationibus eorum, à ju-
venibus leonibus [28] unicam meam:
18 Celebrabo te in congregatione multa,
in populo *d* frequenti laudabo te.
19 Ne lætentur de me, qui mihi ſunt inimi-
ci *e* falſis de cauſis: qui oderunt me immeritò,
ne [29] nictent oculo.
20 [30] Non enim pacem loquuntur: ſed con-
tra quietos terræ res *f* fraudulentiſſimas exco-
gitant:
21 Et [31] dilatant contra me os ſuum; dicen-
tes, euge, euge, [32] videt oculus noſter.
22 Vides Jehova, [33] ne ſileas; Domine, ne
longè abſis à me.
23 Evigila & expergiſcere ad judicium me-
um: Deus mi & Domine mi, ad contentionem
meam.
24 Judica me ſecundùm iuſtitiam tuam,
Jehova, Deus mi; & ne lætentur de me.
25 Ne dicant *g* cum animo ſuo, euge, anima
noſtra; [34] ne dicant, abſorbuimus eum.
26 Pudefiant & erubeſcant ſimul, gauden-
tes de malo meo: induantur pudore & igno-
minia, qui magnificant *ſe* contra me.
27 [35] Cantabunt & lætabuntur, qui dele-
ctantur [36] juſtitia mea; dicentque iugiter, ma-
gnificetur Jehova; qui delectatur pace ſervi
ſui:
28 Et lingua mea *h* enunciabit iuſtitiam
tuam, toto die laudem tuam.

[19] hypocriſin & fraudem ſuam. [20] veſtimenta ſua, ut ſi meus dolor afficeret illos graviſſimè: vide Geneſ. 37. 34. [21] i. omnia complent plauſtibus, & bonos conſolatores agût. Hujuſmodi autẽ fuiſſe multos ἐπαμφοτερίζοντας, deſultorios, & omnia faciẽtes ad gratiam omnium partium, qui modò Schauli ſubſervirent, modò ſubblandirentur Davidi; apparet ex ipſius verbis, 2. Chro. 12. 17. & ex Kehilæorum & Ziphæorum exemplo, 1. Schem. 23. & 26. [22] i. quum à me profecti ſunt ad congerrones ſuos. *c* *Heb. inter hypocritas facetiæ ſanniones ſacetiæ: ſimilis conſtructio eſt Ijobi 20. 17. & Jeſcha. 19. 11.* [23] id eſt, furentes ex ira graviſſima: ſynecdoche. [24] tertia pars odes, petitio; argumento planè cum prima parte conveniens: nam & imprecatur inimicis Deum implorãs, & bene precatur ſibi. [25] tantùm, ac non judicium exercebis? [26] i. fac ut revertar ad publicum tuum cultum & patriam meam, qua per iſtorum importunitatem carere cogor: nam reſpicit his verbis ad querimoniam, qua uſus eſt ſup. ver. 12. [27] i. ne vaſter ab illis, atque dilacerer. [28] vide ſup. 22. 21. *d* *Heb. valido.* *e* *Heb. falſitatis.* [29] i. amarulenter ludificentur me; ſynecdoche.
[30] Confirmatio petitionis ab injuria adverſatiorum, tum publica contra omnes pios hoc ver. tum ſingulari contra prophetam, ſeq. ver. Quamobrem Deum nominatim appellat teſtem, ver. 22. *f* *Heb. fraudum.* [31] i. per ludibrium exagitant: ut Ijobi 16. 10. & Jeſcha. 57. 4. [32] videlicet malum quod exoptavimus: [illegible] mali per euphemiſmum, in hoc genere loquendi frequens: ut Pſal. 54. 9. & 59. 11. & 118. 7. [33] id eſt, ne quieſcas; ſed compares te ad faciendum judicium, humanitus dicta, his 2. ver. *g* *Heb. in corde ſuo.* [34] ampliùs ut dixiſſe leguntur, ſup. ver. 21. [35] Concluſio à rebus conſequentibus; nimirum lætitia Eccleſiæ, gloria Dei, & prædicatione ejus: in qua duo genera recenſentur, laus bonorum omnium, hoc ver. & privata Davidis, ver. ſeq. [36] id eſt, aſſertione quam fecerit juſtæ cauſæ meæ. *h* *Heb. meditabitur.*

## Pſalmus XXXVI.

*David regnum aditurus, Deum celebrat à beneficentiſſima adminiſtratione eius erga impios & contumaces, erga res omnes creatas, & erga eccleſiam ſuam: deinde precatur pro ſalute & proſperitate populi & ſua.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ: [1] *Ode* [2] ſervi Jeho-
væ, Davidis.
2 [3] Dictum defectionis ad improbum, [4] *a*
in intimo cordis mei *eſt*; coram ejus oculis
non *eſſe* pavorem Dei,
3 [5] Blandiri eum ſibi in oculis ſuis, quum
[6] aſſequitur iniquitatem ſuam, [7] *quæ* odio ha-
benda *eſſet*.
4 Verba oris eius *b* vana & doloſa *ſunt*: [8]
deſinit adhibere intelligentiam ad benefaci-
endum.
5 Vanitatem cogitat in cubili ſuo, ſiſtit ſeſe
in via [9] non bona: [10] malum non ſpernit.
6 [11] Jehova, [12] in cælis *eſt* benignitas tua, fi-
des tua uſque ad ſuperiores nubes:
7 Juſtitia tua inſtar montium *c* maximorum;
iudicia tua *inſtar* abyſſi magnæ: [13] homines &
iumenta conſervas, Jehova.
8 [14] Quàm pretioſa *eſt* benignitas tua, De-
us; quum filii hominum [15] ad umbram alarum
tuarum ſeſe recipiunt.
9 [16] Uberrimè explentur pinguedine do-
mus tuæ, & de torrente deliciarum tuarum
bibendum das eis.
10 [17] Quandoquidem penes te *eſt* [18] fons
vitæ, [19] in luce tua *d* fruamur luce.
11 Protende benignitatem tuam erga co-
gnoſcentes te, & iuſtitiam tuam erga rectos *e*
animo.
12 [20] Ne aggrediatur me pes *f* ſuperbi, &
manus improborum ne inducat me ad aber-
randum *eo*:
13 [21] Ubi cadunt operarii iniquitatis, ita
impelluntur ut non poſſint ſurgere.

[1] Ode eſt generis mixti ἐπαινετικὴ καὶ δεητικὴ, conſtans duabus partibus; laudatione Dei, uſque ad ver. 10. & precatione, à ver. 10. ad finem uſque. [2] i. in invocatione & adminiſtratione regni Deo ſervituri; ac proinde fidem & miſericordiam ejus implorantis, ut regnum ſanctè adminiſtrare poſſet; vide ſup. in Pſal. 18. 1.
[3] prior pars Pſalmi laudativa, tria laudationis argumenta continet: primum eſt ab æquanimitate, diuturnáque patientia & beneficentia Dei erga impios, à 2. ver. ad 6. uſque; ſecundum, à continuatione beneficæ adminiſtrationis ejus in rebus omnibus creatis, verſ. 6. & 7. tertium, à ſingularibus illius beneficiis erga eccleſiam, ver. 8. & 9. Beneficentia autem Dei erga impios amplificatur à contumaciſſima illorum rebellione: primum factis atque conatibus, ver. 3. deinde verbis, verſ. 4. & poſtremo conſiliis & cogitationibus, verſ. 5. quæ omnia ex uno tamquam genere derivantur, nimirum vacuitate à timore Dei, quæ ideò proleptice ponitur ver. 2. Dictum autem defectionis, id eſt, quod à defectione ſemel incepta video animum improbi in dies magis ac magis ſollicitari ad novas defectiones & ſcelera, id animo meo inſidet. Videtur enim David ab exemplo Schaulis, quem ſpiritus malus quotidie in nova ſcelera compulerat, impiorum conditionem deſcribere, vide 1. Chron. 10. 13.
[4] id eſt, me afficit graviſſimè, & animum meum tanquam gladius tranſverberat. *a* *Hebr. in medio.* [5] vide ſup. Pſal. 10. & 11.

[6] id eſt, neſariè adipiſcitur neſaria deſideria ſua: quas artes Schaul adverſus Davidem adhibuiſſe legitur, 1. Schem. inde à 18. cap. [7] i. quam odiſſet ſi ſaperet, omneſque boni odiſſe debent. *b* *Hebr. vanitatis & doli.* [8] i. à bono abſtinens, nihil cogitat niſi malefacta: μείωσις, ut ſequente ver. [9] i. ut quamque videt peſſimam, pergit in ea. [10] id eſt, nihil mali omittit quin faciat illud, ſed ſtudioſiſſimè amplectitur. [11] Secundum argumentum laudationis, ut obſervatum eſt in verſ. ſecundo, per apoſtrophen ad Deum. [12] id eſt, ſummæ, profundiſſimæ, adeóque infinitæ ſunt benignitas, veritas, juſtitia, judiciaque tua; quæ amplitudo metaphoricis comparationibus exponitur ad humanum ſenſum accommodis. *c* *Heb. Dei fortis: vide Geneſ. 10. 8.* [13] id eſt, omnibus creaturis tuis immerentibus, indignis, etiamque immorigeris conſulis bonitate tua, quam inde à creatione explicaſti. [14] tertium argumentum laudationis, ut obſervatum eſt verſ. ſecundo, per exclamationem ex admiratione profectam; cujus ſubjectio habetur ſequente ver. [15] ut ſuprà 17. 8. [16] id eſt, omnem victum, neceſſitatem & amœnitatem cùm præſentis, tum venturæ vitæ ſubminiſtras credentibus in te; allegoriæ. [17] altera pars Pſalmi, precatio, tum publica pro toto regno, & Eccleſia Chriſti, 2. verſ. tum privata pro Davide in adminiſtratione regni ſui Deo ſervire cogitantis, duobus ultimis: publicæ autem precationis tria ſunt poſtulata, lucis, benignitatis, & juſtitiæ. [18] id eſt, inexhauſta plenitudo atque perfectio, qua fideles perfundis pro demenſo voluntatis tuæ: ſic permanet in allegoria ver. 10. ad precationem tranſiens. [19] i. glorioſis & illuſtribus bonis tuis; vel præſente & futura proſperitate, cujus cauſas & antecedentia petit, ſequente verſu; nimirum miſericordiam Dei & juſtitiam ex miſericordia collatam.
*d* *Heb. videamus lucem: ſynecdoche frequens, ut Pſalm. 34. 13.* *e* *Heb. corde.*
[20] precatio ſingularis, ut diximus verſu 10. qua ita deprecatur malum, ut ex contrario intelligatur optare conſtantiam in bono. *f* *Heb. viri ſuperbiæ.*
[21] id eſt, in eam inſaniam, de qua ver. 2. & ſequentibus: ac proinde in funeſtum & ſempiternum exitium.

## Pſalmus XXXVII.

*David pios à maleficorum invidentia ad fidem & ſecuritatem in Deo revocans, elegantiſſimis promiſſionibus utrarumque ſtatum explicat; illorum infauſtam vitam & mortem, horum vero felicem eſſe oſtendens providentia Dei etiam in mediis calamitatibus: quamobrem pios hortatur ad fugiendum malum, colendum bonum, & amplectendas fide promiſſiones de ipſorum bono & improborum exitio.*

א 1 [1] ODe Davidis. [2] Ne accendaris ira pro-
pter maleficos; ne invideas facienti-
bus iniquitatem:
2 Nam [3] ſicut fœnum citò ſuccidentur, &
ſicut viriditas teneræ herbæ decident.
ב 3 [4] Confide in Jehova & [5] fac bo-

[1] Ode eſt didaſcalica alternis ferè verſibus alphabeticum literarum ordinem continens. Conſtat autem ex tribus partibus, propoſitione officii noſtri, inde à verſ. 1. uſque ad 7. confirmatione ſive exornatione propoſitionis, à ver. 7. uſque ad 27. poſtremo concluſione hortatoria ad officium noſtrum & certam fiduciam promiſſionum Dei, ad finem uſque. Propoſitionis membra ſunt duo, interdictum adjuncta comminatione, verſ. 1. & 2. mandatum cum promiſſione uſque ad ver. 7. [2] id eſt, ne indignè feras proſperitatem illorum præſentem. [3] id eſt, neque ipſi perdurant, neque ipſorum felicitas. [4] mandatum ex adverſo dehortationi ſive interdicto ſuperiori reſpondens, cujus partes ſunt duæ; una, ut animum & cogitationes avertendo à conſuetudine oculorum, ſola fide reſpiciamus in Deum, cujus fructus hoc ver. exponuntur: altera, ut acquieſcamus cum ſilentio voluntati Dei, ſequente verſ. Atque hæc duo ſequentibus 2. exornantur.
[5] primus fructus fidei, benè inſtituta vita & conformata voluntati divinæ, cujus vitæ modus eſt ut paſcamur fide; adjunctum verò, promiſſio Dei ad præſentem vitam & habitationem terræ ſanctæ pertinens, quæ fuerunt olim ſymbola cæleſtis vitæ & hæreditatis: ut pietas promiſſionem habet vitæ præſentis ac futuræ, 1. Timoth. 4. 8.

num: inhabita terram, & [6] paſcere fide:
4 [7] Et oblecta te in Iehova; qui dabit tibi
petitiones *a* animi tui.
ג 5 [8] Devolve ſuper Jehovam viam tuam, &
confide in eo; [9] nam ipſe efficiet;
6 Proferens tamquam lucem juſtitiam
tuam, & jus tuum tamquam meridiem.
ד 7 [10] *b* Acquieſce Jehovæ, & indeſinenter
exſpecta eum: ne accendaris ira propter pro-
ſperantem via ſua, propter virum efficientem
cogitata.
ה 8 Abſiſte ab ira, & derelinque excande-
ſcentiam; ne accendaris ira, ſaltem ad male-
faciendum.
9 [11] Nam malefici exſcindentur; exſpectan-
tes verò Jehovam, ipſi hæreditario jure poſſi-
debunt terram.
ו 10 Et adhuc paululum, planè non *erit* im-
probus: quòd ſi conſideraveris locum ejus;
non exſtabit:
11 Manſueti verò hæreditario jure poſſide-
bunt terram, & oblectabunt ſe [13] in multitudi-
ne pacis.
ז 12 [14] Cogitante improbo contra ju-
ſtum, & frendente adverſus eum dentibus
ſuis,
13 Dominus ridet eum; quia videt adveni-
re [15] diem ſuum.
ח 14 [16] Gladium *c* eduxerint improbi, &
adduxerint arcum ſuum, ad dejiciendum
pauperem & egentem, ad mactandum rectos
viâ:
15 Gladius eorum intrabit in cor eorum, &
arcus eorum confringentur.
ט 16 [17] Bonum *eſt* parum cuique juſto, plus
quàm copia *ſua* [18] improbis multis.
17 Nam [19] brachia improborum confrin-
guntur: [20] ſuſtinet autem juſtos Jehova.
י 18 [21] Agnoſcit Jehova [22] tempora integro-
rum. adeò ut poſſeſſio eorum in ſeculum fu-
tura ſit.
19 Non erubeſcant tempore malo, ſed die-
bus famis ſaturentur:
כ 20 [23] Dum improbi pereunt & inimici
Jehovæ, *d* ut quæ pretioſa ſunt in agnis: *ut hæc*
conſumuntur in fumum *abeuntia*, conſumun-
tur *iſti*.
ל 21 [24] Mutuò accipit improbus, ſed non
poteſt reddere: juſtus verò gratiam facit &
donat:
22 [25] Quia benedicti ab illo, hæreditario
jure poſſident terram: maledicti verò ab illo,
exſcinduntur.
מ 23 [26] A Jehova greſſus viri ſtatuuntur,
cujus delectatur viâ.

[6] i. ex fide vive; non ex rebus præſentibus vitam quærens, ut improbi faciunt, ut Chabak 2. 4. [7] ſecunda pars mandati, oblectatio fidei in Deo ſolo acquieſcens. [a] Heb. cordis. [8] id eſt, te, vitam tuam, & totas rationes tuas illius fidei committe. Ita ſummatim comprehendit quæcunq; ad fidem pertinent. [9] quæcumque facto opus fuerint: ſumma promiſſionũ quas fides percipit, ſequente verſu per ſimilitudinem illuſtrata. [10] ſecunda pars Pſalmi, confirmatio ſive exornatio ſuperiorum documentorum, ad quam tranſitur brevi repetitione illorum, inverſo ordine, nam fidei & ſpei doctrina, priore loco; dehortatio verò poſteriore ponitur, hoc verſ. & exegeticè amplificatur, ſequente. [b] Heb. ſile. [11] αἰτιολογία documentorum: primus confirmationis locus ab eventis, quæ per antitheſin inter ſe comparantur; nimirum exitio improborum, verſu 10. & bonorum conſervatione, verſ. 11. quæ hîc prolepticè poſita ſunt. [12] prout ipſe ab experientia ſua confirmat, infra ver. 36. [13] poſt moleſtias ab improbis perceptas atque ſuperatas, ut ſequentia explicant. [14] ſecundus cõfirmationis locus à providentia & ſapientiſſima adminiſtratione Dei, quia dum tolerat improbum, ridere tamẽ dicitur, ſequente verſ. & dum vult judicium perficit, aliis verſ. [15] quo placet Deo improbos gladio ipſorum jugulare, & ſervare probos, ut duo ſequentes verſ. oſtendunt. [16] ut ſupra 11. 1. [c] Heb. aperuerint vel ſolverint.

[17] Tertius confirmationis locus à conſtitutione præſente animi & conſcientiæ utrorumque: nam per comparationem oſtendit David, non poſſe tam parum eſſe juſto quin animo poſſideat omnia; quia ipſi adeſt majeſtas, cura, promiſſio, efficacitas, & benedictio Dei, 3. verſ. ſequentibus: contra verò improbis nihil tantopere ſupereſſe, ut ipſorum animi poſſint in eo conquieſcere.
[18] id eſt plus percipit boni juſtus unicus, quàm omnes ſimul improbi ex cunctis ſuis facultatibus.
[19] i. omnes illorum facultates, in quibus ſuum robur putant conſiſtere.
[20] i. quantumvis infirmos & tenues conſervat.
[21] ut ſupra 1. 6. [22] ſive ſecunda, ſive adverſa: omnium rationem habet ſequente verſu.
[23] i. dum contabeſcunt fame & emaciantur, ut liquefit conſumitúrque tenellorum agnorum pingue in ſacrificiis: ſimilitudo elegans. Eſt autem hîc & duobus ſequentibus verſ. explicatio ejus quod dixerat ver. 18 ab exemplo famis; quod peræquè ad alias omnes calamitates ex analogia accommodandum eſt.
[d] Heb. pretioſum agnorum.
[24] ad levandum famem.
[25] αἰτιολογία illius loci à benedictione Dei, ut obſervatum eſt in verſ. 16.
[26] exegeſis prioris membri quod in ſuperiore ætiologia ponitur à benevolentia & beneficentia Dei; qui etiam labentes ex infirmitate ſuos gratioſè ſuſtinet, 2. verſibus.

24 Quum cadit, [27] non dejicitur; quia Je-
hova ſuſtentat manum ejus.
נ 25 [28] Puer fui, etiam conſenui; ſed non
vidi juſtum ita derelictum, ut ſemen ejus quæ-
reret panem.
26 Toto die gratiam facit, & mutuat, & ſe-
men ejus in benedictione *eſt*.
ס 27 [29] Recede à malo; & fac bonum: ſic
[30] habita in ſeculum:
28 [31] Nam Jehova amat jus, neque derelin-
quit quos benevolentia proſequitur: in ſecu-
lum conſervatur, ſemen verò improborum
exſcinditur.
ע 29 [32] Juſti hæreditario jure poſſidebunt
terram, & habitabunt [33] in æternum ſuper eã.
פ 30 Juſti, *cujus* os meditatur ſapientiam,
& cujus lingua loquitur jus,
31 In cuius animo *eſt* lex Dei ſui, *pes eius*
non [34] labaſcit greſſibus ſuis.
צ 32 [35] Speculante improbo adverſus iu-
ſtum, & quærente morte illum afficere.
33 Jehova non derelinquit illum in manu
iſtius; [36] neque ſinit eum condemnari, quum
iudicatur.
ק 34 [37] Attende ad Jehovam, & obſerva
viam eius: tum extollet te ad poſſidendum
terram iure hæreditario, *e* excidium improbo-
rum videbis.
ר 35 [38] Vidi improbum *f* magna vi erum-
pentem; & ſeſe explicantem, [39] tamquam ar-
bor indigena virens.
36 Deinde præteriit, & ecce non *erat* am-
plius: nam quæſivi eum, ſed non inventus eſt.
ש 37 [40] Obſerva integrum, & aſpice rectum;
finem *iſtius* viri eſſe pacem:
38 Defectores verò perdi pariter, finem im-
proborum exſcindi;
ת 39 [41] Nam ſalus iuſtorum à Jehova *eſt*,
robur eorum tempore anguſtiæ:
40 Et adiuvat eos Jehova, ac liberat eos:
liberat eos ab improbis ac ſervat eos, quia re-
cipiunt ſe ad ipſum.

[27] ita ut dejectus maneat, 2. Corinth. 4. 9. ut improbi contra in perpetuum dicuntur dejici. Jechez. 32. 4. [28] quartus confirmationis locus ab exemplo & experientia, q. d. ex quo tempore vivo, non animadverti Dei flagella in viris bonis permanere, adeò ut ad poſteros uſque deriventur; ſed obſervavi ſemper eſſe temporarias caſtigationes ejus: huic negationi ſubjicitur contraria affirmatio ſequente ỳ. vide Pſal. 72. 4. [29] Concluſio hortatoria ad obedientiam & fidem: obedientiæ adſcribuntur duo capita reſipiſcentiæ; mortificatio veteris hominis, & excitatio novi in juſtitia & ſanctitate vera, fidei verò aſcribitur promiſſio, fidelem virum jamjam velut in præſentis & perpetuæ vitæ ac hæreditatis poſſeſſionem mittens; cujus propoſitionis exornatio atque cõfirmatio uſque ad finem oſtenditur. [30] vide Geneſ. 20. 7. [31] Confirmatio bimembris, reſpiciens ad duo ſuperiora capita reſipiſcentiæ à conſilio & ordinatione judiciorum Dei, quã (inquit) bonis benè eſt à Deo, & malis peſſimè. [32] exornatio proximè præcedentis confirmationis: in qua primùm bonorum ſtatus exponitur, uſque ad verſ. 35. deinde verò improborum, uſque ad 38. quæ duo capita ſummatim & per anacephalæoſin repetita ver. 38. & 39. concluduntur à prædicatione ſalutis & beneficentiæ Dei. [33] i. non tam præſentis ſymboli ratione, quàm æternæ vitæ: etſi quod ad vitam præſentem attinet, ſequentia docent juſtum & permanſurum beneficio Dei, verſ. 30. & 31. & ab omnibus offenſis conſervatum iri, verſ. 32. & 33.
[34] i. ſtat firmus: metaphora. [35] amplificatio ab improborum ſtudio adverſante bonorum felicitati, ut obſervatum eſt in v. 29.
[36] i. mirificè liberas ad confirmandam veritatem ſuam, & probandam innocentiam illius, quum opus eſt.
[37] hortatio ad juſtum, μεταβατικὴ ſive tranſitiva ad alterum confirmationis membrum, de improborum ſtatu ut dictum eſt ſup. ver. 29.
[e] Heb. exſcindi. [38] Expoſitio allegorica ſtatus improborum.
[f] Heb. violentum, & ſeſe nudantem. [39] i. nativa arbor ſive voluntaria, quam ſponte producit tellus: nam hoc genus arborum eſſe valentius eo quod arte vel cultura provenit, ipſa natura docet. [40] ἀνακεφαλαίωσις ut obſervatum eſt ſupra verſ. 29. [41] αἰτιολογία ſuperioris demonſtrationis ἀνταπόδοτος: nam cauſam quidem felicitatis bonorum explicat, ſalutem, opem, & liberationem à Deo: ſed infelicitatis quæ improbos manet, narrationem reticet, quæ à contrario facilè colligitur.

## PSALMUS XXXVIII.

*David preſſus malo graviſſimo, peccata ſua confitetur; de infirmitate animi & corporis ſui, deſolatione ab amicis & inimicorum improbitate conqueritur: quibus omiſſis, ad Deum ſe convertit, & repetitis ſummatim cauſis opem Dei implorat ac ſalutem petit.*

1 [1] PSalmus Davidis [2] ad recordandum.
2 [3] Jehova, ne in fervente ira tua arguas
me; aut in excandeſcentia tua caſtiges me.

[1] Pſalmus eſt διδακτικός, exordio, narratione, & concluſione conſtans.

[2] i. memoriam ſtatuendã mali ſui, & liberationis acceptæ à Deo, quod genus Pſalmorum docendi cauſa vocare poſſumus ἀπομνημονευτικόν. [3] Exordium ſive petitio ex abrupto, quo iram Dei & flagella deprecatur David.

3 [4] Nam

3 [4] Nam [9] ſagittæ tuæ *a* altè infixæ ſunt in
me, & demiſiſti ſuper me manum tuam.
4 Non *eſt* integritas in carne mea, propter
deteſtationem tuam: non *eſt* pax in oſſibus
meis propter peccatum meum.
5 Nam [6] iniquitates meæ [7] tranſcendunt
caput meum; ut onus grave, *b* graviores ſunt
quàm perferre queam.
6 [8] Putruerunt, contabuerunt tumices
mei; propter ſtultitiam meam.
7 Diſtorqueor, incurvor pervaldè; tota
die atratus pergo:
8 Quia ilia mea plena ſunt vilitate, adeò ut
non *ſit* ulla integritas in carne mea.
9 Debilitatus & attritus ſum *c* pervaldè,
rugio præ fremitu *d* animi mei.
10 [9] Domine, coram te *eſt* totum deſide-
rium meum; & ſuſpirium meum à te non eſt
abſconditum.
11 Cor meum palpitat, derelinquit me vir-
tus mea; & lux oculorum meorum, [10] etiam
ipſi non *ſunt* penes me.
12 [11] Amici mei & proximi mei [12] è regione
plagæ meę ſubſiſtunt, & propinqui mei è lon-
ginquo abſiſtunt.
13 Tendunt verò laqueos, qui quærunt a-
nimam meam; & qui requirũt malum meum,
loquuntur [13] ærumnas, & dolos toto die me-
ditantur.
14 [14] Quos ego tamquam ſurdus non au-
dio, & tamquam mutus nõ aperiens os ſuum.
15 Sed ſum tamquam is qui non audit, & in
cujus ore non *ſunt* argumenta:
16 [15] Quia te Jehova exſpecto; *ut* tu exau-
dias, Domine Deus mi:
17 [16] Quia dico, *videndum* ut non lætentur
de me; nutante pede meo, contra me magni-
ficent ſe;
18 [17] Si ego ad claudicationem comparatus
*fuero*; & dolor meus *fuerit* coram me jugi-
ter.
19 [18] Quandoquidem iniquitatem meam
indico, ſollicitus ſum de peccato meo:
20 Inimici autem mei vivi roborantur, &
multiplicantur qui oderunt me *e* falſis de cau-
ſis,
21 Et reddentes malum pro bono, adver-
ſantur mihi; eò quòd ſector bonum.
22 [19] Ne derelinquas me; Jehova: Deus mi,
ne longè abſis à me.
23 Feſtina ad auxilium meum, Domine ſa-
lus mea.

[4] αἰτηλογία petitionis, ſive narratio tribus partibus conſtans: prima eſt à perſona Dei, de calamitatibus quas ipſe infligit, uſque ad verſ.10. ſecunda, à perſona ſua, explicatio infirmitatis ſuę, verſ.10. & 11. tertia à perſona circumſtãtium, inde uſque ad verſ.19.
[5] i. plagæ: metaphora. Eſt autem hoc & ſeq. verſ. gradatio apprimè neceſſaria; qua David à flagellis (quorum aſperitatem ſentiebat) aſſurgit ad ſenſum iræ, & deteſtationis Dei: inde verò devenit ad deteſtationis cauſam, nimirum peccatum ſuum.
[a] Hebr. demiſſæ ſunt.
[6] i. peccata & eorum pœnæ; ſynecdoche: nã hic exornatio eſt querimoniç, qua uſus eſt proximè præceden. verſ.
[7] i. tamquam exundãtes aquæ demergunt me: metaphora ab aquis: ut Pſ.42.8. & 88.7. & 124.4 &c. ut altera quę proximè ſequitur, ab oneribus tranſlata eſt.
[b] Hebr. graves ſunt præ me.
[8] Singularis explicatio plagarũ de quibus ſuprà in genere expoſtulaverat. Credibile eſt autem fuiſſe graviſſimum aliquem dolorem, acutiſſimum, multiplicem, & diuturnũ: cſi quod genus fuerit mali, non meminimus in ſcriptura legere: niſi fortè hæc quiſpiam allegoricè malit accipere.
[c] Heb. uſque valde.
[d] Heb. cordis.

9 alter narrationis locus de affectione ſua, cujus teſtem appellat Deum. 10 i. videntur jamjam me deficere gravitate mali.
11 tertius narrationis locus, de ratione qua circumſtãtes erga ipſum utebantur, ſive amici, hoc ver. ſive inimici, ſequente verſ. ac poſtremò ipſe erga omnes, verſ.14.15. 12 præ horrore deteſtantes accedere: ſimile vide Ijobi 19.
13 quibus amplius afficiant me. 14 i. diſſimulo & fero patienter, ut fidelem decet, verſ.16. 15 αἰτηλογία ſilentii, primùm à fide ſua in Deum, hoc ver. deinde ab improbitate adverſariorum, duobus ver. ſeq. 16 ſecunda cauſa ſilentii: quaſi dicat, mihi cum Deo res eſt in iſtis calamitatibus: non autem cum iſtis canibus & porcis: apud quos ſi quid dicerem, omnia in ludibrium verterent: & ſi quid ſecus quam opto pateret malumque meum continuaretur, ipſum Dei nomen in malo meo blaſphemarent. 17 h. e. ſi non deſineret malum: exegeſis metaphoræ qua modò uſus eſt, nutante pede meo. 18 Concluſio petitoria, cujus partes ſunt duæ, cauſarum, tribus verſ. & poſtulatorum, duobus ultimis. cauſæ ponuntur duæ: una à perſona ſua, quòd ſeipſum ſiſtit coram Deo, & peccatum ſuum ex animo confitetur ad glorificandum Deum: altera, à perſona inimicorum, injuſto odio & immeritis maleficiis Davidem proſequentium; duobus ſequ. [e] Heb. falſitatis, ut ſup 35.19. 19 Poſtulatum duplex, deprecationis, hoc verſ. & precationis oppoſitæ, verſ. ult.

## Psalmus XXXIX.

*David explicato conſilio bene & patienter tranſigendæ vitæ ſuæ, agnoſcit ſe repentè oppreſſum ab inſtituto aberraſſe & obmurmuraſſe Deo: ita ſeipſum corrigens deprecatur peccata & ſupplicia ſua; & miſericordiam ſibi exhiberi poſtulat.*

1 Magiſtro ſymphoniæ [1] Jeduthuni; [2]
pſalmus Davidis.
2 [3] Dixeram, obſervabo [4] vias meas, ne
peccem lingua mea: ſervabo circa os meum [5]
capiſtrum, [6] tantiſper dum improbus *erit* co-
ram me.
3 Obmutueram *a* taciturnus, [7] ſilebam
*etiã* à bono; [8] ſed dolor meus incrudeſcebat.
4 [9] Incaleſcente verò *b* animo meo in me,
in meditatione mea exardeſcente igne; [10] lo-
quutus ſum lingua mea, [11] *dicens*;
5 [12] Fac ut experiar, Jehova, finem meum;
[13] menſura dierum meorum, quid ſit; experiar
quàm durabilis ſum.
6 Ecce, *c* [14] palmares diſpoſuiſti dies meos,
& tempus meum ut nihil *eſt* coram te: [15] pro-
fectò omnimoda vanitas omnis homo *eſt*, [16]
*quantumvis* conſtitutus maximè.
7 Profectò [17] per imaginem præterit vir,
profectò *in* vanum [18] perſtrepunt: congregat
*quiſpiam*, ſed neſcit quis recepturus ſit ea.
8 [19] Sed quid jam exſpecto Domine? ſpes
mea in te eſt.
9 [20] Ab omnibus defectionibus meis eripe
me, *d* probro [21] ſtultis ne exponas me.
10 [22] Obmuteſco, non aperio os meum:
quia tu feciſti.
11 [23] Remove à me plagam tuam, [24] à con-
flictu manus tuæ ego deficio.
12 [25] Si reprehenſionibus [26] pro iniquitate
caſtigares quempiam, [27] diſſolveres ſicut tine-
am *e* quod ineſt ei deſiderabile: profectò [28]
vanitas *eſt* omnis homo maximè.
13 [29] Audi orationem meam, Jehova, &
clamorem meum; aurẽ adverte ad lacrymas
meas, ne ſurdum agas: [30] quia peregrinus ſum
coram te, inquilinus ut omnes majores mei.

[1] i. genti Jeduthunis & illius claſſi: vide 1. Chron. 25.3.
[2] Pſalmus eſt ὑπομνηματικὸς, ut præcedens, generis διδακτικοῦ, cujus partes ſunt duæ, una eſt narratio loco exordii, à verſ.2. ad verſ.5. altera precatio, ad finem uſque. Videtur autẽ hic pſalmus ex cõtextu & argumento eo tempore ſcriptus eſſe, quo David in ſummas anguſtias conjuratione Abſchalomi conjectus eſt.
[3] narratio continens primùm explicationem animi & conſilii ſui, verſ.2. deinde vitæ ſuæ cum propoſito anteà confirmatæ, verſ.3. poſtremò prætermiſſionem & aberrationem à propoſito præ gravitate mali, verſ.4.
[4] i. vitam totam.
[5] metaphora à jumentis ferocioribus.
[6] quotieſcumque Deo videbitur improborũ operâ me exercere.
[a] Heb. taciturnitate.
[7] i. ne bonæ quidem & juſtæ defenſionis meæ recordabar apud illos: ſed miſſa faciebam omnia & patienter perferebam; vide exemplum 2 Schem.16.5. & ſeq. [8] i. mea calamitas ingraveſcebat novis accedentibus malis. [9] i. quum me ſenſi obrui malorum magnitudine; quorum cauſa animus meus cum graviſſimo æſtu conflictatus eſt, & vehementiſſimè perturbatus; prout demonſtravit quum Tziba adveniens herum Mephiboſchetum falsò accuſavit appetiti regni 2. Schem.16.1.
[b] Heb. corde meo in medio mei. [10] vitæ præſentis tædio. [11] Petitionis quæ ſequent. verſ. cõtinetur partes ſunt duæ: una, immodeſtia ex animi perturbatione naſcens, qua exoptat mortem præſentem, trib. verſ. altera, correctio; qua veluti reſipiſcens ſe committit Deo, inde à verſ.8. ad finem uſque.
[12] i. moriar: periphraſis mortis pathetica, ad tædium vitæ oſtendendum.
[13] Exegeſis argumenti, quod ſeq verſ. exponitur.
[c] Heb. palmorum. [14] i. non longiores quàm ſit hominis palmus: hyperbolica metaphora, quam ſequentia verba per gradationem explicant. Eſt autem hic prior locus exegeſeos à quantitate vitæ, poſterior locus à qualitate & conſequentibus ejus, traditur ſequente ℣. [15] ἐπιφώνημα generalem vitæ noſtræ conſtitutionem explicans, ab exemplo Davidis.
[16] i. firmus & fixus in hac vita: prout David ſuperatis undique hoſtibus in celebri & potente regno eſſe videbatur, quum orta eſt iſta conjuratio. vide in Pſa. 3.3. [17] i. ſpecies eſt evanida; vide 1. Cor.7.31. & infr.73.20. [18] homines ſtudio rerum hujus vitæ traducti, q.d. laboravi, cucurri, & ſudavi fruſtrà, & regnum opeſque tantas comparavi: ſic expoſtulat, quia Abſchalomum videbat furere, & Mephiboſchetum credebat conaturum: ac proinde incertus erat humanitus utrum ſucceſſorem eſſet habiturus, an alium quemquam.
[19] altera pars petitionis, ad quam tranſitur correctione. q. d. hei mihi, quid dico? quid mortem exopto? tempus eſt, ut animum meum avocem ab iſtis carnalibus cogitationibus, & me per fidem & ſpem veram committam Domino: hinc ſequitur alter petitionis locus à verſ.9 ad finem.
[20] petitio reſipiſcentis prophetæ, duo membra continens: unum eſt deprecatio, de liberatione à peccatis & eorum pœnis, uſque ad verſ.13. alterum de impetranda gratia & inſtauratione ſui, tribus reliquis.
[d] Hebr. probrum ſtulti ne ponas.
[21] vide pſal.14.1. [22] i. agnoſco te juſtum auctorẽ hujus caſtigationis meæ, & judiciis tuis acquieſco: confeſſio. [23] deprecatio optimè ſubjecta confeſſioni, qua copioſiùs exponitur quod ſup. petierat verſ.9.
[24] αἰτηλογία deprecationis ab imbecillitate ſua.
[25] amplificatio αἰτηλογίας à communi hominum ſorte, quorum nullus ſi cum gravitate judicii divini ſe ipſum comparabit, eam firmitatem habet qua perferre poſſit; ſed contrà eſt inaniſſimus: vide de hoc argumento in Ijobo multa.
[26] i. prout peccato fuerit meritus.
[27] quæ ſolo tactu teritur, ut Ijobi 4.19. [e] Heb. deſiderabile ejus. 28 ἐπιφώνημα, ut ſupr. verſ.6. ſed diverſo argumento: hic enim oſtendit pſaltes non poſſe ab homine (adeò vanus eſt) unicum Dei judicium tolerari.
29 ſecundum membrum petitionis, ut obſervatum eſt ſup. in verſ.9.
30 i. quandoquidem (prout eſt ſors communis omnium mortalium) non poſſum diu in præſente vita cõſiſtere, & peregrinari à te: ac proinde tibi miſericordiam exercendi erga miſerum peregrinum oblata eſt occaſio: ſic 1. Chr.29.15. & pſ.119,18 ſic accipiendum eſſe oſtendit finis verſ. ſequentis.

[31] graviùs & diutius affligendo. [32] i. antequam moriar, in vitam hanc nunquam reverſurus: ſic Ijobi 10. 20. & ſeq.

14 [31] Deſiſte à me, ut recreem me; [32] quum
nondum abeo, ut non ampliùs *ſim*.

## Plalmus XL.

*David ab anteacta experiẽtia privata & publica, à federe gratuito Dei, & à ſtudioſo obſequio juſtitiáque Mediatoris Chriſti ſeipſum in fide confirmans, gratiam & liberationem à Deo petit, improborum ruinam, bonorúmq; conſolationem ad gloriam Dei.*

1 Magiſtro ſymphoniæ, Davidis [1] pſalmus.
2 [2] *a* Conſtanter exſpectavi Jehovam, qui inclinans ad me audivit vociferationem meam:
3 Et educens me *b* [3] è lacu tumultuoſo, è luto cœnoſo; [4] ſtatuit ſuper petram pedes meos, [5] firmavit greſſus meos:
4 Denique indidit ori meo [6] canticum novum, laudationem [7] Deo noſtro: videntes multi reverebuntur, & confident in Jehova, *dicentes*,
5 [8] Beatus *eſt* vir ille, qui ponit *c* in Jehova fiduciam ſuam; neq; reſpicit ad ſuperbos aut declinantes *ad* mendacium.
6 [9] Tu multa præſtas [10] Jehova, Deus mi, mirabilia tua & cogitationes tuas erga nos: *d* nemo recenſendis *iis* par tibi, *ſi* indicabo & eloquar, numeroſiora ſunt *e* quàm ut enarremus.
7 [11] Sacrificio, *inquis* & munere non delectatus es, [12] aures perfodiſti mihi: holocauſtum & *f* oblationem pro peccato non expetiviſti.
8 [13] Tum dixi, ecce venio: [14] in volumine libri ſcriptum eſt de me:
9 [15] Facere voluntatem tuam, Deus mi, delector: & lex tua *eſt* [16] *g* in viſceribus meis.
10 [17] Prædico juſtitiam in congregatione multa: ecce labia mea non cohibeo; Jehova, tu noſti.
11 Juſtitiam tuam nõ tego *h* in animo meo; fidem tuam & ſalutem tuam dico: non celo benignitatem tuam & veritatem tuam congregationi multæ.

1 Pſalmus eſt διδακτικὸς, conſtās ex duabus partibus: una eſt propoſitio argumentorum ex quibus in fide confirmatur ad invocandum Deum, uſque ad ÿ. 12. altera petitio liberationis & ſalutis, ad finem uſque. 2 propoſitio argumẽtationum fidem confirmãtium triplex hoc loco ponitur ante petitionem: primùm enim ponuntur magnifica creatoris & gubernatoris opera: tum ſingularia erga Davidem, tribus verſibus: tum publica erga omnes pios, verſ. 5. & 6. Deinde proponitur ſingulare beneficium redemtoris Chriſti, & fedus Dei nobiſcum in Chriſto redemtore noſtro, ÿ. 7. 8. & 9. Poſtremo proponitur obſequium fidei, quo animi piorum velut ſigillo cõfirmantur de federe ad ipſos pertinente, inde uſque ad verſ. 12.

a Hebr. exſpectãdo exſpectavi. b Heb. è lacu tumultus, & è luto cœni. 3 procellis & fluctibus vehementiſſimarum calamitatum; quæ metaphoricè cum procelloſo & profundo lacu, ac tenace luto comparantur.
4 i. poſuit me loco firmiſſimo, ut qui è profundo educti rupem conſcendunt in litore, tuti ab omnibus procellis. 5 i. me ex incerto & paluſtri ſolo eductum in firmo collocavit: duplex membrorum antitheſis.
6 vide ſup. 33. 3. ſunt autem hoc verſu adjuncta duo illius liberationis, quam conſequebatur David: nimirum laus Dei, & eccleſiæ ædificatio: ſic ad alteram partem hujus propoſitionis tranſitio eſt. 7 i. Chriſto, quam Deus Pater in Chriſto exhibuit nobis canticum illud & laudationis argumentum, quod Propheta canit verſ. 5. ſequent. 8 hoc canticum Eccleſiæ laudantis Chriſtum à communibus & ſingularibus Dei beneficiis erga bonos; quorum indicia ponuntur tria, fides, humilitas, & veritas. c Heb. Jehovam fiduciam ſuam.
9 Apoſtrophe ad Chriſtum, oſtendens quàm beati ſint qui fiduciam ſuam in ipſo collocant, primùm à communibus ipſius gratia & beneficiis, hoc verſu: ſecundo verò à ſingulari ipſius gratia & beneficio, quod in nos contulit per myſterium redemtionis noſtræ. 10 Chriſto, cujus laudationẽ in ore ſanctorum inſtituit Deus Pater per Spiritum ſup. verſ. 4. d Heb. non eſt recenſere.
e Heb. præ enarrando. 11 Hæc prophetica eſt hypotypoſis Chriſti, qui tamquam Propheta noſter & Dei Patris ſervus in myſterio illo redemtionis noſtræ exponit voluntatẽm ejus: tamquam Sacerdos ſe ipſum Deo & Patri ſiſtit ſacrificium; & tamquam Rex perficit in nobis voluntatem Dei: ut his tribus verſ. exponitur. Quamobrem ut verba eſſe hæc Chriſti demonſtremus quæ enunciant pii μιμητικῶς, ad laudem ejus, viſum eſt interjicere, verbum, *inquis*. De ſingulari autem horum verborum argumento plura habentur Jeſch. 1. Jirm. 7. & alibi paſſim. 12 i. me ſervum tuum acceptum habens in perpetuum, ad obedientiam comparaſti atque obſignaſti; ut olim ſervi auris fibula perforabatur ad januam heri ſui: Exod. 21. 6. & ſeq. Hæc autem aliter quidem redduntur ab Apoſtolo Heb. 10. 5. nempe quòd metalepticè ex conſequentibus colligeret antecedentia: non enim fuiſſet aurem Chriſto pertuſurus Pater, ſervumque accepturus ipſum, niſi aptaſſet prius ipſi carnem in unitate perſonæ, ſecundùm quam ſub lege factus eſt. Sed omnia ad ſententiam eamdem pertinent. f Hebr. peccatum, ut Lev. 4. 3.
13 quum ſervum tuum effeciſti me, & aures perfodiſti mihi.
14 i. in lege, in qua ſervis ex federe acceptis præſcribitur ut ſerviant in ſeculum: Exod. 21. 6. 15 i. tibi obſequi & morem gerere ad mortem uſque; & quidem mortem crucis, Philip. 2. 8. cujus fide ſanctificantur juſti. 16 i. in animo: metonymia. g Heb in medio viſcerum meorum. 17 tertius argumentationum locus, ab obſequio fidei & profeſſione ſancta, quæ appellatione nominis divini religioſa confirmatur. h Heb. in medio cordis mei.

12 [18] Tu Jehova, ne cohibeas miſerationes tuas à me: benignitas tua & veritas tua jugiter cuſtodiant me.
13 Nam circumdantia invadunt me mala *i* innumerabilia: aſſequuntur me [19] iniquitates meæ, adeò ut nequeam diſpicere, numeroſiores ſunt capillis capitis mei; *k* animus etiam meus derelinquit me.
14 [20] Velis, Jehova, eripere me; Jehova, ad auxilium meum feſtina.
15 [21] Pudefiant & rubore perfundantur pariter quærentes animam meam ad perdendũ eam: agantur retrorſum & ignominia afficiantur, qui delectantur malo meo.
16 Deſolentur pro mercede [22] pudoris ſui; [23] qui dicunt de me, euge, euge.
17 Gaudeant & lætentur in te omnes quærentes te; *ac* dicant jugiter, magnificetur Jehova, amantes ſalutis tuæ.
18 [24] Sum quidem pauper & egens, ſed Dominus cogitat de me: auxilium meum & liberator meus es; Deus mi, ne tardes.

18 altera pars Pſalmi, petitio illata ex ſuperioribus argumentorum locis: qua eam ipſam miſericordiam, benignitatem, & veritatẽ implorat David, quam ſuperioribus verſ. prædicaverat. Eſt autem hoc verſ. prolepſis ſive propoſitio generalis optati, & illius ἀπολογία, ſequẽte verſu; quę duo minutatim ad finem uſque exponuntur. i Heb. uſque ad nõ eſſe numerum. 19 i. iniquitatis pœnæ: ut Gen. 4. 13. k Heb. cor. 20 explicatio poſtulati quo uſus eſt verſ. 12. continens tria petitionis capita, unum pro liberatione ſupplicis, hoc verſ. ſecundum, pro confuſione improborum, duobus ſequentibus: tertium, pro bonorum exhilaratione: quæ omnia ſpectant ad ſummum illum finem, ut magnificetur Deus, verſ. 17. 21 vide ſup. Pſal. 28. 4. & 35. 4. 22 i. vitæ pudendæ ſuæ. 23 i. lætantur de malo meo. 24 Concluſio petitionis, à miſera conditione ſua, & officio Dei.

## Psalmus XLI.

*David in rebus propè deſperatis beatitatem eorum prædicat, qui miſericordiam de afflictis capiunt: ſe in afflictione confugientem ad Deum iniquiſſimè a multis tractatum expoſtulat, & liberationem à Deo petit pro defungenda ſua adminiſtratione, confirmanda fide, & celebrando Deo.*

1 Magiſtro ſymphoniæ, [1] Pſalmus Davidis.
2 [2] Beatus qui attendit ad attenuatum; *dicens*, tempore mali liberabit eum Jehova:
3 Jehova ſervabit eum & vitæ reſtituet eũ, beatus reddetur in terra; item, ne tradas eum *a* deſiderio inimicorum ejus.
4 Jehova [3] ſuſtentet eum, *decumbentem* in [4] ſponda languoris: [5] totum cubatum ejus [6] ex morbo ejus mutaveris.
5 [7] Me dicente, Jehova, gratiam fac mihi, [8] ſana animam meam; quia peccavi tibi:
6 [9] Inimici mei dicebant malum de me, quando morietur, & perierit nomen ejus.
7 [10] Quòd ſi quis veniebat ut viſeret, mendacium loquebatur *b* animus ejus, [11] congregabat iniquitatem ſibi: egreſſus foras, eloquebatur.
8 Simul contra me muſſitabant omnes oſores mei; contra me cogitabãt quod *eſſet* malo mihi, dicentes:
9 Res nequiſſima tenaciter inhæret ei; & quod decumbit, *c* non amplius exſurget.
10 Etiam *d* [12] vir colens pacem mecum, in

1 Pſalmus eſt generis mixti διδακτικὸς & ἱκετευτικὸς conſtans ex partibus tribus: exordio, à verſ. 1. ad 5. propoſitione ſive narratione, à ÿ. 5. ad 11. & petitione, reliquis verſibus. Eſt autem hic Pſalmus non incommodè ex verborum proprietate ad tempus alicujus invaletudinis referri poteſt, de qua nos aliquid in ſcriptura legere non meminimus: videtur tamen potiùs allegoricè David deſcripſiſſe ægritudinem animi ſui, qua affectus eſt, quum adventaret Abſchalom ipſum de regno depulſurus. 2 Exordium ἐκ γνώμης, i. à ſententia gravi: qua oſtendit Pſaltes beatos eſſe miſericordes, & eorum officium duobus modis explicat: prior eſt miſericors prædicatio promiſſionis divinæ erga afflictos, verſ. 2. & parte verſus tertii: poſterior autem, oratio pro illis coram Deo, reliqua parte ver. 3. & ÿ. 4.
a Heb. animæ, ut Pſal. 27. 12. 3 i. fulciat & confirmet. 4 i. qui rebus adverſis proſtratus jacet. 5 apoſtrophe ad Deum, qua utuntur emphaticè boni ad virum attenuatum attendentes. 6 i. ægritudine animi, prout David exemplo ſuo docet, ſequente verſ. 7 propoſitio, ſive narratio tum ejus quod faciebat David in calamitatibus, hoc verſu, tum eorum quæ adverſarii contra eum faciebant, verſibus ſequentibus. 8 i. libera me ex hac ægritudine, & peccato meo cauſa ægritudinis. 9 altera pars narrationis, de inimicorum optatis, factis ſimulatis, adverſis conſiliis, præjudiciis, atque transfugiis, & rebellionibus, uſque ad verſ. 11. 10 vide ſup. 35. 15. b Heb cor. 11 i. cogitabat cum animo ſuo. & fabricabatur. c Heb. non addit exſurgere.
d Heb. vir pacis meæ.
12 i. mihi intimus & conjunctiſſimus, nimirum (ut veriſimile eſt) Achitophel: ſic Pſalm. 55. 14. & ſequentibus. Hæc autem typice in Davide (qui figura fuit Chriſti) geſta, propriè accommodantur Judæ Joan. 13. 18.

quo

quo confidebam, comedens cibum meum; [13]
ſuſtulit adverſum me calcem.
11 [14] At tu Jehova, gratiam fac mihi, & ex-
ſuſcita me; [15] ut rependam illis:

i.conatus eſt me proculcare & pedibus tere-re ut calcitrones & refractarii e-qui calcibus ſo-lent petere : me-taphora.vide 2.Schem.16.& 17. [14] petitio,tertia pars pſalmi:cujus ſumma eſt, ut inſtauretur David per gratiam Dei, quæ eſt unica efficiens cauſa inſtaurationis;fines verò ſequentibus verbis exponuntur. [15] i.ut omnes de quibus antè loquutus ſum, pro juſtitia tua (cujus me conſtituiſti adminiſtrum) remunerari poſſim,tuendo populum tuum & iniquos coërcendo:primus petitionis finis.

12 [16] Hac re expertus fuero [17] quòd dele-
ctaris me, [18] quum non clanget inimicus meus
de me;
13 [19] Sed me, me *inquam* ſuſtentabis in inte-
gritate mea, & reſtitues me corã te in ſeculũ.
14 [20] Benedictus Jehova Deus Jiſraelis, à ſe-
culo uſque in ſeculum; amen, iterum amen.

[16] ſecundus petitionis finis. à conſervatione ſui ipſius. [17] nam turpi illa ejectione Davidis è regno, in dubium vocatur ipſius auctoritas & adminiſtratio; ut ipſe David agnoſcit 2.Schem.15.25.& 26. [18] non triuphabit victor;ſynecdoche. 19 tertius finis,prædicatio gloriȩ & beneficentiæ Dei. 20 cõcluſio primi Pſalmorũ libri.

# SECVNDVS LIBER PSALMORVM.

## Psalmus XLII.

*David exſulans; ardentiſſimum ſtudium obſervandi cultus Dei in eccleſia explicat: ſe conſolatur ſpe: de perturbationibus animi ſui, miſeriarum quas perferebat gravitate, & adverſariorum blaſphemiis conqueritur; animúmque ſuum ad ſpem & fidem in Deum excitat.*

1 MAGISTRO ſymphoniæ in po-
ſteris Korachi, [2] *ode* didaſcalica.
2 [3] Sicut cervus glocitat *aſpi-
rans* ad alveos aquarum, ſic a-
nima mea [4] glocitat *aſpirans*
ad te, Deus:
3 [5] Sitiens *eſt* anima mea Dei, *Dei* fortis vi-
ventis *dicens*: quando accedam, ut appaream
*in* conſpectu Dei?
4 [6] Sunt mihi lacrymæ meæ cibo interdiu
& noctu; *a* dum dicitur mihi quotidie; ubi *eſt*
Deus tuus?
5 Hæc recordans [7] effundo in me animam
meam: me [8] fuiſſe tranſiturum in turba, greſ-
ſurum *cum* illis ad domum uſque Dei cum vo-
ce cantus & laudationis, multitudine feriante.
6 [9] Quid dejicis te, anima mea, & perſtre-
pis in me? ſpera in Deo; nam adhuc celebra-
turus ſum [10] eum, *&* *b* ſalutem omnimodam
faciei ejus.
7 [11] Deus mi, in me anima mea dejicit ſe; [12]
propterea recordor tui [13] è terra Jardenis, &
Chermonitarum, è monte exiguo.
8 [14] Abyſſus abyſſum inclamat ad ſonum [15]
emiſſariorum tuorum, omnes irrumpentes
fluctus tui & undæ tuæ ſuper me tranſeunt;
9 [16] Interdiu *tamen* amandaturus eſt Jeho-
va benignitatem ſuam, & noctu canticum
ſuum *c* ad me; oratione mea ad *Deum* fortem
vitæ meæ *perſtabo:*
10 [17] Dicam *Deo* forti [18] petræ meæ, quare
oblivisceris mei? quare atratus incedo pro-
pter oppreſſionem inimici?
11 [19] Sica invadunt oſſa mea, probro affi-
cientes me hoſtes mei; dum dicunt mihi quo-
tidie, ubi *eſt* Deus tuus?
12 [20] Quid dejicis te, anima mea, & quid
perſtrepis in me? ſpera in Deo; nam adhuc ce-
lebraturus ſum eum, omnimodam [21] ſalutem
faciei meæ, & Deum meum.

1 i. Hemani filio Joelis filii Schemu. 1.Chr. 6.33. nam hujus fuit tertia claſſis Muſicorum in ſacro miniſterio, 1.Chr.25.5. [2] ut ſup.32.1. hujus odes, qua David ſuo exẽplo certamen piorum docet, partes ſunt duæ; una, qua expoſtulat de exſulio ſuo & abſentia ab Eccleſia Dei; uſque ad verſ.7. altera, qua expoſtulat de calamitatibus quæ ſibi tantopere afflicto ab inimicis importantur: utraque verò concluſionem habet amœbæam. [3] propoſitio univerſalis ſtudii quo ad Deum ferebatur David, illuſtrata per cõparationem cervi; qui tum omni tempore confugere ad aquas dicitur, quum anhelus eſt; tum maximè ineunte Autumno, quo tempore propter æſtum eſt ſitis impatientiſſimus: vide Ariſtot.lib.6. de hiſtoria animaliũ cap.29.

4 i.exclamans accurrit: metaphorica accommodatio ſimilitudinis. [5] prior propoſitio continens partes duas, querimoniam uſque ad verſ.6. & conſolationem adverſus querimoniam, verſ.6 querimoniæ autem ſumma eſt. prophetam ægrè ferre quod non poſſit Deum accedere ex præſcripto legis, Exod. 23. 17. loci amplificationis duo, unus à conviciis & probris impiorum, verſ 4. alter, à præteritorum conventuum recordatione. verſ. 5 [6] i tantùm paſcor lacrymis, ut pſalm. 80. 6. [a] Heb. *in dicendo*. [7] i. liqueſio & contabeſco : ut Ijobi 30. 16. [8] puta niſi me tyrannis inſana iſtorum averteret.

[9] concluſio propoſitionis præcedentis conſolatoria ad animum; cujus partes ſunt reprehenſio ſive correctio fluctuantis animæ, & conſolatio.

[10] i.tum celebrabo ipſum, tum ſalutaria ipſius erga nos beneficia prædicabo: ſic gloriatur David in fide, repente emergens ex ſuperiore certamine. [b] *Heb. ſalutes faciei ejus, ut infr, verſ.12.* 11 altera pars pſalmi. ut obſervatum eſt ſup. in verſ 1. Expoſtulat autem David cum Deo de infirmitate animæ ſuæ, tribus argumentis: primum eſt (ut ſuprà) ab exſulio ſuo, hoc verſ. ſecundum, à miſeriis novis indies ad exſulium ipſius accedentibus, ſequentibus duobus verſ.3. à contumelioſis in Deum blaſphemiis, verſ.10. & 11. quibus ſingulis ſuæ conſolationes accommodatè proponuntur.

12 quòd neque uſquam alibi, neque in meipſo anima mea poteſt conquieſcere: primus conſolationis locus. 13 i.ubicumque locorum exſulare cogar in terminis Jiſraelitarum, qui hîc ex ordine numerantur; ab oriente, ubi erat Jarden: ab Aquilone, qua definitur Chermone monte & Libano. & à meridie, quà montana Judæam terminant. Nam hæc cum Libano monte & Chermone comparata, in exiguis tantùm collibus numerantur. 14 metaphorica afflictionum deſcriptio ab exundante nimborum & procellarum vi. 15 i.canalium, tuborum, & ſalientium, è quibus aquæ deorſum ruunt præcipites.

16 alter conſolationis locus ſecundo calamitatum generi reſpondens, à Dei fide in præſtandis promiſſis, & ab orationibus noſtris.

[c] *Heb. mecum.*

17 Summa orationis quam profeſſus eſt pſaltes habiturum ſe coram Deo.

18 tuto perfugio meo, ut ſup.40.3.

19 tertius locus querimoniæ, ut obſervatum eſt ſupr. in ℣.7. q. d. blaſphemias in Deum evomunt, & perinde faciunt ac ſi me gladiis confoderent: adeò indignè blaſphemias perfero. [20] Concluſio, ut ſup. verſ.6.

21 i. qui coràm & te ipſa mihi auctor eſt omnis ſalutis ex gratuito federe, quo ſe fore mihi Deum confirmavit: ut 2.Schem.7.29.

## Psalmus XLIII.

*David ab adverſariis preſſus vi & fraude, à Deo petit liberationem ex federe ad glorificandum eum, & in ſpe confirmat animum ſuum.*

1 VIndica me Deus, & *a* ſuſcipe conten-
tionem meam; à gente [2] non benigna, à
viro *b* doloſo & iniquo libera me.
2 [3] Nam tu *es* Deus roboris mei, quare re-
jiceres me? quare atratus indeſinenter irem
propter oppreſſionem inimici?
3 [4] Mitte lucem tuam & veritatem tuam;
ipſæ deducant me: adducant me in montem
ſanctitatis tuæ, [6] & in tabernacula tua:
4 Ut accedens ad altare Dei, ad *Deum* for-
tem *c* auctorem lætiſſimæ exſultationis meæ,
celebrem te cithara, ô Deus, Deus mi.
5 [7] Quid dejicis te, anima mea; & quid
perſtrepis in me? ſpera in Deo; nam adhuc ce-
lebraturus ſum eum, *d* omnimodam ſalutem
faciei meæ, & Deum meum.

1 Ode eſt ejuſdem generis & argumenti cum ſuperiore, ac velut illius epitome: continens petitionem ℣.1. exornationem petitionis, uſque ad verſ.5 & concluſioné, verſ.5. [a] *Heb. contendo contentionem meam.* [2] i. maligna; quòd de adminiſtris Schaulis dici credibile eſt, ut ſequentia verba de Schaule. [b] *Heb. doli & iniquitatis.* [3] exornatio petitionis primùm à federe officióque Dei; deinde à genere petitionis, quòd nihil petat alienum à federe, hoc & ſeq. verſ. poſtremò à fine, ut omnis gloria tribuatur Deo; verſ.4. [4] i. federis tui documenta exhibe, diſpellens tenebras miſeriæ meæ, ſervans fidem, & reducens me in eccleſiam tuam. [5] i.ubi arca reſidet, ſymbolum præſentiæ tuæ ſanctiſſimæ: erat autem tunc temporis Kirjath Jeharimis, ex quo à Peliſchthæis remiſſa fuerat, 1.Schem.6.21. [6] i.ubicunque locorum tentorium tibi fuerit fixum: his enim tẽporibus duo fuerunt loca in quibus ordinarius Dei cultus conſervabatur, donec templum à Schelomone exſtructum eſt, 2.Chr.1. unus locus fuit tabernaculo legali quod exſtruxerat Moſche, primùm Nobi, deinde Gibhone, 1.Schem.21. & 1.Reg.3. alter verò areæ in opido Kirjath Jeharimorum, donec à Davide deportata eſt in civitatem ſuam, 1.Chr.15.& 16 Quamobrem hîc tabernaculorum plurali numero mentionem facit. c *Hebr. lætitiam exſultationis meæ.* 7 Concluſio hortatoria, ut ſup.42.12. [d] *Heb. ſalutes faciei meæ: ut ſup.42.6.*

## Psalmus XLIV.

*Eccleſia majorum documentis, federe Dei; & ſtudio quo tenetur Deus amplificandæ gloriæ ſuæ confirmata, graviſſimè expoſtulat cum Deo de ſuis calamitatib⁹, integritate animi & vitæ ſuæ freta probat ſe eas perpeti pro nomine Dei: & poſtremò opem illius implorat pro ſalute ſua.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ in poſteris Kora-
chi: [1] *ode* didaſcalica.
2 [2] O Deus, auribus noſtris audivimus; ma-

1 i. tradita eccleſiæ ad docendum eam de afflictionibus & legitimo uſu earum, quum immittuntur à Deo: nam videtur hæc ode aut ſcripta fuiſſe à Davide recordatione eorum temporum quibus Jiſraelitæ à Peliſchthæis vexabantur inde à diebus Schimſchonis ad Davidem uſque, ut eccleſia ab antecedente exemplo præcaveret ſibi, & ad afflictiones ſeſe compararet: aut ab aliquo viro Dei temporibus captivitatis Babylonicæ, ut hac precationis formula uterentur pii. Sed mihi quidem omnino probatur prius. Eſt autem ode ad docendum quidem tradita, ut oſtendit inſcriptio: ſed tamen genere [illegible], conſtans ex tribus partibus, exordio, à verſ.2 ad 10. propoſitione, à verſ.10. ad 24. & concluſione petitoria. [2] Exordii, quo utuntur pii ad conciliandam ſibi miſericordiam, loci ſunt tres: unus, ab anteactis Dei operibus quæ pii ſe auditu percepiſſe profitentur per fidem, uſque ad ℣.5. alter, à federe ſempiterno & officio Dei, cujus conſcios & participes ſe prædicant ſancti, à ℣.5. ad 8; 3 à gloria Dei, verſ.8.& 9.

jores noſtri narraverũt nobis *quod* opus ope-
ratus ſis temporibus eorum, temporibus *a*
priſcis:
3 Te manu tua gentes expuliſſe, & [3] plan-
taſſe ipſos: malo affeciſſe nationes, & [4] propa-
gaſſe ipſos:
4 [5] Non enim gladio ſuo hæreditario jure
poſſederunt terram, & brachium eorum non
dedit ſalutem eis: ſed dextera tua, brachiũque
tuum, & [6] lux faciei tuæ; quia eras benevolus
eis.
5 [7] Tu ipſe *es* rex meus, ô Deus: [8] præcipe *b*
omnimodam ſalutem Jahakobi.
6 Per te [9] hoſtes noſtros cornu feriemus:
per nomen tuum conculcabimus inſurgentes
in nos.
7 Nam arcui meo non confido, aut gladius
meus non eſt ſervaturus me.
8 [10] Quum ſervaveris nos ab hoſtibus no-
ſtris, & oſores noſtros pudefeceris;
9 Deum laudantes toto die: nomen tuum
in ſeculum celebrabimus [11] ſummè.
10 [12] Atqui rejeciſti & ignominia affeciſti
nos, [13] quod non proceſſeris cum exercitibus
noſtris.
11 Feciſti ut retrò cederemus ab hoſte, & o-
ſores noſtri diripiunt ſibi:
12 Tradidiſti nos ut pecudes *c* [14] cibarias, &
in gentes [15] ſparſiſti nos:
13 [16] Vendidiſti populum tuum *d* pro re vi-
li, & non auxiſti *rem* pretiis eorum.
14 Expoſuiſti nos probro vicinis noſtris,
ſannæ & ludificationi circumſtantibus nos.
15 Poſuiſti nos parabolæ argumentum in
gentibus, [17] agitationis capitis in nationibus.
16 Toto die ignominia mea obverſatur
mihi, & pudor faciei meæ obtegit me;
17 [18] Propter vocem probro afficientis, &
blaſphemi; propter inimicum & ultorem ſui.
18 [19] Totum hoc evenit nobis; nec tamen
obliviſcimur tui, neque mendaciter agimus
contra fedus tuum.
19 [20] Non agitur retrorſum *e* animus no-
ſter, aut declinat greſſus noſter à ſemita tua:
20 [21] Quamvis contriveris nos *conjectos* in
locum cetorũ, & obtexeris nos lethali umbra.
21 [22] Si obliti fuiſſemus nominis Dei noſtri;
aut expandiſſemus manus noſtras [23] ad *Deum*
fortem extraneum:
22 Nónne Deus perveſtigaſſet iſtud? quum
ipſe cognoſcat abſcondita animi.
23 [24] Sed propter te occidimur quotidie;
æſtimamur ut pecudes *f* mactandæ.
24 [25] Evigila, quare dormires Domine? ex-
pergiſcere, ne rejicias in æternum.
25 Quare faciem tuam abſcõderes; [26] obli-
viſcereris afflictionis noſtræ; & oppreſſionis
noſtræ?
26 [27] Nam dejecta eſt in pulverem vita no-
ſtra, adhæret terræ venter noſter.
27 Surge [28] ad auxilium nobis, & redime
nos propter benignitatem tuam.

a Heb. antiquitatis. [3] vide Exod. 15. 17. [4] tum gentis incremento, tum ampliatione ſedis: metaphora, ut Pſal. 80. 9. [5] ἀπολογία ſive cõfirmatio propoſitionis præcedentis, per cõtentionem: qua docet pſaltes nõ ipſorum, ſed Dei virtutem omnia præſtitiſſe, ex mera ipſius benevolentia: vide Exod. 15. 13. & ſeq. item 23. 27. & Jehoſch. 24. 12. [6] illuſtris præſentia tua, qua præiviſti & præluxiſti eis: hypallage. [7] alter locus à ſedere & officio Dei, ut dictum eſt verſ. 2. [8] idem quod à majoribus noſtris audivimus: nimirum ut nos confirmemur, & hoſtes infirmetur, q. d. ſtat per te, qui dictum ac factum potes eadẽ opera exhibere ad ſolum mandatũ tuum. b Heb. ſalutes ut ſup. 42. 6. [9] ſi tantum præciperes: metaphora, à feris pugnantibus, ut Deut. 33. 17. [12] tertius locus à prædicatione gloriæ Dei in Eccleſia ejus. [11] vide in Pſal. 3. 3. [12] q. d. tantùm abeſt ut res à majoribus auditas nobis in præſentia præſtes, te Deum noſtrum oſtendas, & gloriæ tuæ conſulas, ut contra jacêre omnia videantur. Altera pars Pſalmi, propoſitio: cujus partes ſunt duæ. expoſtulatio malorum acceptorum & perpeſſionum eccleſiæ, uſque ad verſ. 17. & profeſſio fidei animíque ſui in Deum integri per medias calamitates: à verſ. 18. ad 24. [13] i. non adfueris & adjuveris nos: quod ſequentium verſuum narratione confirmatur. c Heb. cibi. 14 i. quæ mox mactandæ & cibo futuræ ſunt, ut inf. 23. [15] vide 1. Schem. 14. 22.
16 i gratis alienaſti nos ſine emolumento tuo, humanitus dictum à re forenſi.
d *Heb pro non opibus.* 17 vide 2. Reg. 19. 20 18 i. duobus modis excruciamur, primum propter gloriam Dei, quam impii protervè blaſphemãt: deinde propter mala noſtra, quibus inhumaniter obruimur. 19 Secunda pars propoſitionis; profeſſio integritatis ſuæ erga Deum in graviſſimis afflictionibus, ut obſervatum eſt in verſ. 10. Sunt autem duo integritatis quam profitentur capita prolepticè expreſſa hoc verſ. ipſos non obliviſci Dei, & non mendaciter agere in fedus illius: quæ utraque infitiatio ſeq. verſib. per ὑστερογον exornatur: deinde affirmatio contraria ex adverſo ſubjicitur verſ. 23. 20 confirmatio poſterioris membri, duobus verſibus ab integritate animi operúmque ſuorum, quæ ſynecdochicè à propheta deſcribuntur. e *Heb. cor noſtrum ſic inf. 22.*
21 i. nos velut in mare profundiſſimum & abyſſum calamitatum demerſeris: metaphora. 22 Confirmatio hypothetica prioris membri prolepſeos qua uſus eſt ÿ. 18. à teſtificatione conſcientiæ ſuæ & juſtitiæ Dei. 23 id eſt, quantumvis fortitudinis nomine apud cultores ſuos commendatum.
24 Confirmatio cauſæ perpeſſionum ſuarum, nimirum martyrium glorioſum pro Chriſto: vide Rom. 8. 36. f *Hebr. mactationis.*
25 concluſio petitoria, qua propheta humanitus implorat opem Dei per gradationem, ut vigilet, exſurgat, opem ferat, & liberet, verſ. ult. quæ petitiones ſuis deprecationibus, interrogationibus, & querelis exornantur.
26 i. non demonſtrares recordari noſtri.

27 i. proximè abſum à morte: hyperbole. 28 i. quantum nobis opus eſt ut ex hiſce calamitatibus liberemur.

## PSALMUS XLV.

*Pſaltes nuptias Chriſti cũ eccleſia celebrat: utrũque elegantiæ, officii, gloriæ, & fructuum ex matrimonio ſpirituali venturorum nomine commendat; & publica laudatione canticum terminat.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ in poſteris Kora-
chi ad [1] hexachorda, [2] didaſcalicum [3]
canticum [4] *a* amicarum.
2 [5] Ebullit *b* animus meus verbum bonum;
dicturus ſum ego poëmata mea de rege; lin-
gua mea & ſtilo, *ut* ſcriba promtus.
3 [6] Multò pulchrior effectus es filiis homi-
num; infuſa eſt gratia labiis tuis; [7] propterea
benedixit tibi Deus in ſeculum.
4 [8] Accinge gladium tuum ſuper femur, [9] ô
robuſtiſſime; [10] *gladium* gloriæ tuæ & decoris
tui:
5 Et decore tuo [11] *c* proſperè equita cum
verbo [12] veritatis, & proloquere [13] juſtitiam: &
[14] ede documenta tui terribilibus *geſtis* dexte-
ræ tuæ.
6 Sagittis tuis [15] acutis, [16] populi ſub te pro-
cident, ex animo *procident* inimici regis.
7 [17] Solium tuum, ô Deus, in ſeculum &
ſempiternum; ſceptrum *d* rectum *eſt* ſceptrum
regni tui.
8 Dilexiſti juſtitiam, & odiſti improbita-
tem; [18] propterea unxit te, *ô* Deus, Deus tuus [19]
oleo gaudii præ [20] conſortibus tuis,
9 [21] Myrrha & ſantalis, *e* caſiaque omnia ve-
ſtimẽta tua; *prodeuntis* è templis *f* eburneis.

1 vox Hebræa varia quidem eſt ſignificatione, ſed origine certa: deducitur enim ab altera voce Hebraica quæ ſignificat ſex, ut docet Kimchi; quamobrem tam de inſtrumẽtis hexachordis, quàm de floribus liliorum dicitur; quia his ſena ſunt folia, & illis chordæ ſenæ. Nos verò ex ambigua voce eam interpretationem elegimus, quæ rebus magis convenit. 2 i traditam eccleſiæ ad docendum & informandum eam de ſacroſancto conjugio Chriſti. 3 i. epithalamiũ, quod paranymphæ cecinerunt Schelomoni, quum filiam Parhonis ducerer. Eſt autem hoc canticum epithalamium, ut diximus, generis laudativi, typicè quidem de Schelomone dictum; ſed propriè ad magnum illud myſterium conjugii quod Chriſtus cum Eccleſia iniit, pertinens: ut pluribus locis oſtenderur. Ejus partes ſunt quatuor; exordium, ÿ. 2. laudatio ſponſi, à verſ. 3. ad 10. laudatio ſponſæ, à verſ. 10. ad 18. & concluſio verſ 18. 4 i. quas amore ſuo ad nuptias invitavit, & ſibi amore conjunxit: vide inf. verſ. 10. a *Heb. dilectarum.* 5 Exordium, ut vocant, floridum: quo pii proponunt ſe animo, ore manibusque omnia effecturos quæ ad celebrandum conjuges & conjugium ſacrum pertinebunt.
b *Hebr. cor meum.* 6 ſecunda pars pſalmi, laudatio ſponſi, quæ tenuiſſima ex parte Schelomoni competit, omnibus verò numeris Chriſto accommodãda eſt. ſunt autem hujus laudationis loci, commendatio elegantiæ, vultus, & ſermonis, hoc verſ. hortatio à potentia magnifica, ad adminiſtrationem regni tribus ſequentibus: & majeſtatis gloriæque ſempiternæ prædicatio, verſ. 8. & 9. quorum omnium origo eſt, à patre, qui filium unxit & dedit ei ſpiritum ſine menſura, Joan. 3. 34. Quamobrem etſi hæc in ſpeciem Chriſto minimè videntur adfuiſſe dum in forma ſervi ambulavit: non dubium eſt tamen quin propria ſint illius: prout docemur Evangelio quędam in ipſo conſummata eſſe, & alia in dies conſummari. 7 nimirum ut omnes elegantia gratiáque ſuperares, ac potius in omnibus auctor eſſes elegantiæ & gratiæ. 8 i. arma tua regia; quæ in Schelomone quidem fuerunt carnalia, in Chriſto verò gladius ſpiritualis verbi procedentis ex ore ipſius, de quo Jeſchah. 11. 4. Heb. 4. 12. & Apoc. 1. 16.
9 epitheton Chriſti, cui omnis poteſtas data eſt in cælo & in terra: & cujus armis omnes munitiones ſubvertimus, ratiocinationes, omnémque ſublimitatem quæ extollitur adverſus cognitionem Dei, &c. 2. Corinth. 10. 4 & ſequ.
10 i. glorioſiſſima arma majeſtatis tuæ hypallage. 11 i. exſequere adminiſtrationem tuam ita inſtructus donis: ideóque regia hæc adminiſtratio ſequentibus verbis exponitur; tum erga bonos, hoc verſ. tum etiam contra improbos, verſu ſequente. metaphora à forma principum terrenorum.
c *Hebr proſperare, equita: ſimile vide* 1. *Schem.* 2. 3. 12 i. veræ religionis & Evangelii, quæ veritas imprimis eſt à vero principe procuranda.
13 i. verbum juſtitiæ Dei qua juſtificas impium. 14 i. commonſtra omnibus & proba adminiſtrationem tuam, quæ tibi apud omnes reverentiam conciliet.
15 i. ad transfigendum commodiſſimè. Hæc autem dicuntur typicè de evangelica adminiſtratione Chriſti; quæ aliis eſt odor vitæ ad vitam, aliis verò mortis ad mortem 2. Corinth. 2. 15. & 16. 16 ut Rom. 5. 6. vide infr. 110. 3.
17 majeſtatis, juſtitiæ, & gloriæ divinæ in Chriſto deſcriptio ex donis & vocatione Dei: nam hæc ad Schelomonem minimè pertinere, tum ipſa verborum ſeries oſtendit, tum Apoſtolus ad Hebræos 1. 8. d *Heb. rectitudine.*
18 i. in hunc finem plenitudinem ſpiritus accepiſti, ut iſta præſtes, & ex plenitudine tua omnes accipiamus gratiam pro gratia, Joan 1. 16. 19 i. unctione ſpiritus, per quem regnum Dei eſt juſtitia, & pax, & gaudium in Chriſto: Rom. 14. 17. hæc typicè de Schelomone dicta & ex parte facta, ut docetur 1. Regum, plenum in Chriſto complementum habent. Oleum autem ſynecdochicè pro unguento accipimus, ut ferè fit in ſcriptura: cujus unguenti deſcriptio attingitur ſeq. verſ.
20 i. Chriſtianis, qui tui & dignitatis tuæ participes fiunt per fidem. 21 i. unguento confecto ex iſtis præſtantiſſimis & odoratiſſimis generibus aromatum.
e *Hebr. caſus.* f *Heb. eboris.*

[22] præ*iis qui* lætificant.
10 [23] Filiæ regum inter [24] *h* charas tuas: col-
locata eſt conjunx ad dexteram tuam cum in-
ſigni auro Ophirio.
11 [25] Audi filia, ac vide, & inclina aurem
tuam: obliviſcereq; populi tui & domus *i* pa-
ternæ tuæ:
12 Et delectabitur rex pulcritudine tua:
cumque ſit dominus tuus; incurva te *habens
honorem* ei.
13 [26] Tunc filiæ Tyri cum munere faciem
tuam precabuntur, divites in populo.
14 Tota honorata filia regis intrò, [27] fundis
aureis veſtita,
15 Cum phrygianis deportatur ad regem;
[28] virgines poſt eam amicæ ejus adducuntur
ad te:
16 Deportantur cum *k* ſumma lætitia & ex-
ſultatione, intrant in palatium regis.
17 [29] Loco parentum tuorum erunt filii
tui: præpones eos [30] principes in tota terra.
18 [31] Memorabo nomen tuum *l* in unaqua-
que ætate; [32] idcircò populi celebrabunt te in
ſeculum & ſempiternum.

22 i. odorationes, & odoratiora veſtimenta tua, quam ſit odor eorum qui comitantur te, & ſe nuptiis tuis adjungentes, prædicant te atque exhilarant. Sunt autem illi Chriſtiani, quibus ait Joannes: amicus ſponſi qui ſtat & audit eum; gaudio gaudet propter vocem ſponſi, Joan. 3. 29.
23 tertia pars Pſalmi pertinẽs ad eccleſiam ſponſam Chriſti; cujus fuit typus filia Parhonis, quę Schelomoni nupſit. ſunt autem tria ſimiliter hujus laudationis capita: primum eſt, commendatio ipſius reginæ & comitatus ejus, hoc verſu. ſecundum, hortatio ad officiũ cõjugale, fidem, obſequium & honorem exhibendum Chriſto, ℣. 11. & 12. tertium, gloriæ adjunctæ & conſequentis prædicatio, cæteris verſibus. 24 i. quas ſola tua charitate complexus, ad nuptias invitaſti, & cooptaſti in comitatum pretioſiſſimum ſponſæ tuæ; ut amicas vocavit ſup. verſ. 1. h Heb. pretioſas. 25 hortatio, ut dictum eſt verſ. præcedente. i Heb. patris tui. 26 tertium laudationis caput, prædicatio gloriæ quam eccleſia in Chriſto perceptura eſt; primùm præſentis, velut in ipſo nuptiarum tempore, uſque ad verſ. 16. deinde eventuræ ex conjugio Chriſti, nimirũm quod plurimos & potentiſſimos liberos ipſi genitura eſt, verſ. 17.
27 i. veſtimentis, quæ fundis ex auro & inſitivis gemmis circumfulgebunt: omnia (ut ſæpè jam diximus) allegorica. 28 apoſtrophe ad ſponſam; qua celebratur glorioſus adventus ſponſæ, & fructus ex ea perventuri ad Chriſtum prænunciantur, ſequente verſ. k Hebr. cum læt. tiis. 29 vide Jeſchah. 49. & 60. q. d. nunquam deſitura eſt, ſed perpetuò manſura generatio tua. 30 i. conſortes cæleſtis regni, & reges in Chriſto, Apoc. 1. 6. Nam hæc non poſſunt de Schelomone accipi; qui unicum filium habuit regem, & quidem lacerati regni.
31 i. ſtatuam monumenta laudis tuæ, quæ ſemper in eccleſia durent: concluſio.
l Heb. in omni ætate & ætate. 32 quia his monumẽtis fuerint informati de gloria nominis tui: ut ſup. 22. 23.

## Psalmus XLVI.

*Pſaltes Dei beneficentiam erga pios; & piorum adverſis rebus fidem in Deum prædicat, ex præſentia & operibus Dei: ideoq; gentes provocat ad cognoſcendum ex operibus Deum: & fiducia prædicationi concludit canticum.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ in poſteris Kora-
chi [1] ad acutam ſymphoniam, *a* [2] canti-
cum.
2 [3] Deus nobis *eſt* receptus & robur; auxi-
lium in anguſtiis *a* præſentiſſimum.
3 Idcircò non timeremus, [4] ſi commutaret
terra *locum*; aut ſi dimoverentur montes *depulſi
b* in ima maria.
4 Fremerent, [5] lutoſæ fierent aquæ *c* cujuſ-
que illorum; commoverentur montes elatio-
ne ejus maximè.
5 [6] Flumen, rivi ejus, lætificant [7] civitatem
Dei; [8] ſanctiſſimum *locum* [9] habitacula excelſi.
6 Deus *eſt* in medio illius, non dimovetur
*illa*; adjuvat illam Deus [10] ab apperente matu-
tino.
7 Frementibus gentibus, moventibus ſe
regnis; edit vocem ſuam, [11] liquefit terra.
8 [12] Jehova exercituum nobiſcum *eſt*, locus
editus *eſt* nobis Deus Jahakobi maximè.
9 [13] *d* Agite, videte opera Jehovæ, [14] ut diſ-
ponat deſolationes in terra.
10 Faciens ut ceſſent bella uſque ad extre-
mitatem terræ; arcum perfringat, & truncet
haſtam, currus comburat igne,
11 [15] *Dicens*, deſiſtite & agnoſcite me eſſe
Deum; me exaltatum iri [16] in gentibus, exalta-
tum iri in terra.
12 [17] Jehova exercituum nobiſcum *eſt*, lo-
cus editus nobis Deus Jahakobi maximè.

1 vide 1. Chr. 15. 20.
2 canticum eſt didaſcalicum ex duabus partibus conſtans, propoſitione, cum exornatione propoſitionis uſque ad verſ. 9. & hortatione, ad finem uſque.
3 propoſitio cõtinens capita duo: unum, præſentiſſimæ Dei beneficẽtiæ erga nos, hoc verſu: alterum, fidei noſtræ in eum conſtantiſſimæ, verſ. 3. & 4.
a Heb. præſens valdè.
4 Conceſſio hyperbolica, quam ſequentia verba explicant ad demonſtrandam glorioſam πληροφορίαν fidei. q. d. ne his quidem rebus percellar fretus præſentia Dei: tantùm abeſt ut me perterrefaciant omnia finitimorum bella, de quibus 2. Sche. 8. & 1. Chr. 18.
b Heb. in cor marium. 5 gravi agitatione fluctuum, & terræ cum mari conturbatione: quæ ſimilitudo habetur Jeſcha. 57. 24. c Heb. ejus.
6 i. populus Dei orbem & Judæam totam incolens, quantumvis reluctante & invito mundo, tam certa fiducia conquieſcit in Deo, ut flumine hoc cõtentus ſit & perexiguis rivis ad defenſionem ſui. Eſt autem hoc flumen Kidron ex Gichone ſuperiore & inferiore, ex Schilohacho, aliiſque rivulis profluens, & ambiens dimidium urbis: ut ex plurimorum locorum inter ſe comparatione conſtat.
7 i. Jeruſchalaima, quò veniebant cives & populares Dei ad ſacros cœtus.
8 i. Tzijonem, quo fuerat importata arca. 9 i. regionem totam, quam Deus ſibi vindicavit, populoque ſuo habitandam dedit.
10 i. oportuniſſimè, quum primùm opus eſt: ſic Exod. 14. 27.
11 i. incolæ terræ diffluunt ad ſolam illius vocem.
12 ſumma glorioſæ prædicationis fidei, concludens priorem partem: quæ iiſdẽ planè verbis alteram quoque concludit in fine Cantici.
13 altera pars cãtici, hortatio ad omnes, ut opus Dei obſervent, duobus verſibus; deſinant maledicere, & agnoſcant Deum ab operibus, ℣. 11. ac poſtremò fideles prædicantes audiant.
d Heb. venite. 14 fuſis & perditis inimicis. 15 proſopopœia; qua oſtendit Pſaltes quum judicia iſta exſequitur Deus, perinde eſſe atque ſi palàm clamaret & pronunciaret documenta ſuæ naturæ, majeſtatis & gloriæ.
16 invitis aut volentibus: invitos quidem perdendo, obſequentes verò ſervando ad gloriam meam. 17 concluſio, ut ſup. verſ. 8.

## Psalm. XLVII.

*Eccleſia Judæorum hortatur gentes ad gratulandum Chriſto & prædicandum eum, primùm à communi ipſarum vocatione ad Evangelium, deinde à potentiſſima regni Chriſti adminiſtratione & gloria.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ in poſteris Kora-
chi, [1] pſalmus.
2 [2] Omnes populi [3] plaudite manu, clangite
Deo voce *a* canora.
3 [4] Nam Jehova excelſus reverendus, rex
magnus *eſt* ſuper totam terram.
4 [5] Cogit in caulam populos [6] in locum no-
ſtrum, nationeſque in locum pedum noſtro-
rum:
5 [7] Seligit [8] nobis poſſeſſionem noſtram,
[9] excellentiam Jahakobi quem diligit maxi-
mè.
6 [10] Aſcendit Deus [11] cum clangore, Jeho-
va cum ſono buccinæ.
7 Pſallite Deo, pſallite: pſallite regi noſtro,
pſallite.
8 [12] Nam rex totius terræ *eſt* Deus: pſallite
*pſalmo* [13] didaſcalico.
9 Regnat Deus ſuper gentes; Deus [14] inſi-
det ſolio ſanctitatis ſuæ.
10 [15] Voluntarii populorum congregantur,
populus Dei Abrahami; [16] quia Dei *ſunt b* pro-
tectiones terræ; valdè excelſus eſt.

1 Pſalmus eſt didaſcalicus in genere laudativo, continens partes duas; unã, qua hortatur gentes ut Chriſto adventanti gratulentur, & regnum ſuum ſtatuenti in nobis prædicatione Evangelii, uſque ad verſ. 6. alteram, qua hortatur ut Chriſto exaltato in majeſtatem regni pſallant & confidant, inde ad finem uſque.
2 propoſitio prior hortatoria; cujus argumenta tribus verſibus ſequentibus exponuntur.
3 i. læti & hilares adventanti Chriſto quibuſcumque ſignis poteſtis gratulamini: ſimile vide Nachum. 3. verſ. ult.
a Heb. cantus. 4 αἰτιολογία hortationis à natura officióque Chriſti, hoc verſu, & effectis regni ejus, duobus ſequentibus. Eſt autem hic Jehova Chriſtus, cui omnis poteſtas data eſt in cœlo & in terra. 5 primus effectus regni Chriſti, vocatio gentium in communionem gratiæ ac velut in Judæorum caulam, ut fiat unum ovile & unus paſtor, Joan. 10. verſ. 16. ſoluto ſepto intergerini parietis, & utriſque in uno corpore reconciliatis Deo per crucem, Epheſ. 2. 14. prout fuerat à Noacho prædictum Gen. 9. 27. ſic autem accipiendum eſſe hoc verbum, docent probatiſſimi Hebræorum ſcriptores, R. Jehuda, & Abenhezra.
6 id eſt in caulam noſtram, ut ſimus unum ovile. 7 ſecundus effectus regni Chriſti: quod etſi hîc in unum ovile cogimur, tamen ille lõgè melius nobis proſpicit, comparans hæreditatem incorruptam, quæ nec contaminari poteſt, nec marceſcere, nobis ſervatam in cælis, 1 Pet. 1. 4. 8 & Judæis & gentibus, qui gratulamur Chriſto: nam Eccleſia Judæorum hîc appellat gentes, & adhibet in communionem gloriæ. 9 i. omnia illa excellentiſſima promiſſa & dona, quæ Jahakobo facta ſunt, ut perveniant ad totum Jiſraelem Dei. 10 tranſitio ad alteram propoſitionem, ab occaſione gloriæ in quam Chriſtus aſcendit tradito Evangelio. 11 i. glorioſiſſimè, ut victor triumphans: prout explicat Apoſtolus ad Coloſſ. 2. 15. humanitus dicta. 12 αἰτιολογία hortationis à regno univerſali Chriſti; cujus deſcriptio ſubjicitur cum à majeſtate ipſius, ſequente verſu: tum à fidelium ſe illi ſiſtentium obſequio, verſ. 10. 13 ut ſuprà 32. 1. quaſi dicat, quo informetis alii alios de regno ipſius, & officio veſtro. 14 ad dexteram patris. 15 i. quicumque ex populis ſe ſubjiciunt ei voluntariè. 16 cauſæ cur pii ad Chriſtum confugiant duæ, potentiſſima adminiſtratio regni, & ſumma ejus gloria. b Heb. ſcuta.

## Psalmus XLVIII.

*Pſaltes Deum celebrat & gratias ei agit de ſalute in Judæos collata; pericula præcedentia explicat: fidem piorum confirmat liberationis acceptæ nomine: & eccleſiam hortatur ad recognoſcendum veritatem promiſſionum Dei.*

1 CAnticum & pſalmus [2] poſteris Korachi.
2 [3] Magnus *eſt* Jehova, & laudatus
valdè, [4] in civitate Dei noſtri, monte ſanctita-
tis ejus:
3 *a* [5] Ornamento [6] tractus, gaudio totius
terræ [7] monte Tzijonis, [8] lateribus Aquilonis,
[9] urbe regis magni.
4 [10] Deus in palatiis ejus, agnoſcitur pro
loco edito.
5 [11] Nam ecce [12] reges convenerunt, pro-
greſſi ſunt pariter:
6 Ipſi [13] viderunt, [14] ſimiliter admirati ſunt,
[15] conturbati ſunt, accelerârunt *abitum*.
7 [16] Tremor prehendit eos illic, dolor ut
parturientis.
8 *b* [17] Euro perfringis naves Oceani.
9 Quemadmodum [18] audiveramus, ita vidi-
mus in civitate Jehovæ exercituum, in civitate
Dei noſtri, Deus ſtabilit eam in ſeculum uſq;
maximè.
10 [19] Cogitamus, ô Deus, benignitatem
tuam in medio templo tuo:
11 [20] Sicut nomen tuum, ô Deus, ſic laudẽ
tuam *eſſe* uſque ad extremitates terræ: juſtitiæ
plenam eſſe dexteram tuam.
12 Lætetur mons Tzijonis, exſultent filiæ
Jehudæ propter [21] judicia tua.
13 [22] Circuite Tzijonem, & cingite eam:
numerate turres ejus:
14 Apponite *c* animum veſtrum ad præ-
munitionem; attollite *oculos* ad palatia ejus; [23]
ut enarretis generationi poſteræ.
15 Nam hic Deus Deus noſter *eſt* [24] in ſecu-
lum & ſempiternum; hic nos reducturus eſt
ad mortem uſque.

1 i. Cantio quæ ſimul voce & inſtrumentis ad ſymphoniam canebatur: ſic enim hanc & ſimiles pſalmorũ inſcriptiones accipimus, in quibus legitur canticum pſalmus, aut è converſo pſalmus canticum: hoc tantùm diſcrimine, quòd canticum pſalmum incipiebat vox cantorum modulari & præeuntẽ ſequebantur inſtrumenta muſica: at Pſalmi Cantici modulationem incipiebant muſici Pſaltæ, præibatque muſicorum inſtrumẽtorum modulatio voci. Eſt autem hic pſalm. generis ἐπαινετικοῦ καὶ εὐχαριστικοῦ continens primum propoſitionem laudandi Deum, uſque ad verſ. 5. deinde confirmationem propoſitionis per narrationem acceptæ liberationis, uſque ad ℣. 10. poſtremò profeſſionẽ certæ in Deum fiduciæ & glorioſam prædicationem illius ad finem uſque. videtur verò occaſionem hujus pſalmi canendi dediſſe liberatio divinitus facta, quum Peliſchthæi aliquoties aſcendiſſent omnes ad quærendum Davidem contra Tzijonis propugnaculum, 2. Schem. 5. 17. & ſeq. 2 ut ſupr. 42. 1. 3 Propoſitio laudativa, primùm majeſtatis Dei à ſingulari beneficio ejus in populum ſuum & civitatem obſeſſam, hoc verſu: deinde Jeruſchalaimorum, quo velut inſtrumento ſuos ſervavit Deus, verſ. 3. & 4.
4 ubi Deus celebratur ex lege, id eſt Jeruſchalaimis, quæ vindicans ab hoſte Deus ſalute data magnificaverat ſeſe. a *Heb. pulcritudo tractus.*
5 i. hic locus is eſt quo liberamur à malo, & ornantur bonis omnibus, ac recreantur Judæi profligatis hoſtibus. 6 totius Judææ, ut ſequentibus verbis exponitur. 7 i. ἀκροπόλει ſive propugnaculo Jebuſi in Tzijone ſito, quod civitas Davidis dictum eſt, 2. Sche. 5. 7. ſynecdoche. 8 i. templo impoſito monti Morijæ in ſumma Tzijonis parte Aquilonem verſus. 9 i. totis Jeruſchalaimis, quæ metropolis fuit regni Davidici, & typus Eccleſiæ, quæ eſt regnum Dei, vide Matth. 5. 35. 10 i. ut regio tota ornatur urbe, ſic urbs ornatur Deo; qui commune eſt perfugium utriuſque, urbis & regionis. 11 ſecunda pars pſalmi narratio; primùm rerum geſtarum, uſque ad verſ. 9. deinde documentorum fidei ex rebus geſtis confirmatæ, verſ. 9. 12 i. Principes & Satrapæ Peliſchthæorum, ut antè dicebamus. 13 ſtragem divinitus editam, ut antè dictum eſt.
14 Videntes uno quaſi momento ſtragem ſuorum incredibilem.
15 rei novitate & magnitudine attoniti reverſi ſunt cum pudore vultus.
16 conſternationis ex repentina clade deſcriptio, illuſtrata duobus ſimilibus, parturientis & naufragi. b *Heb. vento Orientali.* 17 apoſtrophe ad Deum epiphonematica: qua oſtendit pſaltes quàm facilè res hominum firmiſſimæ à Deo perrumpantur. 18 tum ab exemplis & documentis majorum, tum prædictione ſingulari, 2. Sche. 5. 19. & 23. 19 tertia pars pſalmi, continens primùm profeſſionem gratæ recordationis beneficiorum quæ Eccleſia accepit à Deo, hoc verſ. & ſequente: deinde hortationem ad Eccleſiam: ut lætetur, recognoſcat, & prædicet beneficia Dei præterita, præſentia, & futura. 20 i. ut natura & majeſtate infinitus es, ſic etiam laudem tuam infinitam eſſe, & commendationem nominis. 21 in ulciſcendis adverſariis, & ſervandis nobis: quod poſterius mẽbrum per hypotypoſin ſequ. verſ. exponitur. 22 i. luſtrate muros & recognoſcite, ſi fortè vel tantillum labefactati ſunt, ſic oſtenditur complementum promiſſionum Dei. c *Heb. cor veſtrum.* 23 finis hortationis, prædicatio gloriæ Dei. 24 i. inde à diebus priſcis fedus initum ſervaturus, & populo ſuo ſalutem præſtiturus eſt.

## PSALMUS XLIX.

*Pſaltes comparatis ad audientiam animis piorũ, fiduciam ſuam in Deum prædicat, & ſecuritatem de reſurrectione carnis ac vita æterna: vanitatem eorum qui aliis rebus confidunt, earum rerum incertitudine hominumque exitio explicat: ac poſtremò pios ab illorum exemplo dehortatus, ad ſui imitationem vocat.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ in poſteris Kora-
chi [1] pſalmus.
2 [2] Audite hæc omnes populi: auribus per-
cipite omnes habitatores mundi:
3 Tum nati *plebeio* homine: tum nati *præ-
ſtante* viro: ſimul dives & egens.
4 Os meum loquuturum eſt *a* variam ſa-
pientiam, & meditatio animi mei multiplicem
prudentiam.
5 [3] Inclinatus ad parabolam aurem meam,
pandam in cithara [4] ænigma meum.
6 [5] Cur timerem *b* temporibus mali [6] *ut* ini-
quitas *c* veſtigiorum meorum circumdet me?
7 [7] Eorum qui confidunt in opulentia ſua,
& in multitudine divitiarum ſuarum glorian-
tur;
8 Fratrem *d* nullo modo redimere poteſt
quiſquam, non dare Deo redemturam ejus.
9 (Eſt enim cara redemtio vitæ eorum; [8] i-
mò ceſſat in ſeculum.)
10 Ut vivat adhuc in æternum, non *e* expe-
riatur corruptionem.
11 [9] Nam videt, [10] ſapientes mori; pariter
ſtultum & brutum perire, ac relinquere aliis
opulentiam ſuam.
12 *f* [11] Animus *fuit* illis domos ſuas in ſecu-
lum, habitacula ſua in quamq; generationem
*ſtatui; quum ea* vocarent de nominibus ſuis per
terras.
13 [12] Neque tamen homo *qui* in honore *eſt*
*g* commoraturus eſt; [13] ſimilis fit jumentis, [14]
*quæ* intereunt.
14 [15] Hæc *quum ſit* via iſtorum, [16] exſpecta-
tio *eſt* eis; & *h* poſteri eorum [17] os eorum ap-
probant maximè.
15 [18] Tamquam pecudes, in ſepulcro *i* diſ-
poſitos mors depaſcet eos; [19] donec dominen-
tur eis recti [20] illo manè, & [21] formam eorum
*k* conſumat [22] infernus *receptam* [23] ex habita-
culo *l* ejus.
16 [24] Enimverò Deus [25] redemturus eſt a-
nimam meam à *m* ſepulcro, quum recepturus
me ſit potentiſſimè.

1 Pſalmus eſt διδασκαλικὸς, tres partes continẽs: exordium, uſque ad verſ. 6. propoſitionem elegantiſſimam ſecuritatis ex fide, à verſ. 6. ad 17. & concluſionem hortatoriam ad omnes pios Prophetæ exemplo, inde ad finem uſque.

2 Exordium audientiam faciens; primum à perſona auditorum, ad quos hujus Pſalmi documenta ex æquo pertinent: verſ. 2. & 3. deinde à materia ſive argumento, quod duobus nominibus cõmendatur, tum à natura ipſius, quod ſapientiæ argumentum eſt & intelligentiæ, ℣. 4. tum etiam à forma verſ. 5. a *Heb. ſapientias, & meditatio cordis mei intelligentias.* 3 i. attendens ſollicitè, ad eâque audiendam & percipiendam meipſum vobiſcum fideliter comparãs, & ex me ipſo exemplum ſtatuens, ℣. 6. quod genus ſcriptionis vocatur parabola. 4 i. inſignem ſententiam allegoricam: nam allegoriam ſive perſpicuam ſive obſcuriorem, ænigma Hebræi vocant: cujuſmodi eſt verſ. 13. & 21. 5 altera pars pſalmi, propoſitio Chriſtianæ fiduciæ & ſecuritatis in Deo adverſus omnia mala præſentis & futuræ vitæ per interrogationem, cujus ſubjectio ſive reſponſio habetur ſequent. primum κατ' ἀἰρεσιν humanorum atque fallacium ſtudiorum, ad verſ. uſque 16. deinde κατὰ θέσιν & affirmationem veram, verſ. 16. Amplificat autem glorioſam hanc fiduciæ ſuæ prædicationem Pſaltes primùm interrogatione hac, quam modò diximus: deinde comparatione humanæ illius fiduciæ, quæ aut in opulentia, aut in honoribus; aut in gloria, aut in vitæ luxu, ac non in Deo collocatur, quorum omnium tum præſentem inſtabilitatem docet, tum etiam miſerum eorum qui illis confidunt exitum; ac proinde ſtatuit ſibi nihil metuendum eſſe, ut qui rebus iſtis incertis miſeriſque omiſſis conquieſcat in Deo.
b *Heb. diebus.* 6 i. ut ex infirmitate vitæ meæ in qua incedo circumveniar calamitatibus, & malè ſit mihi: allegoria. c *Heb. calcaneorum.*
7 Exornatio ſuperioris fiduciæ per antitheſin contrariorum ſtudiorum quibus hæc vita traducitur: ut dictum eſt ſuperiore verſ. Eſt autem primum ſtudium, opulentiæ, uſque ad verſ. 12. d *Heb. non redimendo redimet.* 8 i. nunquam poteſt perſolvi Deo: correctio. e *Heb. videat, ſynecdo.* 9 ætiologia cur non poſſit quiſquam fratrem redimere: nam, inquit pſaltes, conſcius eſt quiſque hujus rei natura ſua, & communi experientia exemploque omnium. 10 ut Eccleſiaſtæ 3. 19. f *Heb. in medio ſuo domus ſuas in ſeculum, habitacula ſua in ætatem & ætatem vocant, &c.* 11 i. gloriam conciliare nomini ſuo ſtudent magnificis operibus hic illic exſtructis, ſecundum ſtudium, gloria celebritaſque nominis.
12 i. non amplius utilitatis accipiet ex honoribus ſuis, quàm ſuperiores ex opibus, & ne una quidem nocte poteſt per honores ſuos conſiſtere. g *Heb. pernoctabit.* 13 vide Eccleſ. 3. 19. 14 i. pecoribus morticinis, quæ nullius ſunt uſus niſi projiciantur. 15 i. quæ cùm ita ſint, cum neque opulentia; neque honores, aut gloria cultoribus ſuis ſint adjumento: tamen adeò deſipiunt ipſi & ipſorum poſteri, ut exſpectationem ſuam in illis collocent; amplificatio ſtultitiæ ab infelice eventu, quem exponit ſeq. verſ. 16 i. ampliſſimas nihilominus ſibi expectationes fingunt ipſi & ipſorum poſteri. h *Heb. poſt eos.* 17 i. ſententiam, mentem, verbaque metonymicè. 18 morticinas putà in cloacis, exquiliis, vel puticulis projectas. Ellipſis ἀνάλογος. i *Heb. diſponunt, ut Ijob. 7. 3.*
19 in Chriſto cujus regni participes futuri ſunt recti. 20 quo reſurgunt pii quaſi ex nocte ſepulcri, quum videlicet ſol juſtitiæ orietur Chriſtus ſecundo adventu ſuo: Maleaci 4. 21 i. materiam hanc corpoream & aſpectabilem, de integro animæ ſuæ adunatam. k *Heb. conſumendo.* 22 vox Hebræa ſtationem quamlibet mortuorum in univerſum notat permultis ſcripturæ locis: ideoque modo ad ſepulcrum, modò ad infernum ſynecdochicè: modò ad utrumque ſimul pro ratione locorum accommodanda eſt: nos verò hîc ita accepimus ut argumento, ordini judiciorum Dei, & ſequenti antitheſi convenientiùs eſſe judicavimus.
23 i. ſepulcro, communi corporũ humanorum ſede uſque ad diem reſurrectionis: ſic Ijobi 30. 23. l *Heb. quod erat ei.*
24 ſubjectio ſive reſponſio ad ſecuram illam & confidentem interrogationem, quæ habetur ſup. verſ. 6. poſtquam humani ſtudii vanitas fuit explicata.
25 h. e. daturus mihi reſurrectionem carnis, & vitam æternam in Jeſu Chriſto: qui meus eſt vindex à corruptione ſepulchri, & inferni damnatione.
m *Heb. manu ſepulcri.*

17 [26] Ne timeto, quum dives evaſerit quiſ-
piam; quũ aucta fuerit gloria *n* domeſtica ej⁹.
18 Non enim in morte ſua aſſumturus eſt
illius quicquam, non deſcenſura eſt poſt eum
gloria ejus:
19 Quum [27] animæ ſuæ in vita ſua benedi-
xerit, atque [28] celebraverint te quòd [29] bene-
facias tibi:
20 [30] Ut perveniat uſq; ad ætatem majorũ
ejus in æternum *tamen* nõ ſunt fruituri [31] luce.
21 [32] Homo *qui eſt* in pretio, neque eſt in-
telligens; ſimilis fit jumentis *quæ* intereunt.

26 Concluſio hortatoria ad omnes pios ex ſuperiore hypotheſi ſive exemplo ſingulari Pſaltæ: cujus ſũma eſt, non eſſe ferendum ut impiorum exemplis aut ſollicitationibus abducamur: ſed fidei & operibus ejus incumbendum: ſumtis argumentis primũ à vanitate & incerto rerũ quibus confiditur; deinde ab inſtabilitate & exitio perſonarum, verſu ultimo. Eſt autem μείωσις in illis verbis, ne timeto: vide ſupr. in verſ. 6. n Heb. domus ejus.
27 i. ſibi gratulabitur, indulgebit genio, & negliget Deum: ut Deut. 29. 19.
28 i. utcumque Dei jura cognoſcant: non ſolùm contra faciant, ſed etiam facientibus patrocinentur & faveant: Enallage numerorum frequens: vide Rom. 1. 32.
29 i. indulgeas. 30 i. utcumque vivat quàm diutiſſimè. 31 vitæ æternæ; ſed in opacitate tenebriſque ſecundæ mortis permanſuri. 32 amœbæus verſus, reſpondens illis verbis quæ habentur ſup. verſ. 13.

## PSALM. L.

*Pſaltes Deum Tzijone habitantem à natura, majeſtate, gloria, operibus, & verbo maximè cõmendans, eccleſiam à Deo collectam docet rationem colendi cum foris ceremoniis, & intùs ſpiritu: improbos verò ſuæ improbitatis evincens palam arguit, & ad bonam frugem revocat minis & promiſſionibus illius.*

1 PSalmus, [2] Aſapho, [3] *Deus* fortis; Deus
Jehova [4] eloquitur & [5] inclamat terram,
ab ortu ſolis uſque ad occaſum ejus.
2 E Tzijone, *a* [6] perfectiſſimæ pulcritudi-
nis *loco*; Deus [7] illuceſcit.
3 [8] (Veniat Deus noſter, & ne ſurdum agat)
[9] ignis ante ipſum cõſumit, & circa ipſum pro-
celloſus valdè.
4 [10] Inclamat cælos ſupernè; & terram *in-
clamat*, [11] jus populo ſuo dicturus:
5 [12] Congregate mihi [13] quos benignitate
proſequutus ſum, [14] qui icerunt *b* fedus me-
cum per ſacrificium,
6 [15] Quando indicârunt cæli juſtitiam ejus,
Deum judicem eſſe ſummè:
7 [16] Audi populæ mi, *inquit*, & eloquar, Jiſ-
rael, & cõteſtabor te: [17] Deus Deus tuus ſim:

1 Pſalmus eſt didaſcalicus, cõſtans ex duabus partibus, narratione prophetica, uſque ad verſ. 7. & propoſitione doctrinæ, ad finem uſque.
2 i. ipſi aut poſteris ejus traditus: vide 1. Chr. 25. 2.
3 narratio hæc prophetica vice exordii fungitur ad conciliandã fidem & auctoritatem ſequentibus documentis: continet autem duas partes universè: unam, qua proponit majeſtatem Dei comparantis ſeſe ad Eccleſiæ gubernationem, 3. verſibus: alteram, qua formam & uſum gubernationis explicat uſque ad verſ. 7. utraque verò pars certis argumentis confirmatur: videtur enim hic pſalmus à Davide tum demum conſcriptus eſſe, quum angelus Dei apparuit Davidi, & locum habitationis Dei deſignavit, 1. Chr. 21. 18. & 22. 4. poſtquàm triẽnii fame & triduana peſte Jiſraelitæ afflicti ſunt, 2. Schem. 21. & 24.
4 i. indeſinenter teſtatum facit jus ſuum naturæ documentis in toto mundo, quod ſpeciali quadam ratione populum ſuum docet ſalutari verbo & præſentia ſua, ſequente verſu. 5 i. ſumma vi edocet, ut quum olim tradidiſſet legem, quam tradendo commovit terram: Exod. 9. 18. & Heb. 12. 26. a Hebr. perfectione pulcritudinis. 6 i. quem locum Deus perfectiſſimis & abſolutiſſimis ornamentis temporariis & æternis decoravit: & cujus amore ſedata eſt ira Dei; quia in eo fuit Chriſti & Eccleſiæ typus: ſic ſup. 48. 3. 7 i. gratioſam ſuam lucem exhibet demonſtrato ſuæ habitationis loco: ſic allegoricè oſtendit gratiam Dei reſtitutam eſſe, poſt illas tenebras & calamitates ſuperiorum temporum: ſic Deut. 33. 2. 8 oratio epiphonematica eccleſiæ, inſerta narrationi παρένθετος, ut pſal. 132. 8. qua petit eccleſia, quandoquidem jam lux Dei Tzijone exoriri cœpit, ut dignetur ipſe perficere quod cœpit ſuorum bono, adeſſe eis, & exaudire eos: ita tranſitur ad alteram narrationis partem, ubi propheticè exponit Pſaltes formam glorioſam adventus Dei, & uſum illius, ſequ. 9 comes adventantis majeſtatis Dei, hæc autem ſunt allegoricè tranſlata ab eo tempore quo tradidit legem, Exod. 19. quod genus ſcribendi prophetæ frequentare ſolent: ut Chabakuk 3. quaſi dicat, circumfulget gloria & potentia ad perdendum adverſarios, & illuſtrandum ſuos. 10 i. auctoritate verbi ſui illis, velut præconibus, teſtibus & adminiſtris utitur judiciorum ſuorum; ſic exponit uſum ſive effecta adventus Dei. 11 quod exponitur infrà, inde à verſ. 7. 12 proſopopœja, qua cæli & terra jubentur populum Deo ſiſtere. 13 i. Jiſraelitas, quos Deus prævenit beneficiis, Deut. 4. 14 i. mecum in fedus convenerunt aſperſi ſanguine ſacrificii, Exod. 24. b Hebr. fedus meum. 15 i. poſtquam Deus dediſſet legem, quo tempore cælum, & res cæleſtes omnes teſtimonium perhibuerunt potentiſſimè majeſtati Dei: & jus illius in populum confirmârunt.
16 altera pars pſalmi, propoſitio documentorum: quæ ut prius lege fuerant præſtituta: ita hoc tempore erant ampliùs ſancienda & religioſiùs obſervanda, deſignato ad cultum loco, Deut. 12. ſunt autem documentorum genera duo: unum, ad fideles pertinens, de cultu ceremoniali & vero, qui erat exhibendus Deo, uſque ad verſ. 16. alterum, ad improbos, inde à verſ. 16. Eſt autem hîc verſus quoddam velut exordium ad ſequentia documenta, à federe mutuo Dei, & populi.
17 i. perſta in fide & federe meo: hæc ſumma mandatorum Dei & officii noſtri; cujus duæ partes ſequuntur: una ceremonialis umbratilis, & temporarii, uſque ad verſ. 14. altera ſpiritualis, veri & æterni, verſ. 14. & 15.

8 [18] Non propter ſacrificia tua arguã te, ut
holocauſta tua ſint [19] coram me jugiter.
9 [20] Non accipiam è domo tua juvencum,
è caulis tuis hircos:
10 [21] Cùm mea ſit omnis beſtia ſilveſtris,
jumenta in montibus mille,
11 [22] Agnoſcam omnes volucres montium,
denique animalia agreſtia ſint penes me.
12 Si eſurirem, non dicerem tibi: nam mea
*eſt* terra habitabilis, & plenitudo ejus.
13 An veſcor carne robuſtorum *juvencorum*
aut ſanguinem hircorum bibo?
14 [23] Sacrifica Deo laudem, & redde excel-
ſo vota tua:
15 Atque invoca me tempore anguſtiæ; e-
ripiam te ut honore afficias me.
16 [24] Improbo autem dicit Deus; Quid tua
ut enarres decreta mea, & aſſumas fedus meũ
in ore tuo:
17 [25] Cùm tu oderis diſciplinam; & projece-
ris verba mea poſt te?
18 [26] Simulac vides furem, acquieſcis ei: &
cum adulteris *eſt* portio tua:
19 Os tuum *c* adhibes ad malum, & lingua
tua concinnas dolum:
20 Sedens fratri tuo obloqueris: in [27] fi-
lium matris tuæ edis infamiam.
21 Hæc te faciente quia [28] agebam ſurdum,
cogitas *d* me prorſus eſſe ſimilem tui: arguo
te, & *e* [29] diſſero in oculis tuis.
22 [30] Animadvertite jam hoc oblivioſi Dei;
ne rapiam, nec ſit qui eripiat.
23 [31] Qui ſacrificat laudem, honore afficit
me: & [32] qui componit viam *f* faciam ut is fru-
atur ſalute Dei.

18 i. non tantopere laboro aut infenſus tibi futurus ſum ceremoniarum nomine, quàm ſi frangatur veritas federis: hoc enim κατά τι accipiendum eſt, ut interpretatur propheta, 1. Schem. 15. 22.
19 i. mihi quotidie ex lege offerantur.
20 aut propter ipſa ſacrificia, aut propter me: ſed veritatem ſacrificiorum accipio in Chriſto: hic enim oſtendit Deus, ſacrificia & ceremonias neque ſimpliciter aut per ſe ad cultum Dei & ſalutem neceſſarias eſſe, neque ſemper duraturas; ſed tantùm quatenus præfigurabant Chriſtum: donec plenitudo gratiæ & veritatis exhiberetur in eo.
21 ἐργασία ſive confirmatio ſuperioris propoſitionis, qua cõfirmat Deus ſe neque ſua neq; ipſorum cauſa egere ſacrificiis: primùm à jure dominii ſui & adminiſtrationis in res omnes creatas, duobus verſibus: deinde à natura ſua, quæ ſola eſt omnipotens & αὐτάρκης, verſ. 12. & 13. 22 ut ſuprà accipitur hoc verbum 1. 6. & Ijob. 40. ſequente. 23 altera pars officii noſtri, ut obſervatum eſt ſuprà in verſum 7. cujus membra ſunt duo: gratiarum actio, & profeſſio accepti à Deo beneficii, hoc verſu; deinde invocatio in rebus adverſis: quibus officiis ſuæ promiſſiones conjunctæ ſunt. Sunt autem hæc officiorum genera ſpiritualia, expreſſa allegoricè à ceremoniis legis: ut eo ampliùs oſtendatur hanc demum eſſe ſacrificiorum veritatem.
24 Secundum documentorum genus ad improbos pertinens; in quo tria prolepticè reprehenduntur: ipſorum ſermones animo operibuſque adverſantes, opera improba in univerſum, & animus impius, hoc verſu: quæ poſteà minutatim oſtenduntur uſque ad verſum 21. deinde verò minis & promiſſionibus revocantur ipſi, in fine pſalmi. 25 i. animo & factis adverſatis.
26 Confirmatio reprehenſionis prolepticæ qua uſus eſt Deus, ab exemplis anteactæ vitæ, hoc verſu: maledicentiæ, duobus ſequentibus; & impuri animi, verſ. 21. κατ' ὑπεροχήν. c Hebr. mittis in malum.
27 i. germanum fratrem: utcumque magna ſit vis ſanguinis & neceſſitudinis à natura. 28 i copioſa benignitate, tolerantia, atque lenitate diſſimulabam malefacta tua, & ultionem differebam: vide Rom. 2. 3. & ſeq.
d Heb. me eſſendo eſſe. e Hebr. ordino in oculis tuis. 29 i. malefacta tua oppono in os, & obtrudo invito ac reluctanti tibi, ita ut inficiari non poſſis.
30 ſecundus locus, revocatio improborum ad reſipiſcentiam, tum minis appoſitis, hoc verſu, tum promiſſionibus, ſequente: ut hæ ad bonum alliciant, illę deterreant à malo. 31 i. vir bonus, de quo ſuprà verſ. 14. 32 i. obſervat & rectè inſtituit vitam ſuam. f Heb. faciam ut videat.

## PLALMUS LI.

*David audita repreprehenſione & comminatione Dei: ipſius gratiam, peccatorum ſuorum remiſſionem & ſui inſtaurationem petit: ut duce ſpiritu ſancto ſuæ ipſius ſanctificationi, aliorum inſtitutioni, & Dei gloriæ poſſit incumbere: deinde orat pro ſalute totius populi, ac poſtremò votum de ſe ipſis conſecrandis Deo & gratiis agendis nuncupant omnes boni.*

1 MAgiſtro ſymphonię, [1] pſalmus Davidis:
2 Quum veniſſet ad eum Nathan
propheta, poſtquam congreſſus fuiſſet cum
Bath-Schebaha.

1 Pſalmus eſt διδακτικός, conſtans ex duabus partibus: petitione ſingulari à verſiculo 3. ad 20. & petitione communi pro Eccleſiæ bono; quarum petitionum occaſio exponitur ſecundo verſu & 2. Schem. 11. & 12.

[2] hujus petitionis, quæ ſingulari modo ad Davidem reſpicit, loci ſunt duo; unus eſt poſtulatorum, alter cauſarũ quibus David ad hæc poſtulanda adductus eſt. poſtulata ſigillatim apponuntur ſingulis cauſis: cauſæ verò ſunt tres; prima eſt à perſona ſupplicis, uſque ad verſum 11. nimitum liberatio à peccato, & ſalutis communicatio: ſecunda eſt à perſona aliorum, id eſt, Eccleſiæ ædificatio, inde uſque ad ver.16. tertia eſt gloria Dei, inde adverſum 20. uſque. Continet autem hæc prima petitio capita tria: primùm gratiã Dei, ut efficientem cauſam, ſecundò abolitionem peccati, quæ allegoricis formis ex lege deſumtis figuratur, his duobus verſibus, & poſt cauſæ explicationem amplificatur, verſ 9. tertiò lætitiam & pacem in ſpiritu ex duobus illis beneficiis conſequentem, verſ. 10.

3 [2] Gratiã fac mihi, ô Deus, ſecundùm be-
nignitatem tuam; ſecundùm amplitudinem
miſerationum tuarũ, dele defectiones meas.
4 *a* Multum ablue me ab iniquitate mea, &
à peccato meo munda me:
5 [3] Nam defectiones meas ego [4] agnoſco,
& peccatum meum [5] obverſatur mihi jugiter.
6 [6] Tibi, tibi ſoli peccaveram, [7] & quod ma-
lũ *videtur* in oculis tuis feceram: *agnoſco*, [8] ut
juſtificeris *b* in ſermonibus tuis, purus ſis *c*
quando tu judicas.
7 [9] En, [10] in iniquitate formatus ſum, & in
peccato fovit me mater mea.
8 En, [11] veritate delectaris in præcordiis; &
in occulto ſapientiam notam feceras mihi.
9 [12] Expiato me hyſſopo, ut mundus ſim;
abluito me, ut præ nive albeſcam.
10 [13] Facito ut audiam gaudium & lætitiam,
[14] exſultent oſſa *quæ* contriveris.
11 [15] Abſconde iratam faciem tuam à pecca-
tis meis, & omnes iniquitates meas dele.
12 *d* [16] Animum mundum crea mihi Deus,
& [17] ſpiritum firmum renova *e* intra me.
13 Ne abjicias me à facie tua, & ſpiritum *f*
ſanctum tuum ne recipias à me.
14 Redde mihi gaudium ſalutis tuæ, & [18]
ſpiritu ingenuitatis ſuſtentato me.
15 [19] Docebo defectores vias tuas, ut pec-
catores ad te convertantur.
16 Libera me [20] à *g* ſanguine, ô Deus, Deus
ſalutis meæ: [21] cantet lingua mea juſtitiã tuam.
17 Domine [22] labia mea aperias, & os meũ
annunciabit laudem tuam.
18 Nam [23] non delectaris ſacrificio; ut dem:
holocauſtum non vis.
19 [24] Sacrificia [25] Dei *ſunt* [26] ſpiritus fractus:
animum fractum & contritum, ô Deus, [27] non
ſpernis.
20 [28] Benefac pro bona voluntate tũa Tzi-
joni, ædifica muros Jeruſchalaimorum.
21 [29] Tunc delectaberis [30] ſacrificiis juſtitię,
holocauſto, & prorſus conſumendo: tunc *pii*
offerent juvencos ſuper altare tuum.

[a] *Hebr. multiplica abluere: ut Gen.* 12. 8. [3] prima poſtulati cauſa ut dictum eſt in verſu 3. nimirum confeſſio peccati ex ſeria & conſtante animi reſipiſcentia proficiſcens. [4] i. me his modis defeciſſe à te, quos per Nathanem prophetam denunciaſti mihi, confiteor hic coram te & propheta tuo, atque adeò coram tota eccleſia palàm, hoc pſalmo exarato. [5] id eſt, urget me conſcientia peccati mei. [6] id eſt, ita ſpreveram verbum tuum faciendo quod malum videtur in oculis tuis, 2 Schem. 12. 9. ut tu ſolus tamen conſcius eſſes malefacti mei, ibidem verſ. 12. [7] uxorem proximi adulterando, maritum gladio infidelium occidendo, populum Dei exponendo, illam ducendo, denique peccatis meis tamdiu indormiſcendo. [8] i. ut eleceſcat hac confeſſione mea & manifeſtum ſit, quàm juſtè hoc nomine me reprehendas per prophetam tuum, & quàm ſanctè judicia mihi denuncies ac denunciata exſequaris: hæc verba à ſingulari Davidis cauſa ad generalem theſin optimè Paulus accommodat, Rom. 3. 4. [b] *Hebr. in loqui tuo.* [c] *Heb. in judicare tuo.* [9] amplificatio confeſſionis de peccato à naturali labe & tota anteacta vita inde ab utero, quaſi dicat, quid verò hæc tantùm maleficia confiterer coram Deo, & liberationem ab eo peterem? imò verò inde ab ortu meo reus ſum primùm quidem peccati originalis, hoc verſu; deinde etiam operum illius peccati habitantis in me, effectorum contra naturam, voluntatem, & legem tuam quam declarâſti mihi, ſequente verſu: à quibus omnibus peccatis mundari expeto per miſericordiam tuam. Sic pſalm. 119. 67. & Cant. 1. 6. [10] i. iniquitatis & peccati reus ſum in utero formatus & fotus: hæc enim non ad formam conceptus formationis, & fotus: ſed ad fœtus conſtitutionem pertinent. [11] i. vera & ſyncera voluntate ſequendi tui: nam voluntatis & cupiditatum ſedes in ſcriptura renibus ferè tribuitur, nonnunquam præcordiis (nam, ait Tullius lib. 1. Tuſcul. quæſt. ſubter præcordia cupiditatem locavit Plato) ut ſapientiæ & intelligentiæ ſedes cordi: ſic integritatem ſingularum animæ partium quam Deus imperat, opponit corruptioni ſuæ, quam ſuperiori verſu confeſſus eſt. [12] i. aſpergito me ſanguine æterni illius ſacrificii Chriſti quod figurabatur lege, Levit. 14. 7. & Num. 19. 18. ſynecdoche. [13] tertium membrum poſtulati primi, ut obſervatum eſt ſuprà verſ. 3. [14] ego ipſe exſultem, quem tu ſeveriſſimè atteris tum conſcientia graviſſimi peccati mei, tum horrore judiciorum quæ denuncias mihi. [15] iteratio poſtulati primùm de abolendo peccato, hoc verſ. ſecundò de gratia Dei communicanda, cujus effecta ſunt inſtauratio & confirmatio noſtri, inſtrumentum verò communicatio ſpiritus, poſtremò de lætitia & pace in ſpiritu; ut obſervatum eſt ſuprà in verſ. 3. Cauſa autem ſecunda verſ. 15. exponitur. [d] *Heb. cor.* [16] à peccatis, quæ abjecturus & deleturus es. [17] i. conſtantem, qui non dimoveatur in poſterum ab obſequio tuo. [e] *Heb. in medio mei.* [f] *Heb. ſanctitatis tuæ.* [18] i. quo ingenuè ſentiam & prædicem me eſſe filium Dei, & in libertate ſpiritus ambulem: quamobrem idem ſpiritus adoptionis dicitur, Rom. 8. 15. [19] ſecunda cauſa: proximorum ædificatio. [20] i. ſuppliciis capitalibus, quæ ego ipſe meis ſceleribus ſum promeritus. [g] *Heb. à ſanguinibus.* [21] tertia cauſa: gloria Dei, promovenda duobus modis, prædicatione, hîc & ſequente verſu, & ſanctificatione animi ſtudioſoque obſequio, quo ſiſtunt pii corpora ſua hoſtiam vivam, ſanctam, & acceptam Deo, Rom. 12. 1. verſ. 18. & 19. [22] i. his beneficiis des materiam novam laudandi nominis tui: ut pſalm. 40. 4. [23] i. non ſunt animantium ſacrificia in quibus conquieſcit animus tuus: ſed noſtræ ipſorum hoſtiæ in Chriſto. [24] i. hoc unum eſt inſtar ſacrificiorum omnium, imò longe ſuperat. [25] id eſt, accepta Deo, ut ſequentia explicant. [26] i. velut comminutus & dejectus ſuæ infirmitatis & indignitatis conſcientia.

[27] i. æquiſſimo animo accipis: [28] altera pars pſalmi, concluſio à petitione boni publici; cujus rationem David neglexerat, quum peccato ſuo provocaret Deum, & populum ejus gladio inimicorum exponeret: quod allegoricè cum labe murorum comparatur: quia fideles ſunt lapides vivi in domo Dei, 1. Pet. 2. 5. [29] altera pars concluſionis, votum de legitimis & acceptis Deo ſacrificiis offerendis: quæ tunc quidem pro ritu ceremoniarum legalium offerebantur, nunc verò ſpiritu exhibentur in Chriſto. [30] vide pſalm. 4. 6.

## PSALMUS LII.

*David Doegum accuſatorem reprehendit ſcelerati facinoris, animi & mendaciorum nomine: Dei judicia denunciat: Eccleſiæ gratulationem prædicat: & fide gloriatur ſe benignitate Dei fretum tandem aliquando in Eccleſia officia fidei præſtiturum Deo.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ, [1] *ode* didaſcalica
Davidis:
2 ‖ Quum veniens Doëg Adomæus nun-
ciâſſet Schauli, & dixiſſet ei; adivit David do-
mum Achimeleci.
3 [2] Quid te jactas in malo, ô potens? [3] beni-
gnitas *Dei* fortis omni die *perdurat*.
4 Ærumnas ex cogitatas *a* depromis lingua
tua; [4] ſimilis *eſt* novaculæ acutæ, ô artifex doli.
5 Diligis malum potiùs quàm bonũ; [5] men-
dacium quàm loqui juſtitiam, *diligis* vehe-
mentiſſimè.
6 [6] Dilexiſti omnia verba *b* pernicioſa, lin-
guam doloſam.
7 Etiam *Deus* fortis [7] demoliturus eſt te in
æternum; [8] abripiet te, & [9] avellet te à tentorio;
eradicabitque te è terra viventium vehemen-
tiſſimè.
8 [10] Quod videntes juſti, [11] reverebuntur;
& de iſto ridebunt, *dicentes*:
9 Ecce virum illum, qui non propoſuerat
Deum robur ſuum; ſed confidebat amplitudi-
ni divitiarũ ſuarum, roborabat ſe in ſubſtan-
tia ſua.
10 [12] Ego verò ut [13] oliva virens in domo
Dei, confido benignitati Dei in ſeculum &
ſempiternum;
11 [14] Celebrabo te in ſeculum quòd feceris
*iſta*: [15] & exſpectabo nomen tuum, quia bonus
*es*, coram eis quos benignitate proſequeris.

[1] conſtat ex tribus partibus: reprehenſione & comminatione adverſus Doëgum, uſque ad verſ 8. prædicatione lætitiæ quam pii percepturi ſunt ex judicio Dei, ad 10. uſque: ac poſtremo gloriatione fidei, quã animo percipiebat David, quum nondum ex calamitatibus emerſiſſet, duobus ultimis: occaſio explicatur ſecundo verſu. ‖ 1. *Sche.* 22. 9. [2] prima pars: increpatio, continet primùm reprehenſioné, tribus verſibus: deinde vero denunciationem juſti judicii Dei, verſ. 6. & 7. Reprehenſionis loci ſunt tres: pertinax maleficentia, hoc verſ. cogitatio, & ſermo ver. 4. & 5. [3] amplificatio pervicaciæ qua utebatur Doëg, à comparatione perſonæ & conſiliorũ Dei. q. d. fruſtrà laboras, utcumque glorieris: nam neque tu Deum expugnare potes, utcumque potens ſis: neque tua improbitas benignitatem Dei perrumpere. [a] *Heb. excogitas lingua tua.* [4] ita ſaucias & occidis linguâ, ut culter raſorius ſecat: ſimilitudo elegans, qua exprobrat David occaſionem ſtragis, de qua 1. Schem. 22. 16. & ſeq. [5] nam Schauli graviter conquerenti de ſervis ſuis, quaſi conjurati cum Davide eſſent, aſſentans Doeg indicavit Achimelecum eſſe ex eorum numero. [6] comminationis cauſa paraſcevaſtica ad juſtitiam venturi judicii aſſerendam; quod multis ſimilitudinibus exponitur, ſequente verſu. [b] *Heb. pernicieis, linguam doli.* [7] quamvis excelsè & firmè extructus tibi videaris. [8] ut candentem prunam è medio tollunt artifices, ne damnum afferat: ſecunda metaphora. [9] i. amovebit, & quaſi paxillum reprobum te refiget Deus: ne amplius Schauli miniſtrare & ipſius domum adjuvare poſſis: tertia metaphora. [10] altera pars Pſalmi, ut obſervatum eſt in verſ. 1 [11] i. reverenter Deum colent. [12] concluſio à gloriatione fidei, qua utitur David, oſtendens ſe in mediis calamitatibus ſecurum eſſe certa ſpe ſalutis ſuæ: cujus nomine pollicetur ſe omnia officia fidei exhibiturum Deo. [13] id eſt, florens & fructum præſtantem proferens in Eccleſia, abs qua nunc exſulare cogor. [14] prius officium fidei: laudare Deum ſecundis rebus. [15] alterum officium fidei, ſperare in Deo quum res adverſæ obveniunt.

## PSALMUS LIII.

*Eodem eſt argumento cum Pſalmo* 14.

1 MAgiſtro ſymphoniæ [1] ad pneumaticũ
inſtrumentum, [2] *ode* didaſcalica Davi-
dis.

[1] vide ſup. 5. [2] vide ſuprà Pſalm. 14. qui ut idem eſt argumento, ita etiam plurima ex parte cum hoc verbis conſonat.

2 Dicit

2 Dicit ſtultus cũ animo ſuo, non *eſt* Deus:
corrumpunt, & abominandam perpetrant ini-
quitatem, non *eſt* qui faciat bonum.
3 Deus è cælis proſpectat ſuper filios homi-
num; ut videat an ſit ullus qui intelligat, qui
requirat Deum.
4 Quicumque eſt, receſſit, ſimul putidi
facti ſunt: non *eſt* qui faciat bonum, non *eſt*
vel unus.
5 An non ſibi ſunt conſcii qui dant operam
iniquitati, quòd exedentes populum meum
edunt panem; Deum non invocant?
6 Ibi expaveſcunt pavore, [3] *ubi* non *eſt* pa-
vor: quia Deus [4] diſſipat oſſa *cujusq;* caſtra ha-
bentis [a] [5] contra te: [6] pudefacis, quia Deus
ſpernit eos.
7 O ſi quis det è Tzijone [b] omnimodam
ſalutem Jiſraelis: reducente Jehova reducem
turbam populi ſui, exſultabit Jahakob, lætabi-
tur Jiſrael.

[3] i. ubi nulla apparet expaveſcendi cauſa, q. d. à Deo nihil metuunt, ab hominibus metuuntur, & tamen ſuis terroribus & conſcientiæ ſtimulis agitantur.
[4] i. penetrat & pertingit uſque ad intimas illorum partes, & valentiſſimas diffringit.
[a] *Heb. tibi.*
[5] apoſtrophe ad populum Dei.
[6] eos qui populum Dei fuiſſent pudefacturi: ut Pſalm. 14.
[b] *Heb. ſalutes.*

## PSALMUS LIV.

*David à Ziphæis proditus Deum orat pro ſalute ſua, & ſceleratorum exitio: deinde promittit ſe accepto hoc beneficio ampliùs culturum & prædicaturum Deum.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ [a] fidium, [1] *ode* di-
daſcalica Davidis.
2 ‖ Quũ venientes Ziphæi dixiſſent Schau-
li, an non David latitat apud nos?
3 [2] Deus propter nomen tuum ſerva me, &
fortitudine tua cauſam meam age.
4 Deus audi orationem meam; aurem ad-
verte ad ſermones oris mei.
5 [3] Nam [4] exteri inſurgunt in me, & violen-
ti quærunt [b] vitam meam: non proponunt
Deum ſibi maximè.
6 [5] Ecce, Deus adjuvat me: Dominus [6] *eſt*
inter eeos qui ſuſtentant vitam meam.
7 [7] Redde iſtud malum [8] obſervatoribus
meis, [9] per veritatem tuam ſuccide eos.
8 [10] [c] Liberaliter ſacrificabo tibi; celebrabo
nomen tuum Jehova, quia bonum eſt,
9 [11] Quia ab omni anguſtia liberat me, &
inimicos meos [12] aſpicit oculus meus.

[a] *Heb. in pulſationibus: ut Pſal. 4.1.*
[1] i. ad documentum eccleſiæ propoſita. Eſt autem generis διδακτικοῦ. conſtás ex duabus partibus; petitione, uſque ad ver. 8. & concluſione votiva, duobus ultimis: occaſio verò indicatur ſecũdo verſu.
‖ *1. Schem. 23.19.*
[2] hujus precationis capita ſunt duo; unũ, pro ſalute ſupplicis, his duobus verſibus; alterum, pro ſupplicio adverſariorum, verſ. 7. quibus precationis capitibus interſeruntur cauſæ. [3] prior cauſa precationis à perſona adverſariorum. [4] i. qui utcumque Jiſraelitæ ſint ſecundùm carnem & profeſſionem externam, operibus tamen oſtendunt ſe à Deo, & à religione, & ab omni humanitate alienos eſſe; prout ſequentia verba docent. [b] *Heb. animam: ſic verſ proximè ſequente.* [5] ſecunda precationis cauſa, fides Davidis præſentiſſima in veritatem promiſſionum Dei, quam deinde eventus ipſe à Deo confirmavit, quum Schaul fuit per nuncium revocatus, 1. Schem. 23.27. [6] i. adſiſtit mihi, & comitatui meo. [7] ſecundum precationis caput in adverſarios.
[8] i. in omnes qui me obſervant ut maleſaciant mihi. [9] id eſt, fidem & conſtantiam in præſtandis promiſſionibus tuis, atque judiciis.
[10] concluſio votiva agnoſcendi Dei, & prædicandi beneficia ejus.
[c] *Hebr. in liberalitate.* [11] prout hæc duo capita precatione continentur, ſup. verſ. 3. & 7. [12] i. per nomen tuum ita confirmor, ut in eos intrepidè oculos meos configam & faciem opponam: ſic inf. 59.11.

## PSALMUS LV.

*David orta Abſchalomi conſpiratione, Deum orat pro ſalute ſua & adverſariorum ruina ac confuſione: deinde ſeipſum de utriuſque rei eventu confirmat partim à fide ſua & experientia beneficiorum Dei; partim ab aliorum impietate & inhumanitate: poſtremo ſe & omnes ſuo exemplo conſolatur.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ [a] fidium, [1] *ode* di-
daſcalica Davidis.
2 [2] Auribus percipe, ô Deus, orationem
meam, & ne abſcondas te à deprecatione mea,
3 Attende ad me, & exaudi me; [3] plango in
meditatione mea & perſtrepo;
4 Propter vocem inimici, propter angorem
improbi: quia avertunt in me iniquitatem, &
[b] irati inteſtino odio proſequuntur me.
5 [c] Animus meus dolet in me, & terrores
mortis accidunt mihi:
6 Timor & tremor invadit me, & obtegit
me horror:
7 [4] Adeò ut dicam, ô ſi quis daret mihi alã
velut columbæ, evolarẽ ubi habitare poſſem.
8 Ecce, quàm [d] longiſſimè evagarer, com-
moraturus in deſerto, [5] vehementiſſimè.
9 Maturarem effugium mihi; [6] à vento [e]
rapidiſſimo, à turbine.
10 [7] [f] Perde, Domine, divide linguam eo-
rum; [8] nam video violentiam & contentionem
in civitate:
11 Interdiu & noctu circumdant eam *ver-
ſantes* in muris ejus; iniquitaſque & perverſi-
tas in medio ejus *ſunt*:
12 Ærumnæ *ſunt* in medio ejus, & non re-
cedunt à platea ejus fraus & dolus.
13 [9] Non enim [10] inimicus probro afficit me,
quod [11] ferrem; non oſor meus adverſum me
ſe attollit: à quo me abſconderem:
14 [12] Sed tu mortalis [g] par mihi, [13] dux meus
& [h] familiaris meus,
15 Qui pariter dulce inibamus [i] conſilium,
in domum Dei ibamus cum frequentia.
16 [14] Aget exactorem mors [k] invadens eos,
deſcendent [15] *in* ſepulcrum vivi: [16] nam mala
*ſunt* in commoratione ipſorum, in medio ipſo-
rum.
17 Ego Deum inclamabo, & Jehova ſerva-
bit me.
18 [17] Veſpere & manè atq; meridie medita-
bor & perſtrepã, donec audiverit vocem meã.
19 [19] Redemit [l] vitam meam ne belligerent
in me, *collocans* in pace: quando *multis copiis
belligerabant*, [19] fuerunt penes me.
20 Audiet Deus fortis, & [20] conteſtabitur
iſtos, [21] ut permanet in æternum, vehementiſſi-
mè; quibus non *ſunt* [22] mutationes, neque ti-
ment Deum:
21 *Quorum quiſq;* extendit manus ſuas in [n]
colentes pacem ſecum, [23] profanat fedus ſuũ;
22 Cujus blanda ſunt, [o] butyrina verba, dũ
bellum *inſidet* [p] animo ejus: cujus molliora
*quidem* verba oleo, ſed [24] ſtricti gladii ſunt.
23 [25] Reijce in Jehovam *quicquid* dat tibi, &
ipſe ſuſtentabit te: non permittet unquam ju-
ſto ut dimoveatur.

[a] *Hebr. in pulſationibus: ut ſupr. 4. & 54.*
[1] conſtat ex duabus partibus univerſè: prior eſt forma orationis quam habuit, quũ à filio Abſchalomo inita eſt conſpiratio & primùm commota, uſque ad verſ. 16. poſterior eſt doctrina prophetica quam ipſe adhibuit ad conſolationem ſuam & documentum eccleſiæ, ad finem uſque.
[2] oratio bipertita eſt: primùm enim agit de perſona ſua, uſque ad ver. 10. deinde verò de perſona inimicorum; uſque ad 16. & utrique parti ſuas adjungit cauſas.

[3] cauſarum explicatio, quæ reſpiciunt partim ad mala, quæ inferebant adverſarii, verſ. ſequent. partim ad humanam imbecillitatem ipſius, verſ. 5. & ſequent.
[b] *Heb. in ira.*
[c] *Heb. cor meum dolet in medio mei.*
[4] Amplificatio calamitatis ab optato hypothetico, quod ſeq. verſib. exornatur.
[d] *Heb. elongarem vagari.*
[5] vide ſupr. in Pſal. 5.3.
[6] i. à repentino hoc & vehemẽtiſſimo motu.
[e] *Hebr. profectionis, id eſt, quo omnia diſpelluntur, & quaſi proficiſcuntur ipſius impetu.*
[7] ſecundum membrum orationis, imprecatio contra inimicos, figurata duobus judiciis; uno Dathani & Abirami quos abſorbuit terra, Nu. 16. altero, priſcorum qui turrim Babelis volebant exſtruere. quaſi dicat, extermina ipſos, aut conſilia eorum pro ſapientia tua.
[f] *Heb. abſorbe.*
[8] cauſa imprecationis: primùm à communi improbitate quæ indigniſſimè invaleſcebat in civitate ſancta, duobus verſibus ſequentibus; deinde à ſingulari perfidia & ingrato Achitophelis animo tribus reliquis.
[9] confirmatio improbitatis publicæ quam modo dixit, à ſummo auctore & moderatore conſpirationis; cujus indignũ facinus exaggerat graviſſima antitheſi, hîc & duobus ſequentibus verſibus. [10] i. qui juſtas aut apertas inimicitias exercuiſſes contra me.
[11] leniter & æquo animo. [12] apoſtrophe ad Achitophelem, indignitatem rei amplificans. [g] *Heb. ſecundum æſtimationem mei, id eſt, apud me & apud omnes æſtimatus quanti ego ipſe. 2. Schem. 16.23.* [13] i. princeps conſilii mei.
[h] *Heb. notus meus.* [i] *Heb. ſecretum.* [14] altera pars Pſalmi prophetica, exponens improborum exitium & ſalutem bonorum: quæ duo per prolepſin poſita hoc & ſequente verſu, pòſt copioſius explicantur. Eſt autem Decipiet metaphoricè dictum, pro eo quod eſt Inopinantes opprimet, & fraudabit conſiliis.
[k] *Heb ſuper eos* [15] vide ſuprà in 49.15.
[16] i. tum pleni ſunt ipſi, tum undique circumfluunt malitia & maleficiis.
[17] amplificatió ſui erga Deum officii à circumſtantia temporis, formâque & aſſiduitate precum. quaſi dicat, nunquam ceſſabo importunus eſſe: ſynecdoche. vide in Dani. 6.11.
[18] confirmatio ſuperioris officii & perſeverantiæ erga Deum ab anteacta experientia. [l] *Heb. animam meam.*
[19] i. dediti ſunt mihi à Domino redemtore meo: ut Pſalm. 18.
[20] tranſitio ad priorem partem prolepſeos, de qua ſup. verſ. 16.
[21] i. qui natura, conſilio, judiciiſque æternus eſt, & ſemper ſui ſimilis.
[22] i. qui nullo pacto ad bonam frugem revocari poſſunt: adeò obduruerunt in contemtu Dei: ita deſcribit illos primùm ab obſtinata impietate, hoc verſ. deinde ab inhumanitate, ſequente verſ. poſtremò à perverſiſſima hypocriſi & vulpino animo, verſ. 22. [n] *Heb. pacatos ſuos.* [23] i. frangit, quum primùm videtur commodum. [o] *Heb. butyrina oris.* [p] *Heb. cordis, ut ſup. verſ. 5.*
[24] i. lethalia verba: metaphora. [25] concluſio hortatoria, qua oſtendit pſaltes uſum fidei, quæcumque eveniunt accepta ferentis Deo, & illius adminiſtrationi committentis; prout ſecura eſt piorum fides de promiſſione ejus, quæ continetur altera parte verſus.

24 [26] Tu itaque Deus, detrudes iſtos in [27]
puteum corruptionis: homines *q* ſanguinarii
& doloſi nõ perducent ad dimidiũ dies ſuos;
ego verò confidam tibi.

[26] accommodatio ſuperioris theſeos ad præſentem cauſam, qua oſtendit David ſe jam animo, per fidem percipere ruinam adverſariorum, & ſalutem ſuam. [27] i. in ſepulcrum: periphraſis. q *Heb. ſanguinum & doli.*

## PSALMUS LVI.

*David à Schaulis perſequutionibus veniens in Peliſchthæorum manus, Deum orat pro ſalute ſua fidei ſuæ & innocentiæ nomine, & pro adverſariorum exitio: fidem ſuam in Deum prædicat: & ei laudem tribuit de acceptis promiſſionibus, quarum complementum exſpectabat.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ, de *anima* [1] vim patiente à manipulo longinquorum, inſignis *ode* Davidis: || quum prehenderent eum Peliſchthæi Gathi.
2 [3] Gratiam fac mihi, Deus, nam [4] anhelus
perſequitur me mortalis; toto die oppugnator
opprimit me.
3 *Nam* anhelant obſervatores mei toto die:
quia [5] multi *ſunt*, *è* ſublimi [6] propugnatores *adſunto* mihi.
4 [7] *Qua* die timebo, ego in te confidam.
5 In Deo laudabo [8] verbum ejus; in Deo
confidam, nõ timebo: quid faciat [9] caro mihi?
6 [10] Toto die [11] rebus meis dolorem afferunt, contra me omnes cogitationes eorum ad
malum *ſpectant*.
7 Conveniunt, deliteſcunt ipſi; veſtigia
mea obſervant, ut qui expetunt *a* vitã meam.
8 [12] Pro iniquitate parito eis, in ira populos
dejice Deus.
9 *b* Tu vagationes meas in numerato habes: [13] pone *quamque* lacrymam meam in utre
tuo; an non *eſſent c* in numerato tibi?
10 [14] Tunc revertentur inimici mei retrorſum, qua die clamabo; hoc ſcio, Deum *aſſore*
mihi.
11 [15] In Deo laudabo verbum, in Jehova
laudabo verbum.
12 In Deo confido, non timebo: quid faciat homo mihi?
13 [16] Mecum *erunt*, ô Deus, vota tua; perſolvam gratiarum actiones tibi.
14 Nam eripis animam meam à morte, [17] an
non pedes meos à lapſu *eriperes*? ut indeſinenter ambulem coram Deo in luce hujus vitæ.

[1] hãc inſcriptionem multis modis ab interpretibus acceptam eſſe conſtat: ſed quia non meminimus alibi præfigi ſacris cantionibus titulos (ut vocant) allegoricos, & videtur incommodum inſcriptiones ipſis argumentis obſcuriores adhibere: placuit magis has voces ſimpliciter interpretati, prout ad argumentum pſalmi accommodatius viſum eſt. Nam etſi primam vocem ferè columbam interpretati ſunt; certum eſt tamen eſſe alteram quoque propriam & naturalem ſignificationem ejuſdem vocis, prout interpretati ſumus, ut Tzephanjæ 3.1. Senſus igitur eſt, hunc pſalmum formam orationis eſſe omnibus piis traditam, quicumq; procul à ſuis verſantes injuriam ab exteris patiuntur; qua conditione erat David quum prehenderent eum Peliſchthæi. [3] ut pſalm. 16.1. Eſt autem ode εὐκτικὴ καὶ ἐπαινετικὴ, conſtans ex duabus partibus, precationis & laudis, conſtructis ordine Amœbæo, & concluſione ætiologica, verſ. ult. || *Schem.* 2. 11. [3] prima pars Odes pro gratia & ſalute à calamitatibus conſequenda, cujus partes ſunt precatio, duobus verſibus; & laudatio, verſ. 4 & 5. precationis membra duo; poſtulatum & cauſa. [4] Schaul & adminiſtri ejus, à quibus fugiebat David, tum Peliſchthæi, ad quos confugerat. [5] nempe inimici obſervantes me.
[6] hunc locum licet vulgò aliter redditum, ſic interpretamur. tum propter Hebraicam diſtinctionem, tum propter conſequutionem verbi pugnare; quod in hac conſequutione ſemper ſignificat propugnare; oppugnare verò nunquam: ut rectè admonet Aben Hezra. [7] prædicatio fidei conſtantis omni tempore, quæ eſt ſequentis laudationis argumentum. [8] i. promiſſionem quaſi dicat, quamvis non illico extorem promiſſionis complementum; tamen peræque in Deo gloriari poſſum, fretus promiſſionibus ejus [9] i. ullus homo: ut infrà verſ. 12. & Jeſchahjæ 31. 3. [10] ſecunda pars odes, imprecatio adverſus hoſtes, quæ continetur verſ. 8. Circummunitur autem duabus cauſis: una eſt ab adverſariorum improbitate, ver. 6 & 7. Secunda à fiducia ſupplicis in benevolentiam & promiſſionem Dei. verſ 9. & 10. [11] i. res meas efficiunt moleſtas mihi. a *Heb. animam.* [12] id eſt, facito ut ipſis laborioſa & ærumnoſa ſit ſua iniquitas: nam iſtos labores, iniquitatis pœnas, modò parere dicitur Deus ut illorum auctor; modò improbus ipſe, qui ſibi ſua improbitate generat malum: ut pſal. 7. 15. ſic accipitur idem verbum Micæ 6. 14.
b *Heb. vagari meum.* [13] id eſt, ne patiaris inaniter in terram decidere: humanitus dictum. c *Heb. in numeratione tua.* [14] glorioſa fidei prædicatio, ut ſupr. verſ. 5. amplificata per congeriem.
[15] id eſt, non tantùm celebrabo verbis, ſed etiam reipſa quemlibet voluntarium & legitimum cultum præſtabo.
[16] concluſio ætiologica ſuperiorum: qua oſtendit pſaltes ſe hæc officia præſtiturum meritò: quia pii è manu inimicorum ſuorum liberantur, ut ſine metu ſerviant Deo cum ſanctitate & juſtitia in ipſius conſpectu, cunctos dies vitæ ſuæ, Luc. 1. 74.
[17] confirmationis formula Hebræis frequens: ut Geneſ. 13. 9.

## PSALMUS LVII.

*David Schaulem fugiens, gratiam & ſalutem à Deo petit, fidem ſuam profitetur, exponit adverſariorum improbitatem; & propter gloriã Dei judicia ejus confici poſtulat ad ſalutem ſuam, illorumq; exitium.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ; [1] ne perdas, Davidis ode inſignis: quum fugeret metu
Schaulis [2] in ſpeluncam.
2 [3] Gratiam fac mihi Deus, gratiam fac mihi, [4] nam ad te ſe recepit anima mea; & [5] ad
umbram alarum tuarum me recepturus ſum,
donec tranſiverint ærumnæ.
3 Invocabo Deum excelſum, *Deum* fortem perficientem erga me.
4 Mittet è cælis ut ſervet me, afficiens eum
probro qui me anhelus perſequitur vehementiſſimè: Mittet Deus benignitatem ſuam, &
veritatem ſuam.
5 [6] *a* Ego inter [7] immanes leones *ſum*, jaceo
*inter* [8] incendiarios; *inter b* homines, quorum
dentes haſtæ & ſagittæ *ſunt*, & quorum lingua
*eſt* gladius acutus.
6 [9] Exaltare ſupra cælos, ô Deus, ſuper totam terram gloriâ tuâ.
7 [10] Rete aptaverant greſſibus meis, [11] curvaverat animam meam; *quam* foderant ante
me foſſam, [12] cadunt in eam vehementiſſimè.
8 [13] Erecto *c* animo meo, ô Deus; erecto animo meo, canam & pſallam, *dicens*;
9 [14] || Evigila [15] gloria mea: evigila nablium
& cithara; [16] expergefaciam *inde ab* aurora;
10 Celebrabo te in populis Domi[illegible], pſallam te in nationibus:
11 Magnam *eſſe* uſque ad cælos benignitatem tuam, & ad ſuperiores uſque nubes veritatem tuam.
12 [17] Exaltare ſupra cælos, ô Deus; ſuper totam terram gloriâ tuâ.

[1] His verbis ſũma petitionis exponitur quæ pſalmis hoc modo inſcriptis continetur; hoc eſt, genus pſalmi eſt ἀπευκτικὸν, ſive (ut ita loquamur) deprecatorium mortis & perditionis, quæ tunc temporis Davidi imminere videbatur: ſic etiã pſalmis ſequentibus.
[2] quæ erat in deſerto Hengedi, 1. Schem. 24. Sunt autem hujus odes partes in univerſum duæ: petitio, v. 2. & petitionis argumenta, quibus ſuo loco ſubjicitur Amœbæus verſus ſummum petitionis finẽ explicans, verſ. 6. & ult.
[3] petitio vehementiſſima, qua oſtendit David fontem liberationum & ſalutis noſtræ.
[4] primum petitionis argumentum à fide in Deum, hoc vet. & oratione fidei, verſu ſequente: ex quibus oritur certa illa prædicatio venturæ liberationis ſuæ, & judicii in adverſarios verſ. 4. [5] id eſt, & nunc confido & ſemper confidam: metaphora à pullis ſub matre deliteſcentibus donec milvus tranſiverit.
[6] exaggeratio petitionis ab immanitate periculi quo circumcludebatur David: quamobrem cruentos adverſariorum animos, conſilia, & conatus elegantiſſimis comparationibus explicat. a *Heb. anima mea: ut Num. 23. 14.*
[7] Schaulem & copias ejus furentes adverſus Davidem. [8] id eſt, ardeliones aulicos, qui regis animum irritabant inflammabantque mendaciis: ut ipſe apud Schaulem expoſtulat, 1. Schem. 24. b *Heb. filios hominis.*
[9] verſus Amœbæus, exponens ſummum petitionis finem. nimirum gloriam Dei conjunctam ſalute ſupplicis. [10] ſecundum argumentum petitionis à fraude, vi, & improbitate adverſariorum: ad quas reſpiciens David ruinam illorum prædicat. Sunt autem omnes hæ deſcriptiones allegoricæ, ut alibi ſæpè.
[11] Schaul cum ſuis, quaſi dicat, me jam retibus ita conſtrinxerat, ut videret mox corruiturus eſſe. [12] id eſt, ipſi juſto Dei judicio impelluntur, eò quò putabant me ruiturum præcipitem: ſic pſalm. 7. ſub finem.
[13] tertium petitionis argumentum à ſummo fine, qui eſt gloria Dei & illius prædicatio. Erectum autem animum vocat per antithesin, quem Deus reſtituit è laqueis quorum violentia ſe incurvatum fuiſſe confeſſus eſt David, ſuperiore verſu. c *Heb. corde.* [14] forma laudationis continens exordium proſopopœeticum hoc verſ. propoſitionem, ſequente: & confirmationem, verſ. 11.
|| *Pſalm.* 108. 2. [15] ut ſupr. 16. 9. [16] i. adeò cantu meo perſonabit orbis, ut populos excitem, quos nominat ſeq. verſ. [17] verſus Amœbæus, ut ſup. verſ. 6.

## PSALMUS LVIII.

*David aulicos innocentiã ipſius apud Schaulem nefariè traducentes increpat injuſtitiæ, improbitatis, & pertinaciæ nomine: graviſſima Dei judicia imprecatur illis, venturaq; confirmat: ac poſtremo piorum lætitiam, pacem, & ſalutem conjunctam gloria Dei prædicat.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ, [1] ne perdas; Davidis [2] *ode* inſignis.
2 [3] An revera, [4] ô manipule, juſtitiam lo-

[1] ut ſup. pſal. 57. [2] hujus odes ſcopus eſt ἀπευκτικὸς, ubi deprecatur David periculũ quod ſibi à Schaule & aſſeclis ejus impendere videbatur. Partes ſunt tres: prima eſt reprehenſio & objurgatio adverſariorum, uſque ad verſ. 7. ſecunda, imprecatio contra viros illos præfractos & obfirmatos in ſua improbitate, uſque ad verſ. 10. tertia, concluſio à fine judiciorum Dei, tribus verſ. ult. [3] objurgationis adverſariorum loci ſunt duo; prior eſt inficiatio, hoc verſ. qua ipſorum conſcientiam appellans David negat ineſſe boni quidquam illorum animis; poſterior, affirmatio & explicatio malæ illorum mentis, conſilii & facti, verſ. ſeq.
[4] i. aulicorum cœtus in Davidem conſpirans; qui quum Schauli à conſiliis eſſent, juſtum, æquum, & bonum procurare debuerant.

quimini?

quimini? quę recta *sũt* judicatis, filii hominis?
3 [5] Quin etiam ex *a* animo iniquitates operamini; in hac terra violentiam manuum ve-
ſtrarum [6] appenditis.
4 [7] Abalienant ſe improbi inde à vulva, aberrant inde ab utero loquentes mendacium:
5 [8] Venenum *eſt* illis *b* ſimile veneno ſerpentis, [9] ſicuti aſpidis [10] ſurdæ obthurantis aurem ſuam.
6 Quæ non auſcultat voci [11] muſſitantium; utentis incantationibus peritiſſimi.
7 [12] O Deus, [13] deſtrue dentes eorum in ore ipſorum; molares juvenum leonum demolire Jehova.
8 [14] Liquefiant ſicut aqua, *c* indeſinenter abeant; [15] intentantis ſagittas ſuas, [16] tamquam in ſpicas abeant *ſagittæ*.
9 [17] Sicut limax [18] liqueſcens abeat *quiſque*,
[19] *ut* abortus mulieris, *ut qui* non viderunt ſolem.
10 [20] Quum [21] nondum *d* ſentientur ſpinæ
veſtræ, [22] *ſpinæ* cynoſbati: [23] tam redivivam, quàm aduſtam procellet *e* quamque.
11 [24] Lætabitur juſtus, quum viderit ultionẽ; [25] pedes ſuos lavabit in ſanguine improbi.
12 Dicetq; homo, utique *eſt* fructus juſto; utique eſt *f* judex in terra.

5 tranſitio ad alteram objurgationis partẽ per correctionem. a Heb. corde. 6 i. nullam recti (cujus mentionem fecerat ſuperiore verſ.) rationem habetis; ſed omnia libratis atque ponderatis ad uſum violẽtiæ veſtræ. 7 amplificatio malitiæ & improbitatis quam ſuperiore verſ. exprobravit, primùm à naturali & ingenita illorum corruptione, quæ poſita eſt in alienatione & aberratione à Deo, hoc verſ. deinde ab obſtinato illorũ ſtudio ſe ipſos confirmandi in malo & avertẽdi à bono, duobus ſequent. 8 allegorica improbitatis obfirmatæ deſcriptio, ut Deut. 32. 33. b Heb. ſecundum ſimilitudinem veneni, &c. 9 hoc eſt, quorũ mala ſunt incurabilia, præterquàm ſi confeſtim partes contractæ amputentur, ut loquitur Plinius lib. 8. cap. 23. 10 i. callidè agentis adverſus incantamenta, ut ſequentia exponunt: nam autem utramque ab ea obthurari, alteram in terram defigendo, alteram extrema ſui parte contegendo atque occludendo, teſtes ſunt in hunc locum Hieronymus, Auguſtinus, Caſſiodorus, & alii.
11 i. carmina ſua ſubmiſsè enunciantium ad incantandum eam; quod ſtudiũ carminum ne quis hoc loco à Davide comprobari pater, ipſis interdicti verbis diſertè utitur quæ poſuit Deus Deut. 18. 11. Nam faſcinatores illi Hebræa appellatione nominantur conſociantes ſocietatem, quia diaboli ſocietatem ad artes ſuas adhibent. 12 ſecunda pars pſalmi: imprecatio, ut obſervatum eſt in verſ. 1. quæ tota allegoriis deſcribitur. 13 id eſt, omnia quibus offendunt media illis adime; ſive illis cominùs offendant, hoc verſ. & initio ſequentis, ſive eminus, ut in fine ſequentis verſ. ponitur: primus imprecationis locus.
14 dentibus nimirum comminuti, ut ſuperiore verſ.
c Heb. abeant ſibi, ut Gen. 11. 33. 15 i. qui ſemper comparatus eſt & inſtructus armis ad jaculandum contra rectos corde, ut pſal. 11. 2. 16 i. inepta ad nocendum & irrita efficiantur tela eorum, perinde atque ſi ſpicas tritici adhiberet ſpiculorum loco: verbum enim Hebræum, quod hac conjugatione hîc tantùm legitur, ita accipimus, referentes ad conjugatam vocem quæ legitur Deut. 23. 25.
17 alter imprecationis locus in perſonas ipſas, duobus verſibus.
18 quo tempore nimirum è concha egreditur; tum enim hebeteſcit; exſpiratque detracta teſta, ut docet Ariſtoteles libro quinto de hiſtoria animalium, c. 32.
19 vide Ijobi 3. 16. 20 Concluſio prophetica, tum judiciorum Dei adverſus improbos, hoc verſu, tum rerum conſequentium, nimirum lætitiæ & pacis per ſpiritum ad Eccleſiam Dei ex judiciis ejus perventuræ, duobus ſeq.
21 i. ſtatim à principio, antequam potueritis nocere graviter: apoſtrophe ad improbos. d Heb. ſentient: imperſonaliter. 22 i. ſummè aculeatæ & noxię. quaſi dicat, antequam à vobis experiantur mala. 23 i. omnes omnino inde à principio, quum in malitia ſua quaſi vernare inceperint. Nam vernante primùm cynoſbato aliæ ſpinæ ſunt redivivæ, aliæ exſuccæ aridæque. Sic ab enumeratione ſublaturus omnia dicitur Dominus. e Heb. eum.
24 alterum membrum concluſionis de lætitia, ſalute & pace eccleſiæ, ac prædicatione majeſtatis & gloriæ Dei. 25 i. proculcabit eos & triumphabit victor in Chriſto hyperbole. vide Malachi ultimo, de argumento hujus & ſequentis verſ. f Heb. judices: ut Jehoſchu. 24. 19.

## PSALM. LIX.

*David ab adminiſtris Schaulis circumventus, liberationem à Deo petit, tum ſuæ fidei & innocentiæ, tum improbitatis adverſariorum nomine; quorum improbitate deſcripta, illis imprecatur quod ad gloriam Dei futurum erat, & ſe Dei laudes grato animo prædicaturum profitetur.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ, [1] ne perdas, Davidis [2] ode inſignis; ‖ quũ miſiſſet Schaul
qui obſervârunt domum illius, ut morte afficerent illum.
2 [3] Libera me ab inimicis meis, Deus mi; ſupra erigentes ſe contra me extolle me.
3 Libera me ab iis qui operam dant iniquitati, & ab hominibus ſanguinariis ſerva me.

1 ut ſupr. pſal. 57. 1. 2 ode eſt ἀπευκτικὴ, qua deprecatur David imminens ſibi à Schaule malum: conſtat autem ex tribus partibus: propoſitione ſumma poſtulati ſui, verſ. 2. & 3. narratione cauſarum poſtulati, quibus ſubinde petitio interſeritur pro ſe & contra adverſarios, uſque ad ✝. 17. & concluſione eucharistica, duobus ultimis. ‖ Schemuel. 19. 11.
3 petitio duobus verſibus, ut modò dictum eſt.

4 [4] Nam ecce, inſidiantur *a* vitæ meæ, conveniunt contra me robuſti; nulla defectione
mea, nulloque peccato meo, Jehova.
5 Nulla iniquitate *mea* concurrunt & comparant ſe: [5] evigila *venturus* obviam mihi, &
reſpice.
6 [6] Tu ergo Jehova, [7] Deus exercituum, Deus Jiſraelis, expergiſcere [8] ad viſitandum omnes [9] gentes iſtas: ne gratiam facias ullis [10] perfidè agentibus iniquitatem ſummè.
7 [11] Revertuntur veſpere, *b* [12] ganniunt ut canis; & circumdant civitatem.
8 Ecce, [13] eructant ore ſuo, gladio [14] *adhibent* ad labia ſua; nam [15] quis audit? *inquiunt*.
9 [16] At tu Jehova ridebis eos; ſubſannabis omnes iſtas gentes.
10 [17] Robur obtinente illo, te obſervabo; nam Deus *eſt* editus locus meus.
11 Deus benignitatis meæ præveniet me: Deus faciet [18] ut aſpiciam obſervatores meos:
12 [19] Ne occidas eos, ut non obliviſcantur *c* populares mei: exagita eos virtute tua, & dejice eos, clypeus noſter Domine,
13 [20] Peccatum oris ſui: verbum labiorum ſuorum, quando fuerint deprehenſi in ſuperbia ſua; tum [21] præ exſecratione, tum præ macie enarrent.
14 [22] Conſume æſtu, conſume, donec non ſint *amplius*; ut ſciant Deum ſummè dominari in Jahakobo, uſque ad fines terræ.
15 [23] Quum revertuntur veſpere, ganniant ut canis; & circumdent civitatem,
16 Seipſos exagitent [24] ad comedendum,
[25] quum non fuerint ſaturati, tum cogantur pernoctare,
17 [26] Ego verò canam robur tuum, & cantabo in matutinum quodque benignitatem tuam; te fuiſſe locum editum mihi & perfugium *quo* die *fuit* anguſtia mihi.
18 [27] O robur meum, tibi pſallam; Deum eſſe locum editum meum, Deum benignitatis meæ.

4 narratio, ſive cauſarum explicatio ex quibus liberationẽ petebat David: ſunt autem duæ: una à perſona ſupplicis propter innocẽtiam ipſius, his duobus verſibus; altera à perſona adverſariorum ſeq. a Hebr. anima mea. 5 humanitus dictum, id eſt, demonſtra potentiam tuam, ut quam evigilat, reſpicit, &c. cõcluſio prioris ætiologiæ à precatione. 6 tranſitio ad poſteriorem ætiologiã, quaſi continuata precatione, per imprecationem in adverſarios. 7 i. potentia inſtructiſſime, & federe conjunctiſſime. 8 vide Geneſ. 21. 1. 9 i. copias Schaulis, quæ eodem animo Davidem perſequebantur, quo gentes alienæ à populo Dei facturæ fuiſſent. 10 i. qui Deum cultu & Davidẽ honore proſequi ſimulantes, perfidè ea perpetrabant quæ ſequentibus verſibus duobus exegeticè deſcribuntur. 11 i. diſcurſant, ut ſup. verſ. 5. metalepſis. b Heb. perſtrepunt. 12 i. frendunt inter ſe, & ſeipſos ad lacerandum me comparant.

13 i. evomunt & profundunt inter ſe ſermones nefarios. 14 i. præter minas etiam arma capiunt ad efficiendos conatus ſuos. 15 verba ſc. aut conatus percipit: ſynecd. frequens, ſive (ut Donatus vocat) metalepſis. 16 regreſſio ad imprecationem, quæ eſt inde à verſ. 12. ad eam autem tranſitur primùm per affirmationem antithetam, id eſt, ex adverſo reſpondentem impiæ inimicorum confidentiæ, hoc modo: Quis audit? inquiunt, at tu non tantũ audis, verùm etiam audita & perſpecta rides, hoc verſu: deinde per confirmationem fidei ſuæ & exſpectationis ſitæ in Deo, duobus ſequentibus. vide Pſal. 2. 4. ſimile.
17 i. tantiſper dum Schaul potitur rerum. 18 vide ſup. in 54. 9.
19 illico aut eodem momento, ut ratio proximè ſequens, & antitheta imprecatio oſtendunt: ſic alludit hac imprecatione ad ſententiam quam Deus in Kajinum tulit, Gen. 4. 11. & 12. c Heb. populus meus: Syllepſis.
20 i. invitis, ut Kajino, extorqueatur confeſſio nequitiæ ſuæ præ horrore & gravitate judiciorum tuorum, quandoquidem ſponte nolunt reſipiſcere.
21 qua perſequeris eos uſque ad maciem, & quidem tantam, ut corpora eorum contabeſcentia doceant eos confeſſionem peccati ſui. 22 tandem ſc. poſtquam exagitaveris, dejeceris, emaciaveris, & confeſſionem invitis expreſſeris.
23 ſumma repetitio imprecationis, poſito verſu Amœbæo, qui idem eſt cum verſu 7. 24 i. in quærendo cibo. 25 i. fruſtrà quærant cibum illi, & jejuni indormire compellantur. 26 Concluſio εὐχαριστικὴ, ut dictum eſt ſupr. in verſ. 1. 27 antitheton verſ. 10. ſup.

## PSALMUS LX.

*David Syrorum exercitu cæſo Deum contra Edomæos implorat, de prioribus Judæorum calamitatibus expoſtulans: & promiſſis Dei, operibusq; expenſis, ac fide confirmata, exercitum ad ſtrenuè agendum hortatur fretum promiſſionibus Dei.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ, [1] in hexachordis [2] teſtimonii, [3] *ode* inſignis Davidis, ad docendum:
2 ‖ Quum certaret contra Syros *a* Meſopotamienſes, & contra ‖ Syros Tzobæ; & [4] re-

1 vide ſupr. 45. 1. 2 i. Sacerdotum proximè arcam teſtimonij in templo Dei ſubſiſtentium: 3 ode eſt διδακτικὴ, conſtans ex tribus partibus: expoſtulatione, à ✝. 3. uſque ad 7. petitione, à verſ. 7. ad 14. & concluſione hortatoria verſ. ult. ‖ 2. Schem. 8. 13. a Hebr. duorum fluviorum: vide Gen. 24. 10. ‖ 1. Chr. 18. 12. 4 à cæde Syrorum, 2. Schem. 8. 13.

verſus Joab percuſſiſſet Edomæos in valle Sa-
lis [5] duodecies mille.
3 [6] O Deus [7] rejeceras nos, diſruperas nos,
iratus fueras,[8] reſtitue *te* nobis.
4 [9] Commoveras terrã,[10] diffregeras eam;
cura fragmenta ejus, nam [11] vacillat.
5 Feceras ut *b* ſentiret populus tuus *rem* du-
ram, [12] dederas bibendum nobis *tamquam* vi-
num horrorem.
6 [13] Dediſti timentibus te vexillum, *c* quo
utantur; [14] propter veritatem potentiſſimè:
7 [15] Ut liberentur dilecti tui; ſerva dexterâ
tuâ, & exaudi me.
8 Deus loquutus eſt per ſanctitatem ſuam,
[16] exſultabo: *d* in partem obtineo [17] Schece-
mum, & convallem Succotharum metior:
9 Meus Gilhad, & meus Menaſche, Ephra-
jimque, [18] robur capitis mei; [19] Jehuda legiſla-
tor meus.
10 [20] Moab *e* pollubrum meum; ſupra Edo-
mæum [21] projiciam calceum meum: contra
me, [22] Palæſtina, clangentem age.
11 [23] Quis deduceret me *in* civitatem muni-
tam? quis duceret me Edomæam uſque?
12 An non tu, Deus, rejeceras nos; ut non
procederes, Deus, inter exercitus noſtros?
13 Cedò nobis auxilium *tuum* ab *f* hoſte:
alioqui vanitas *eſt g* auxiliatio humana.
14 [24] In Deo faciamus *h* ſtrenuè, & ipſe
conculcabit hoſtes noſtros.

[5] poſtquam Abiſchai frater Joabi prima acie adducta percuſſiſſet Edomæorum ſex millia: quam victoriam Joab perſequutus duodecim millia occidit, qui hic numerantur. Ex his enim numeris collectis aſſurgit numerus octodecim millium, qui illis locis recenſetur. [6] propoſitio ſumma totius pſalmi continens expoſtulationem & petitionem, duobus verſ. è quibus expoſtulatio copioſius deinde ponitur, uſq; ad verſ. 7. petitio vero ſeq. [7] i. defenſionem noſtri, exponẽs nos voluntati inimicorum: vide totum librũ Judic. & 1. Sche. [a] defenſionem, qui ſubduxiſti te. [8] i. populũ tuũ externis bellis exagitaveras. [10] i. ſeditionib. & civilibus diſcordiis diviſum inter ſe populum vexaverat, ut docet hiſtoria 2. Schem. à primo cap. ad 4. [11] i. nutat, & mox ruitura videtur ante acceptarum calamitatum nomine. [b] *Hebr. videret: ſynecdoche.* [12] i. tremore nos inebriaveras. [13] i. populum tuum quem antè afflixeras, tum luce promiſſionum tuarum, tum etiam opere, victoria hac recente contra Syros edita ducendum recepiſti, quaſi præeunte vexillo tuo: ſic à te præſente occaſionem ſumens expoſtulationem terminat, ut ad petitionem porrò benefaciendi commodiùs tranſeatur. c *Heb. ad vexillandum.* [14] i. promiſſionum tuarum conſtantiam & fidem. [15] altera pars pſalmi, petitio, quæ prolepticè hoc verſ. poſita in ſequentib. confirmatur, uſque ad verſ. 13. deinde repetitur eodem verſu. ſunt autem iſtius petitionis argumenta tria: primum eſt à perſona eorum quib. exoptatur ſalus, hoc verſu; ſecundum, à promiſſione Dei, tribus ſequentibus: tertium, ab omnipotentia ejus, qua ſola promiſſiones præſtari poſſunt, verſ. 11. & 2. ſeq. [16] i. triumphaturus ſum de hoſtibus meis in populo meo: quamobrem primùm populum ſuum recenſet glorioſè. duobus verſ. deinde victoriam ſibi pollicetur. [d] *Hebr. partior. pſalm.* 108. 8. [17] cis Jardenem, ut convallis Succotharum eſt trans Jardenem ſita. [18] i. potentia regni mei eſt utraque hæc tribus ex Joſepho orta: attingit enim metaphoram à cornutis animantibus, qua uſus eſt Moſche benedicens Menaſchi & Ephrajimo, Deut. 33. 17. [19] i. jus adminiſtrationis & auctoritatem obtinens in populo Dei, prout perfectiſſimè completum eſt in Chriſto quem olim adumbrabant typi: ſic alludit ad prophetiam Gen. 49. 10 [20] i. adeò deſpectus & abjectus eſt mihi, ut eum liberè diffringam quaſi teſtam; & ſi quos voluero ſervare, ad ſordidiſſima miniſteria cogam: vide 1. Schem. 8. 2. [e] *Heb olla lotionis meæ.* [21] i. audaciter conculcabo: Synecdoche. [22] apoſtrophe ironica: qua exprobrat David antiquam Peliſchthæorum inſolentiam, qui contra Jiſraelitas inde à temporibus Schimſchonis ferociverant: vide Judic. 19. & 1. Schem. 4. & 18. ſic etiam Jeſchah. 15.
[23] nimirum alius præter Deum, qui promiſit, & ſolus eſt omnipotens ad hæc præſtanda? ſic accipiendum eſſe demonſtrat verſus ſequens. [f] *vel anguſtia.*
[g] *Heb. ſalus, ut accipitur. 2. Schem.* 10. 18. [24] concluſio hortatoria ad exercitum, quaſi jam conclamatis armis in procinctu eſſet ad conſerendum manum cum hoſte: ut loquitur Joab 1. Chron 19. 13. [h] *Heb virtutem.*

## PSALMUS LXI.

*David Rex in extremam regionem pulſus auxilium Dei implorat antè acceptorum beneficiorum nomine, regnum Chriſti promoveri & ampliari petit, deinde gratum animum pollicetur Deo.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ *a* fidium,[1] *ode* Da-
vidis.
2 [2] Audi Deus, clamorem meum, attende
orationi meæ.
3 [3] Ab extremitate terræ te inclamo, quum
obruitur *b* animus meus: [4] in rupem *quæ* ſit e-
ditior me deducito me:
4 [5] Nam fuiſti receptus mihi, turris robuſta
*c* adverſus inimicum.
5 [6] Commorabor in tentorio tuo *per* ſecu-
la: [7] recipiam me in occultum alarum tuarum
maximè.
6 [8] Cùm tu, Deus, auſcultaveris votis meis,
dederis hæreditatem *ſuam* reverentibus no-
men tuum:
7 [9] Dies diebus regis ſuperaddito, anni ejus
*ſint* ut *d* multarum generationum.
8 Maneat in ſeculum coram Deo; [10] beni-
gnitatem & fidem præpara *quæ* cuſtodiant eũ.
9 [11] Sic pſallam nomini tuo in perpetuum,
rependendo vota mea *e* quotidiè.

[a] *Heb. in pulſatione fidium.* [1] ode eſt ἐυκτικὴ, ex tribus partibus conſtans; petitione ſingulari pro perſona ſupplicis: uſque ad verſ. 6. petitione publica pro Chriſto & regno ipſius à Davide adumbrato, uſque ad verſ. 9. & in concluſione votiva, verſ. 9. videtur autem hujus odes occaſionem dediſſe Davidis fuga à conſpiratione Abſchalomi, 2. Schem. 15. & 16. [2] prioris petitionis exordium, quæ ſummatim proponitur verſ. 3. [3] nam trajecto Jardene fugerat Machanajima ad fines Jiſraelis, 2. Schem. 17. 24. [b] *Heb. cor.* [4] i. evehito me in tutum, unde inimicos poſſim deſpicere. [5] αἰτιολογία petitionis ab antecedente experientia. c *Heb. à facie inimici.*
[6] brevis concluſio petitionis, à voto fidei atque obſequii. [7] vide Ruth. 2. 12. [8] altera pars, petitio publica comprehenſa verſ. 7. & 8. poſt quam argumentum illius petitionis ab antecedentibus beneficiis Dei erga ſuos expoſitum eſt, hoc ỷ. q. d. hęc duo pignora de regno Chriſti jam nobis data ſunt, nimirum exauditio precum, & hæreditas: quamobrem perge benefacere in Chriſto, &c. [9] i. largire vitam æternam & benedictionum æternitatem per Chriſtum, regnũmque ejus in ſempiternum continua: ut ſequens verſ. explicat: primum petitionis cap. *Heb. generationis & generationis.*
[10] hoc eſt, effice ut regnum ſit juſtiſſimum, & his duabus rebus inſtructiſſimum, quæ pertinent ad officium regis, Prov. 20. 28. ſecundum petitionis cap.
[11] concluſio votiva, ut dictum eſt in verſ. 1. [e] *Heb. die die.*

## PSALMUS LXII.

*David oppreſſus fiduciam ſuam in Deum prædicat, officiumq́; Dei erga ſe: inimicos reprehendit: ſe ipſum eccleſiamq́; exemplo ſuo confirmat: & omnes à fiducia rerum vanarũ revocat ad Deum, & confirmat auctoritate verbi ejus.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ [1] in Jeduthune, [2]
pſalmus Davidis.
2 [3] Tantummodò in Deo *a* conquieſcit a-
nima mea: ab eo ſalus mea *eſt*.
3 Tantummodò ipſe rupes mea *eſt* & ſalus
mea; locus editus meus, non dimovebor *mo-*
*tione* [4] magna.
4 [5] Quouſq; machinabimini ærumnas [6] in
virum? [7] occidemini vos omnes, *eritis* ſimiles
muro pando, maceriæ impulſæ.
5 Tantummodò de [8] excellentia ejus con-
ſilia ineunt depellendi *eum*, delectantur men-
dacio: ore ſuo benedicunt, *b* intra ſe verò ma-
ledicunt vehementiſſimè.
6 [9] Tantummodò in Deo conquieſce ani-
ma mea, nam ab eo *eſt* expectatio mea.
7 [10] Tantummodò ipſe rupes mea *eſt* & ſa-
lus mea: locus meus editus, non dimovebor.
8 In Deo *eſt* ſalus mea & gloria mea; rupes *c*
robuſta mea, receptus meus *eſt* in Deo.
9 [11] Confidite ei omni tempore, ô populc,
effundite coram *a* eo animum veſtrum: Deus
receptui nobis *eſt* maximè.
10 [12] Tantummodò vanitas *ſunt* nati plebe-
io homine, mendacium *ſunt* nati præſtante vi-
ro: [13] lancibus illi ſimul impoſiti, aſcenſuri *eſſent*
ſupra vanitatem.
11 [14] Ne confidatis oppreſſioni, & rapina ne
evaneſcatis; opulentia ſi abundet, ne appona-
tis animum.
12 [15] Semel loquutus eſt Deus, [16] bis idem
audivi; robur eſſe Dei,
13 Et tuam *eſſe* Domine benignitatem, te
repenſurum cuique ſecundùm opus ſuum.

[1] vide pſal. 39. 1. [2] pſalmus eſt διδασκαλικὸς, ex quatuor partibus conſtans; Exordio, verſ. 2. & 3. reprehenſione, ver. 4. & 5. doctrina, à ver. 6. ad 11. & confirmatione doctrinæ, duobus ultimis. [3] exordium ex abrupto, continens propoſitionem fiducię, de qua gloriatur David adverſus omnes difficultates, quaſi repentè emergens ex illatum violentia: nam hic pſalmus videtur conſcriptus, quo tempore Davidem per emiſſarios ſuos perſequebatur Schaul. [a] *Hebr. ſilens eſt, ſynecdoche.* [4] i. qua planè corruam, ut 1. Cor. 10. 13. [5] reprehenſio adminiſtrorum nequitiæ Schaulis per apoſtrophen; quæ ſimplice narratione illuſtratur ſequente verſu. [6] i. in me: enallage perſonæ. [7] i. livore & nequitia veſtra ipſorum conſumemini; ut murus pandus atq; diſſiliens ſua ipſius mole corruit, aut nullo negotio deijcitur ſic accipiendum eſſe comparatio oſtendit. ſimile vide Jeſchah. 30. 13. [8] ſcilicet viri Davidis: de hac autem excellentia vide 1. Schem. 18. [b] *Heb. in medio ſui.* [9] tertia pars, continens duo documentorum genera; unum ad pios pertinens, ut in fide pergant, alterum ad improbos, ut à prava confidentia avocentur. Documenta fidei duorum ſunt generum; unũ ſingulare ad Davidem ipſum pertinens, tribus verſ. alterum cõmune totius eccleſiæ à Davidis exemplo, verſ. 9. [10] vide verſ. 2. & 3. nam hi duo verſus Amœbæi ſunt. c *Heb roboris mei.* [11] ſoli nimirum, ac non ulli homini, verſ. ſeq. [d] *Heb. cor: ſic infr. verſ.* 11. [12] αἰτιολογία cur non ſit in ullo homine fiducia collocanda: quæ docet manifeſtò in ſuperiore verſ. hanc orationem antithetam deſiderari, non eſſe fidendum homini: cujuſmodi ἀνταπόδοτα multa in ſcriptura exſtant. [13] id eſt, ſi ex æquo librari poſſent, invenirentur omnes homines nihilo leviores. Eſt autem in vocibus Hebraicis ſynchyſis poetica, quam evidentiæ cauſa ſuo ordine repoſuimus. [14] ſecundum genus documentorum ad improbos Schaulis adminiſtros pertinens & ad omnes universè, ne animi illorum in varia hujus mundi ſtudia traducti, diffluant.
[15] Confirmatio ſuperiorum documentorum ab auctoritate verbi Dei; qua Deus proponitur nobis potens, miſericors, & juſtus ad ea perficienda quæ ſuprà dicta ſunt.
[16] hoc eſt, ſæpius docuit me & confirmavit Deus.

## PSALMUS LXIII.

*David deſiderium ſuum reviſendæ gloriæ aſpectabilis Dei in Eccleſia exponit, & expoſtulat cum Deo: ſeipſum præſente Dei gratia conſolatur, & inimicorum ſuorum exitium prædicat ac lætitiam.*

1 PSalmus [1] Davidis, quum eſſet [2] in deſerto Jehudæ.

2 [3] O Deus; *Deus* fortis meus es, tempeſtivè requiro te; [4] ſitiens eſt tui anima mea, areſcit ad te *ſpectans* caro mea, [5] in terra ſicca & [6] feſſa ſine aquis:

3 [7] Ad videndum [8] robur tuum & [9] gloriam tuam, [10] ſicut *a* in loco ſancto videbam te.

4 (Nam benignitas tua melior eſt vita) [11] *ut* labia mea laudent te.

5 Sic benedicam tibi in vita mea, in nomine tuo [12] attollam manus meas.

6 Quaſi adipe & pinguedine ſaturabitur anima mea, & labiis *b* canoris laudabit *te* os meum.

7 [13] Quum recordor tui [14] ſuper ſtrata mea, [15] in vigiliis meditor de te:

8 Te fuiſſe ſummo auxilio mihi, ita ut [16] in umbra alarum tuarum canerem:

9 *Quum c* adhæreſcens anima mea ſequitur te, ſuſtentat me dextera tua.

10 [17] Quamobrem iſti *qui d* vaſtationem quærunt animæ meæ, [18] pervenient ad imas partes terræ.

11 [19] Facient ut diffluat eorum quiſq; *e* per gladium, [20] portio vulpium futuri ſunt.

12 [21] Rex verò ipſe lætabitur in Deo, gloriabitur [22] quiſquis jurat per eum, quum [23] obthurabitur os loquentium mendacium.

1 Pſalmus eſt generis mixti, εὐκτικός καὶ διδασκαλικός: conſtãs ex tribus partibus; petitione ardentiſſima, uſq; ad verſ. 7. narratione auxilii divini quod jam tum cum animo ſuo ſentiebat David, inde ad verſ. 10. & prophetia ſeu prædicatione glorioſa rerum eventurarum ipſi & adverſariis, ad finem uſque. 2 1. Schem. 23. 14. & 15. 3 prima hæc pars, petitio. ut Davidi liceat tranquillè verſari in Eccleſia Dei, duobus potiſſimùm argumentis nititur: unũ eſt à natura & officio Dei; alterum à difficultatibus & ſtudio Davidis, quæ ſummatim hoc verſ. poſita in ſequentibus amplificantur, verſibus quatuor. 4 vide ſup. pſal. 42. 2. & 3. 5 id eſt, in deſerto horrido, & ſummis anguſtiis. 6 id eſt, quaſi fatiſcente præ ariditate nimia: metaphora ab animãtibus. 7 ὑστέρωσιν evidentiæ cauſa tranſpoſuimus, quæ alioqui futura fuiſſet obſcurior. 8 vide 1. Chron. 16. 11. 9 id eſt, tabernaculi tui, & miniſterii Eccleſiaſtici. 10 primus amplificationis locus à commemoratione antè obſervati cultus, à quo ſe arceri indignatur David. a Heb. in ſanctitate. 11 ſecundus amplificationis locus à fine: finis autem duplex ponitur: unus eſt gloria & cultus Dei, hîc & ſequente verſu. alter, pax & lætitia ſupplicis, verſ. 6. 12 i. invocabo te: ſynecdoche. b Heb. cantionum. 13 altera pars, narratio: qua ſe ipſum conſolatur David, hoc modo: etſi nunc adeò ſitiens tui avertor importunitate adverſariorum ab adeundo te: hoc tamen intereà temporis conſolatur me; quòd recordor tui ſemper, hoc verſu: antè accepta beneficia commemoro, ſequ. verſu: denique animo tibi adhæreſco; & tu viciſſim confirmas me, ℣. 9. 14 i. in tam multis ſtationibus, ad quas cogor exſul me recipere. 15 id eſt, per noctem quam per certas vigilias diſtribuebant veteres: ut Marci 13. 35. 16 i. in tuto & ſecuro loco, ſub defenſione tua: metaphora à pullis ſecurè pipientibus ſub alis matrum. c Heb. adhæreſcit anima mea poſt te. 17 tertia pars, prophetia eventorum, quæ tum improbis, duobus verſibus: deinde etiam piis ad regnum Chriſti pertinentibus eventura ſunt, verſ. ultimo. d Heb. vaſtationi quærunt animam meam, hypallage. 18 i. morientur in terram corruentes ſic prædicit duobus verſibus David cladem Jiſraelitarum, de qua 1. Schem. 31. 19 Peliſchthæi. e Heb. per manus gladii: κατάχρησις. 20 id eſt, inſepulti jacebunt in montibus, ut beſtias paſcant. 21 i. qui tum regnaturus eſt. ſic modeſtè de ſe ipſo per enallagen loquitur. 22 i. Deum ex animo profitetur & colit: ſynecdoche, ut videre eſt Deut. 6. 13. 23 i. finis impoſitus fuerit calumniis: nam alii morte abrepti, alii pudore confuſi futuri erant.

## PSALMUS LXIV.

*David Deum implorans ſalutem petit: de adverſariorum violentia & fraude conqueritur: poſtremò confirmatus fide, excidium improborum divinitùs eventurum, & bonorum pacem prænunciat.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ, [1] pſalmus Davidis.

2 [2] Audi ô Deus, vocem meam dum medito; à pavore [3] inimici cuſtodi vitam meam.

3 Abſconde me ab arcano *conſilio* maleficorum, à tumultuatione operam dantium iniquitati;

4 [4] Qui exacuunt ſicut gladium linguam ſuam; intentant *ut* ſagittam ſuam, verbum [5] amarulentum.

5 Jaculis petendo ex latebris [6] integrum; repentè jaculis petunt eum, [7] neque timent:

6 [8] Confirmant ſibi rem malam: narrant de abſcondendis laqueis; [9] dicunt, Quis videret [10] illos?

7 Perſcrutantur iniquitates; [11] conficimur *a* iis quæ callidiſſimè ſunt perſcrutati: adeò intimum [12] viri & cor profundum *eſt*.

8 [13] Sed ubi jaculis petierit eos Deus, *à* [14] ſagitta repentina fuerint plagæ eorum.

9 [15] Fecerintq; ut ipſa lingua ſua in ſeipſos impingant: vagi ſe in fugam dabunt [16] quiſquis viderit eos.

10 Quicumque autem homines [17] reverentur, nunciabunt opus Dei, & factum ejus intelligendum proponent:

11 Lætabitur juſtus in Jehova, & recipiet ſe ad eum; denique gloriabuntur omnes recti *b* animo.

1 Pſalmus eſt ejuſdem generis cum ſuperiore, conſtans petitione, uſque ad verſum 8. & doctrina prophetica eventus, ad finem uſque. 2 petitio liberationis & ſalutis, duobus verſibus continetur: deinde verò ſubjicitur illius amplificatio à perſona, vi, fraude, & conatibus inimicorum, uſque ad verſum 8. 3 id eſt, quem affert mihi inimicus. 4 amplificatio à perſona inimicorum tota allegorica, qua aulicas criminationes cũ armis caſtrenſibus cõparat: ut Pſal. 52. 4. & 11. & 57. 5. 5 id eſt, virulentum atque venenatũ: metaphora à ſagittis. 6 ſic nominatim probat innocentiam ſuam & ſe comparat cum adverſariis, quos maleficos & operarios iniquitatis nominavit verſ. 3. 7 nullo timore, nulla reverentia Dei à facienda injuria honis abducuntur, nulla humanitatis lege. 8 i. vi aperta, & cuniculis agunt. 9 rebus inſtructis & comparatis ad dolũ, gloriantur nõ poſſe integrum effugere: quod etiam amplificatur. ſeq. verſ. 10 laqueos. 11 i. ut impiorum judicio, non poſſumus artes tam ſubdolas percipere, nedum effugere: ſic etiam agnoſcimus nõ eſſe poſitum in facultate noſtra, ut mala quæ nobis comparant, poſſimus operâ noſtrâ effugere, aut induſtriâ cognoſcere. Hoc autem verbum ita accipiendum eſſe oſtendit tum ſeries argumentorum, tum etiam loci conſimiles, Num. 17. 28. Lament. 3. 22. a Heb. perſcrutatione perſcrutata. 12 ſive Schaulis nominatim, ſive universè omnium; nam utrumque verum eſt: vide Jirm. 17. 9. 13 prophetia ad conſolationem piorum appoſita, qua id explicat David primùm quod improbis eventurum eſt, duobus verſibus; deinde quod bonis, verſ. 10. & 11. 14 ut judicia Dei ſunt velociſſima, & præſentiſſima illius manus: ſic pergit propheta in allegoria, oſtendens Deum multo validius uſurum armis ſuis contra illos, quàm illi contra Davidem poſſint. 15 id eſt, ſe ſuo gladio jugulaverint, & ſibi ipſis creaverint malum. 16 improbus: ut oſtendit antitheſis ℣. 11 ſic infr. 66. 20. 17 Deum exercentem judicia ſua. b Heb. corde.

## PSALM. LXV.

*David Dei laudem prædicat, tum propter ſpirituales ejus benedictiones cum Eccleſia communicatas in Chriſto, tum propter temporarias & aſpectabiles: universè quidem in orbem terrarum, ſed maximè omnium in habitationem populi diffuſas.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ [1] pſalmus, Davidis canticum.

2 [2] Tibi *debetur a* certa laus, ô Deus, *qui es* in Tzijone; & tibi rependendum eſt votum.

3 O qui exaudis orationem, ad te uſque omnis [3] caro *b* ventura eſt:

4 *c* [4] Res iniquæ prævaluerant mihi; defectiones noſtras tu expias.

5 Beatus *quem* eligis, & [5] admoves, inhabitaturum atria tua: ſaturamur [6] bono domus tuæ, *d* rebus ſanctis templi tui.

6 [7] Res reverendas in juſtitia proloqueris nobis, ô Deus ſalutis noſtræ; [8] fiducia omniũ extremitatum terræ & maris longinquarum.

7 [9] Stabiliens montes virtute ſua, accinctus potentia.

8 Compeſcens ſtrepitum marium; ſtrepitũ fluctuum eorum, & fremitum nationum. /32

1 Pſalmus eſt ἐπαινετικός ſive laudativus, conſtans ex tribus partibus, prima eſt laudatio à beneficiis Dei ſingularibus in Eccleſiam ſuam, uſque ad verſ. 7. ſecunda à communi rerũ creatarum adminiſtratione, uſque ad ℣. 10. tertia à ſingulari benedictione in ſede populi ſui, inde ad finem uſque. Videtur autem hic Pſalmus à Davide conſcriptus eſſe poſtquam populo fame & peſtilentia liberato exoratus eſt Jehova terræ, & cohibita plaga à Jiſraele. 2. Schem. 21. 14. & 24. 25. 2 propoſitio laudationis ab officio eccleſiæ, cujus partes ponuntur duæ; una, ut in Deo conquieſcant & ipſum adeant per fidem: altera, ut gratias agant & habeant beneficiorum acceptorum nomine: quæ omnia typice proponuntur ex uſu legis. a Hebr ſilens, id eſt, ἀκαταπαύστως. 3 i. homo, ut Gen. 6. 12. b Heb. venient: ſyllepſis. c Heb. res iniquitatum. 4 explicatio argumentorum laudis: quorum genera ſunt hæc, remiſſio peccatorum hoc verſu, reconciliatio per verbum Dei in Eccleſia benedictioque, verſ. ſequente; & continuum benedictionum incrementum verbo Dei atque operibus, verſ. 6. 5 id eſt ex electione tua adiungis tibi & Eccleſiæ. 6 id eſt, omni ſpirituali benedictione. d Heb ſanctis templi tui. 7 id eſt, anguſtiſſimas promiſſiones in futurum, comprehenſas verbo tuo. 8 tranſitio ad alteram partem, de communi rerum creatarum adminiſtratione. 9 altera pars de adminiſtratione communi: primùm terræ & maris ordinaria & extra ordinem, duobus verſ. deinde rerum cœleſtium; quæ omnia in oculis omnium expoſita ſunt ad fidem & laudem comparandam Deo, verſ. 9.

9 [10] Qui facis ut canant exortus matuti-
nos & veſpertinos, incolæ extremitatum re-
verentes à ſignis tuis.
10 [11] Viſitas hanc terram & appetis eam:
plurimùm ditas eam: [12] rivo Dei pleno aquæ;
paras frumentum [13] illorum, quum ita præpa-
raveris eam.
11 Porcas ejus irrigando, deprimendo liras
ejus; imbribus diſſolvis eam, germini ejus
benedicis.
12 [14] Coronas annum bonitatis tuæ, & [15]
orbitæ tuæ ſtillant pinguedinem:
13 Stillant *in* caulas deſerti, & exſultatio-
ne colles accinguntur.
14 Veſtiuntur paſcua gregibus, & conual-
les obteguntur tritico, clangentes agunt, *atq;*
etiam canunt.

10 id eſt, qui totos dies à principio ad finem cõſumis in docendis hominibus laudem tuam: hunc autem verſum ex poetica ſynchyſi paulò obſcuriorem tranſpoſitis mẽbris declaravimus. 11 tertius locus à ſingularibus Dei beneficiis in domicilium & habitationem ſuorum, quæ beneficia elegantiſſimis figuris exponuntur. Eſt autem viſitare humanitus dictũ, pro eo quod eſt præſtare rem quam promiſerat Deus, Deut. 11. 10. & ſequentibus: vide Gen. 21. 1. 12 id eſt, optima pluvia & abundante, divinitus à Deo immiſſa. 13 de quibus ỳ. 4. 5. & 6. Eſt autem hæc ſpecies benedictionis ſynecdochicè omnibus accommodanda, quas percipimus à Deo ad præſentem vitam. 14 id eſt, facis ut annus unus aliis præſtet, quemadmodum rex præſtat popularibus. 15 i. quacumque placet tibi ambulare ad exſerendum benedictiones tuas: hyperbolæ elegantiſſimæ, hîc & duobus ſequentibus verſibus.

## PSALM. LXVI.

*Pſaltes ad Dei laudes & gloriam prædicandam populos hortatur ab exemplis ſcripturæ, & ab opere adminiſtrationis tum communis erga omnes, tum ſingularis erga eccleſiam ipſius; ac poſtremò exemplo ſuo Dei laudationem confirmat.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ, [1] canticũ *&* pſal-
mus. [2] Clangite Deo oẽs *incolæ* terrę.
2 Pſallite gloriam nominis ejus, [3] apponite
gloriam laudi ejus:
3 Dicite Deo, quàm reverendus *es* factis
tuis: propter amplitudinem roboris tui [4] mẽ-
daciter ſe dedunt tibi inimici tui.
4 Omnes *incolæ* terræ incurvent ſe tibi, &
pſallant tibi; pſallant nomini tuo, *ut quum* ma-
ximè.
5 [5] Venite & videte opera Dei; reverendus
*eſt* actione erga filios hominis.
6 ‖ Convertit mare in aridam; ‖ per flumen
tranſiverunt pedes, illic lætati ſumus in eo.
7 Dominatur potentia ſua in ſeculum; [6] o-
culi ejus gentes ſpeculantur: qui rebelles ſunt
[7] ne efferantur apud ſeipſos admodum.
8 [8] Benedicite populi, Deo noſtro; & *a* fa-
cite ut reſonet vox laudis ejus:
9 Qui [9] reſtituit animam noſtrã in vitam, [10]
neque permittit dimoveri pedes noſtros.
10 [11] Poſtquam [12] probaſti nos Deus, con-
flaſti nos ut conflatur argentum;
11 [13] Induxiſti nos in rete ipſum, [14] impo-
ſuiſti cingulam *aſinariam* lumbis noſtris:
12 [15] Feciſti ut inſideret mortalis in caput
noſtrum, [16] ingreſſi ſumus per ignem & per a-
quam; tandem eduxiſti nos ad hanc [17] ſaturi-
tatem.

1 vide ſup. 48. 1. Pſalmus eſt ἐπαινετικὸς καὶ εὐχαριστικὸς, conſtans ex tribus partibus; propoſitione publica laudis Dei in Eccleſia, uſq; ad ỳ. 13. confirmatione ab exemplo ſingulari ſupplicis, inde uſq; ad verſ. 20. & concluſione, verſ. 20. Videtur autem hic Pſalmus à Davide conſcriptus eſſe, poſtquã Jiſraelitæ ab immani Peliſchthæorum tyrannide liberati ſunt, & ipſe à perſequutionibus. 2 propoſitio hortatoria ad laudandũ Deum & promulgandum gloriam Chriſti in tota terra, uſq; ad ỳ. 5. nititur duobus argumentis; unũ eſt ab operibus anteà deſignatis in Eccleſia ejus, verſ. 6. alterũ ab auctoritate, potentia, & operibus ejus in exteros, verſ. 7. 3 i. laudate & glorificate eum; cujus laudationis forma exponitur verſ. 3. prædicandæ verò gloriæ, verſ. 4. 4 ut 1. Schem. 22. 45. & ſup. 18. 45. 5 explicatio argumentorum ad gloriam & laudem Dei pertinentium; quæ universè hoc verſ. poſita, in duo genera dividuntur, verſ. ſeq. erga populum Dei, verſ. 6. & erga omnes, 7. verſ. ‖ *Exod. 14. 21. & ſeq.* ‖ *Jehoſch. 3. 14. & ſeq.* 6 ut Pſal. 11. 4. 7 nimirum ampliùs; ſed potiùs Deum laudent atque glorificent. 8 Summa repetitio hortamenti ad laudandum Deum, qua tranſitur ad ἐργασίαν prioris argumenti quod poſitum eſt ỳ. 6. ubi oſtendit pſaltes, ſi uſquam apparet beneficentia Dei in populum ſuum, eam illuſtrem eſſe in liberationibus, & eo quidem illuſtriorem quo graviora ſunt mala, uſque ad verſ. 13. a *Heb. facite audire vocem.* 9 i. redemit à morte, lethalibúſq; periculis. 10 ut ſup. 15. 23. 11 exegeſis allegorica malorum & liberationis acceptæ, quæ ſummatim propoſuerat ỳ. 9. 12 prima allegoria à metallis probatis & fuſis ad ignem. 13 ſecunda allegoria à venatione ſive aucupio. 14 tertia à jumentis, quibus clitellæ ſubaxillaribus loris alligantur per tranſverſum corpus: ſynecdoche, pro eo quod eſt clitellas, & grave onus affictionum injeciſti nobis. 15 i. indigniſſimo cuiq; ſubjeciſti nos; ſic attingit cõminationẽ Dei quæ habetur Deut. 28. 43. 44. 16 i. omnia quàvis duriſſima ſubivimus: proverbiale dictum; quarta allegoria. 17 i. hanc bonorũ copiam ex tanta inopia.

13 [18] Ingrediens domum tuam cum holo-
cauſtis, [19] rependam tibi vota mea.
14 Quæ *b nuncupaverint* aperta labia mea,
& eloquutum fuerit os meũ in anguſtia mea.
15 [20] Holocauſta *c* pinguium arietum offe-
ram tibi cum ſuffitu: parabo boves cum hir-
cis potentiſſimè.
16 [21] Agite, audite, quicumq; timetis Deum;
ut enarrem quæ fecit animæ meæ.
17 Eum ore meo inclamavi, & *fui* [22] elatus
pro *ſermonibus* linguæ meæ.
18 [23] Ad iniquitatem ſi ſpectaſſem *d* animo
meo, non exaudiviſſet Dominus.
19 At certè exaudivit Deus, attendit vo-
cem orationis meæ.
20 [24] Benedictus *eſt* Deus; qui non avertit
orationem meam *e à ſe*, & benignitatem ſuam
à me.

18 Confirmatio ſuperioris propoſitionis ab exemplo ſingulari, duas partes ſimiliter continens; laudationẽ Dei, tribus verſ. & narrationem argumentorum laudis, inde à ỳ. 16. 19 i. colam te legitimè. b *Heb. aperuerint labia mea.* 20 poeticam verborum antitheſin evidentiæ cauſa fugimus, quemadmodum etiam in ſequẽte verſu. c *Heb. medullatorum.* 21 narratio argumentorũ laudis, ut obſervatũ eſt in verſ. 13. 22 i. ereptus & evectus ex meis calamitatibus, propterea quod fide invocavi eum. 23 exegeſis proximè præcedentis membri, Pſaltem libero à rebus iniquis & vanis animo Deum adiiſſe, ac proinde gratioſè exauditum eſſe: vide Jacobi 4. 3. & ſeq. d *Heb. corde.* 24 concluſio εὐχαριστική, ut dictum eſt in verſ. 1. e *Eclipſis antitheti: ut ſuprà 65. 4.*

## PSALM. LXVII.

*Eccleſia regnum Dei in Judæis operari, ad gentes propagari, & adminiſtratione, benedictionibuſq; ſpiritualibus & corporalibus declarari petit.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ *a* fidium [1] pſalmus
*&* canticum.
2 Deus gratiam faciat nobis & benedicat
nobis, [2] illuſtret faciẽ ſuam erga nos maximè:
3 Ut agnoſcamus in terra [3] viam tuam, in
omnibus gentibus ſalutem tuam.
4 Celebrent te populi Deus, celebrent te
populi omnes.
5 Lætentur & cantent nationes; quum [4]
judicabis populos *b* rectè, & nationes ipſas in
terra deduces potentiſſimè.
6 [5] Celebrent te populi, Deus; celebrent
te populi omnes.
7 Terra dante proventum ſuum; benedi-
cat nobis Deus, Deus noſter.
8 Benedicat nobis Deus, & revereantur
eum omnes fines terræ.

a *Heb. in pulſationibus.* 1 Pſalmus eſt εὐκτικὸς, quo eccleſia poſtulat adventum regni Dei in Chriſto: ſunt autem poſtulata tria: primum, ut Deus benefaciat populo quem jam ſibi comparaverat, verſ. 2. Secundum, ut iiſdem beneficiis ſpiritualibus populos alios proſequatur & ducat, à ỳ. 3. ad 6. Tertiũ, ut omnibus etiã in præſente vita benedicat, tanquam populo uni & adunato per Chriſtum, ad gloriam ipſius: qui ſummus eſt omnium poſtulatorum finis. 2 vide Pſal. 4. 7. 3 i. opus & adminiſtrationem tuam, ſalutaremq; gratiam omnibus hominibus: ut Paulus vocat Tit. 2. 11. 4 i. regem & paſtorem ages omnium: hæc autem ad Chriſtum pertinere res ipſa loquitur. b *Heb. rectitudine.* 5 verſus amœbæus idem cum verſ. 4. initium faciens poſtulati tertii, ut obſervatum eſt in verſum 1.

## PSALMVS LXVIII.

*David propoſita Dei magnificentia, pios ad laudes illius hortatur ab officio illius, ab exemplis beneficiorum quæ majores acceperãt, & à fiducia in qua ſanctos omnes oportuit exemplo, factis, & præſentia ejus confirmari, maximè verò aſcenſu Chriſti in cælos, cujus virtute præſtantur promiſſiones Dei erga ſuos, & minæ in adverſarios: itaque populum Dei & exteros iterũ ad laudes hortatus, concludit ab explicatione cauſarum ex quibus laudem promeretur Deus.*

1 MAgiſtro ſymphonię, Davidis [1] pſalmus
*&* canticum.
2 [2] Surgente Deo [3] diſperguntur inimici
ejus, & fugiũt infeſti oſores ejus à cõſpectu ej⁹.

1 Pſalmus ἐπαινετικὸς ſive laudativus, cõſtans ex partib⁹ quinque; Exordio, à ỳ. 2. ad 5. propoſitione hortatoria ad laudem, à verſ. 5. ad 8. confirmatione, à verſ. 8. ad 25. oratione, à ỳ. 25. ad 33. & poſtremò concluſione laudativa, inde ad finem uſque. Videtur autem hic Pſalmus à Davide conſcriptus eſſe, quum regno conſtituto, Peliſchthæis ſuperatis & domitis Jebuſæis, arcam Dei deportaturus eſſet Jeruſchalaima, 2. Schem. 6. & 1. Chr. 13. quamobrem eumdem verſum adhibet ad trãſlationem arcæ civitatis tantùm perſonis, quem adhibuerat Moſche quum arca profectura eſſet: Num. 10. 35. 2 Exordium à loco communi de effectis præſentiæ Dei, tum in adverſarios duobus verſ. tum erga pios & morigeros, verſ. 4. 3 prior effectus præſentiæ Dei in adverſarios, quòd funduntur, & fugantur quum primùm ſe exſerit Deus: ut Peliſchthæorum exemplo oſtenditur, 2. Schem. 5.

3 [4] Quaſi

3 [4] Quaſi impellas fumum, impellis *eos*; ut
liquefit cera *a* ab igne pereunt improbi à con-
ſpectu Dei.
4 [5] Juſti verò lætantes exſultant coram
Deo; & gaudent in lætitia.
5 [6] Cantate Deo, pſallite nomini ejus; ex-
tollite eum qui [7] inſidet amœnitatibus [8] de
nomine ejus Jah, ac exſultate coram eo.
6 Pater pupillorum & defenſor viduarum
*eſt*, Deus [9] in habitaculo ſanctitatis ſuæ.
7 Deus [10] collocat ſolitarios in familia,
[11] educit vinctos compedibus: ac rebelles [12] in-
habitant *b* locum aridiſſimum.
8 ‖ [13] O Deus, quum procederes coram po-
pulo tuo; quum gradereris per ſolitudinem
excellentiſſimè:
9 [14] Terra movebatur, etiam cæli deſtilla-
bant à præſentia Dei; ipſe Sinai, à præſentia
Dei, Dei Jiſraelis.
10 [15] Pluviam *c* liberaliſſimam ſtillabas,
Deus; poſſeſſionem tuam, eamq; [16] defeſſam
tu inſtaurabas.
11 Tui *d* catervatim habitabant in ea; te pa-
rante per bonitatem tuam [17] pauperi illi afflì-
cto, Deus.
12 Dominus dabat ſermonem; [18] eæ quæ
annunciabant, exercitu magno *dicebant*,
13 Reges exercituum fugiunt, fugiunt: &
[19] quæ commoratur domi partitur ſpolia.
14 [20] Etiamſi [21] jacueritis inter duas ſtrues
lapideas, [22] *eritis ſimiles* alis columbæ, [23] tectæ
argento, cujus pennæ *ſunt* ex fulvo auro effoſ-
ſo.
15 [24] Quum [25] expanderit omnipotens re-
ges in hac *terra*, [26] niveus eris [27] in Tzalmone,

4 poſterior effectus in adverſarios, nimirum præceps & præſentiſſimus illorum interitus, illuſtratus duplici ſimilitudine; evaneſcentis fumi, & contabeſcentis ceræ.
a Heb. à facie ignis.
5 alterum membrum exordii, de fructu præſentiæ Dei erga pios.
6 propoſitio hortatoria ad laudationem Dei duobus nominibus; primùm à majeſtate & natura ejus, hoc verſu; deinde ab officiis, duobus ſequentibus.
7 i. omnia poſſidet amœniſſima, nullis perturbationibus aut angoribus infeſtus eſt, ac proinde eſt omnis amœnitatis auctor.
8 id eſt, de natura ejus ſempiterna, per ſe exſiſtente, & quæ aliis dat eſſe: nã hoc propriè ſignificatur appellatione Jah & Jehova, quæ duæ inter ſe conjugatæ ſunt, & ex eadem radice procedentes: vide Exod 6.2. in annotat.
9 id eſt, tum in cælis, ubi majeſtas ipſius habitat; tum in Jiſraele, ubi præſentiam ſuam aſpectabilem conſtituit Deus: ut apertè diſtinguitur infrà verſ.35. quaſi dicat, non opus habet mutare locum, aut laborare ad præſtanda officia ſua: nam ubicunque locorum eſt, ſemper amœnitates coiit, & voluntatem ſuam nullo negotio perficit. 10 id eſt auget liberis, qui ſine liberis vivebant: ut Pſal.113.9. 11 vt Pſal.107 & 146. 12 i. deſtituti benedictione Dei areſcunt: & in perpetuis calamitatibus verſantur: ſynecdoche, unum genus ærumnarum exprimens omnium loco. b Hebr. ariditatem. ‖ Exod.19.
13 tertia pars pſalmi, confirmatio: qua oſtendit pſaltes quam vera ſit ſuperior propoſitio laudis, primùm ab exemplo majorum quibus gratioſè beneficit Deus, tum in profectione tota ab Ægypto, verſ.8. & 9. tum in poſſeſſione terræ, verſ. 10. & 11. tum denique in hoſtium deturbatione, verſ.12. & 13. Secundò à documentis præſentiæ & operum Dei, à verſ.14. uſque ad 23 poſtremò à verbo & promiſſionibus Dei, quibus freti pii debent ſupra omnia adverſa gloriari, inde uſque ad verſum 25. Eſt autem hæc ſingularis Chriſti appellatio, ad quem Propheta convertit orationem ſuam, hoc verſu & ſeq. Quod confirmatur ſequente verſu, his verbis, *à præſentia Dei*, &c. quæ de Patre præſente in Filio oportet accipi.
14 id eſt, res omnes creatæ cedebant tibi populũ tuum deducenti, ut oſtendit hiſtoria inde ab Exodi 7. uſque ad 20. 15 vide Deut.11.11. ſecundus exemplorum locus de benedictione Dei in terram, hoc verſu; & in habitatores ejus, ſequente verſu. c Hebr. liberalitatum. 16 ex ſiccitate, aliòve incommodo, ut dicitur ſup.63 2. d Hebr caterva tua habitabant. 17 i. populo tuo, ut ſuprà nominavit verſ.8. ſic autem vocat populum ad amplificandum miſericordiam Dei, qui Jiſraelitas pauperibus majoribus ortos, Deut.26. & recens ex ſumma paupertate Ægypti prodeuntes voluit dumtaxat gloriari de miſericordia ſua: tertius exemplorum locus, ut obſervatum eſt in verſ 8.
18 ut moris erat in populo Dei ἐπινίκια à choreis puellarum cani, & Deo gratias agi, Exod.15.20. Judic.5.11. & 11.36. & 1. Shem.19.5. 19 i. mulieres ipſæ imbelles, ut Judic.5.24. 20 tranſitio ad ſecundum laudationis argumentum: quo docet pſaltes, etſi permagnum eſt quod Jiſraelitæ ab exemplis majorum confirmatur ipſos à calamitatibus liberatum iri, & illuſtrem gloriam adepturos: tamen hanc confirmationem adhuc majorem accedere quòd Deum ſibi præſentem eſſe vident, & coram eadem opera experiuntur quæ ab exemplo majorum didicerant: quæ propoſitio prolepticè hoc verſu enunciata ſequentibus exponitur.
21 i. in ſummis anguſtiis, ſordibus, & ſqualore vixeritis: metaphora à calonibus & lixis caſtrenſibus, qui à ventorum & cæli injuria utcumque ſe defendunt noctu deliteſcẽdo inter lapides focarios, ac proinde omnem in partem fuligine & atrore maculantur.
22 id eſt, ſplendebitis tamen & circumfulgebitis, atque ab omni atrore vindicabimini, tum præſentia Dei ſanctificante vos, quatuor verſibus ſequentibus: tum operibus maximis quæ Deus effecturus & demonſtraturus eſt in Chriſto, 2. verſ.19. ad 23.
23 id eſt, alæ nitidiſſimæ, quaſi de argentatæ ſcapo, & pennis deauratæ eſſent.
24 ἐξεργασία ſive exornatio ſuperioris propoſitionis à præſentia Dei, & comitatus angelorum verſ.16. judicia ejus perficiẽtium quam præſentiam tum ex operibus quæ poſtea explicantur, inde à verſ.19. tum ex ſymbolo aſpectabili eccleſiæ dato demonſtrabat Deus.
25 id eſt, fuderit fugatos aut cæſos.
26 id eſt, nihilominus quiſque veſtrum ex ſtrage inimicorum rediẽs per totam terram circumfulgebit puritate & gloria: altera allegoria, idem ſignificans quod dictum eſt ſuperiore verſu.
27 id eſt. in meditullio terræ, ubi ſitus eſt mons Tzalmon cis Jardenem Judic. 9.48. vide 1. Reg.12.1. ſynecdoche.

16 [28] Monte *e* maximo, monte Baſchanis;
monte *f* [29] frequente gibbis, monte Baſcha-
nis.
17 [30] Quare dejiceretis vos, montes fre-
quentes gibbis? hæc montana deſiderat Deus
ad ſedem ſuam, etiam Jehova inhabitabit in
æternum.
18 Curruum Dei duæ *ſunt* myriades, mil-
lia multiplicia: Dominus cum illis eſt [31] *Domi-
nus* Sinai in ſanctuario *habitans*.
19 [32] Aſcendens [33] in ſublime, [34] captivam
feciſti captivorum multitudinem, *g* accipiens
*dediſti* dona hominibus; etiã [35] rebelles [36] ha-
bitando *captivos facis*, [37] Jah Deus.
20 [38] Benedictus Dominus, *qui h* quotidie
onerat nos *donis*; *Deus* ille fortis ſalus noſtra
excellentiſſimè.
21 *Deus* ille fortis nobis *eſt Deus* fortis, *i* ad
ſalutem omnimodam: & Jehovi Domino *ſunt*
[39] exitus contra ipſam mortem.
22 [40] Tantummodò Deus frangit caput
inimicorum ſuorum, verticem [41] comatum
indeſinenter ambulantis in reatibus ſuis.
23 [42] Dixerat Dominus, ex Baſchane re-
duco, reduco [43] ex profunditatibus maris,
24 *k* Ut [44] frangens *immergas* pedem tuum
in ſanguine; linguam canum tuorum, *ſangui-
ne fluente* ab inimicis, ab unoquoque eorum.
25 [45] *Quum* viderunt inceſſus tuos, ô Deus;
inceſſus Dei fortis mei, regis mei, *qui eſt* in ſan-
ctuario;
26 [46] Præcedebant cantores, pòſt fidici-
nes; inter puellas tympana pulſantes.
27 [47] In congregationibus benedicite Deo,
Domino, [48] *qui eſtis* è ſcaturigine Jiſraelis.
28 [49] Illic *ſit* [50] Binjamin parvus & domi-
nator eorum, principes Jehudæ & cœtus eo-
rũ: principes Zebulunis, principes Naphthali.
29 [51] Præcipis Deus tuus robuſtum eſſe te;
corrobora, ô Deus, [52] q̃ operatus es in nobis.
30 E templo tuo [53] propter Jeruſchalaima:
tibi afferent [54] reges donarium.
31 Perde catervam [55] *l* arundiferam, cœ-

28 id eſt, in parte ulteriore trãs Jardenẽ, ubi ſiti ſunt Baſchanis montes, & ampliſſimũ tractum obtinent.
e Heb. Dei. ut Gen.30.8.
f Heb. gibborum.
29 i. cõſtante ex multis jugis & collibus.
30 apoſtrophe proſopopœtica ad montes & terram totã Cenahanææ, cujus dignitas explicatur à benevolentia, præſencia, & documentis Dei, hoc verſu, & à gloria miniſtrorum ejus, verſu ſequente.
31 i. Jeſus Chriſtus, idem Dominus qui ſe patribus in monte Sinai patefecit, Exod.3. & 19.
32 ſecundus locus exornationis ab operibus Dei; quorum potentiſſima demonſtratio fuit in reſurrectione Chriſti, & aſcenſu ad cælos: nam hujus effecta sũt duorum generũ prolepticè hoc verſu poſita; unus effectus eſt in adverſarios: quòd captivi ducuntur tenenturque catenis potentiæ Dei: alter verò ergà pios & populares Chriſti, quibuſcum habitat & quos donis ornat Deus, hîc autem poſterior effectus duobus verſ. proximè ſequentibus exponitur, ὕστερον πρότερον: prior verò verſ.22.
33 i. in cælum, ut interpretatur Paulus. 34 i. mundum, carnem peccatum, mortem, & ſatanam ſubegiſti. vide Coloſ.2.12. & ſeq. g Hebr. *accepiſti dona: eclipſis verbi conjugati, ut Exod.25.2. quomodo accipiendum eſſe docet verſ ſequens, & Apoſt. ad Eph ſ. 4.8.*
35 i. eos qui licet victi ſint, tamen oppugnant opus tuum, & eccleſiæ adverſantur. 36 putà in excelſis: nam inde exſerit quotidie Chriſtus potentiam ſuam.
37 i. ô Jehova Chriſte 38 epiphonema pertinens ad ſecundum effectum aſcenſus Chriſti in cælos, ut dictum eſt præcedente verſ. nam illius fructus inde à principio pertinuit ad Eccleſiam Dei. h Heb. die, die, ut Gen.39.10. i Hebr. ad ſalutes. 39 i. liberationes ab ipſa morte & rebus deploratiſſimis toti populo ſuo præſtat: quapropter voce Jehovi utitur Pſaltes patheticè: vide in Gen.15.2.
40 i. non ſuos; ſed reprobos tantùm peccatis adhærentes perdit. 41 i. horrentem coma, ferociam hominis teſtante: ut Ijobi 5.5. 42 tertius confirmationis locus à verbo & promiſſionibus Dei, cujus veritatem majores fuerant experti & agnoſcentes celebraverant: vide Num 21.27. & ſeq. & Deut.2. & 3.
43 ut dixerat Exod.14 16. k *Heb. ut frangas pedem: eclipſis verbi conſequentis recepta in ſcripturæ locis quorum planus eſt à natura ſenſus: ut Exod.23.8.*
44 caput inimicorum ſuorum, ut ſup verſ.22. 45 i. adminiſtrationem tuam, prout prædixeras: omnes ætates expertæ ſunt: tranſitio ad quartam partem Pſalmi ab exemplo majorum, qui accepto ſingulari aliquo beneficio Dei gratias agebant, & in futurum bene precabantur. 46 i. ſinguli ſuo ordine celebrabant publicè, & orabant Deum: ut Exod.15. Num 21. Judic.5 &c. 47 prima pars orationis, εὐχαριστία hoc verſu & quidem publico conventu indicto, ut exponitur ſeq verſ. 48 i Jiſraelitæ omnes: periphraſis. 49 i. omnes ſummi & infimi, propinqui & longinqui adſint, ut hoc officium exhibeant Deo: oratio aſyndetos.
50 q.d. etſi tribus Binjaminis paucitate ſua impediri videtur, ac fortaſſe etiam domeſtico adhuc in domum Davidis odio (de quo 1 Chron.12.29.) ne cenſeatur in tribubus: tamen oportet me hunc honorem illi tribuere, ut prima vocetur ad hunc conventum ſacrum, erat autem parva tribus cæterarum comparatione inde à tempore cladis ad Gibham acceptæ, ut agnoſcit Schaul. Schem.9.21. deinde etiam attrita bellis quæ contra regnum Davidis geſſerat. 51 tranſitio ad alterum orationis membrum, occaſione ſumta à præcepto Dei. ſunt autem precationis tres partes: prima, ut ipſe det robur quod imperat, & benefaciat ſuis, duobus verſ ſecunda, ut adverſarios edomet, verſ.31. tertia, ut exteros advocet in communionem regni ſui, verſ.32.
52 i. beneficia quæ in majores noſtros & in nos contuliſti: denique (ut citè Auguſt. loquitur) jube quod vis, da quod jubes.
53 i. electionem gratuitam & fedus initum cum Eccleſia tua, quæ vera eſt Jeruſalem mater omnium noſtrûm, Galat.4.26.
54 i. ego & ſucceſſores mei gratiſſimo animo agnoſcemus te.
55 i. armatam ſagittis: ſynecdoche: nam ſagittę olim fiebant ex arundinibus, ut arundinem pro ſagitta dixit Virgil. Æneid.7.
l *Hebr. arundinis.*

tum [56] robuſtorum juvencorum cum vitulis
populorum, [57] fingentem ſubjicere ſe cum [58]
fragminibus argenti; [59] diſſipat populos, *qui*
bellis delectantur.
32 [60] Veniant magnates ex Ægypto, Æthio-
pia *m* celeriter tranſmittat manuum ſuarum
*donum* ad Deum.
33 [61] Regna terræ cantate Deo; pſallite Do-
mino vehementiſſimè:
34 [62] Inſidenti [63] cælis cælorum *n* [64] anti-
quorum: en edit voce ſua vocem robuſtam.
35 [65] Tribuite robur Deo; cujus excellentia
*eſt* ſuper Jiſraelem, & cujus robur in ſuperio-
ribus nubibus.
36 [66] Formidabilis es, ô Deus, [67] è ſanctua-
riis tuis; *Deus* fortis Jiſraelis ipſe dat robur &
vires huic populo: benedictus *ſit* Deus.

56 id eſt, ferocientium ducum & militum: allegoria, ut Pſalm. 22.13. de iis qui palàm maleficiunt.
57 i. hypocritã: nam hæc duo ſunt genera inimicorum Dei.
58 i. muneribus (ut vocant) homagii.
59 i. tyrannos omneis.
60 tertius precationis locus, ut obſervatum eſt in ℣. 29. de amplitudine regni Chriſti.
m Heb. *faciat ut currant manum ſua, hoc eſt, dora, ut Græcè interpretatur Plin. lib.* 35. *cap.* 14. *Metonymia.*
61 concluſio hortatoria ad laudem Dei per apoſtrophen ad omnes gentes vocatas in Chriſto.
62 primus locus laudis à majeſtate Dei operibus & verbo teſtata.
63 ut 1. Reg. 8.
n *Heb. antiquitatis.*
64 i. ab omni antiquitate, ex quo cæli ſunt.
65 ſecundus locus laudis, à benefica adminiſtratione rerum creatarum in cælo & in terra.
66 tertius locus laudis à ſingulari ipſius communicatione cum eccleſia ſua.
67 i. cælesti & terreſtri, quod eſt cæleſtis illius ſymbolum.

## PSALMUS LXIX.

*David figura Chriſti graviſſimè conqueſtus de injuriis & perpeſſionibus quas indignè pertulit, & de adverſariorum ſcelere: Deum orat pro ſalute ſua, & inimicorum exitio: ac poſtremò his rebus confectis, Dei laudes à ſe, ab eccleſia omnibuſque rebus creatis prædicatum iri docet.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ [1] ad hexachor-
da [2] Davidis *ode*.
2 [3] Serva me Deus, quia [4] perveniunt aquæ
uſque ad animam:
3 Demergor in cœnum *a* profundiſſimum;
ubi non *eſt* conſiſtendi locus: ingredior pro-
funditates aquarum, & fluentum inundans
abripit me:
4 Fatigor clamando, exſiccatur guttur
meum, deficiunt oculi mei ſperantis in Deum
meum.
5 [5] Plures ſunt quàm capilli capitis mei
qui oderunt me immeritò, potentiores ſunt
qui conantur me ſuccidere, qui mihi ſunt ini-
mici injuria; [6] tunc quod non rapui, revende-
re cogor.
6 [7] O Deus, tu noviſti [8] ſtultitiam meam;
& reatus mei non ſunt celati tibi.
7 [9] Ne erubeſcant de me exſpectantes te,
Domine Jehovi *Deus* exercituum; ne rubore
ſuffundantur mea cauſa qui quærunt te, Deus
Jiſraelis.
8 [10] Nam propter te ſuſtineo opprobrium,
operit ignominia faciem meam:
9 Extraneus effectus ſum fratribus meis,
& alienus filiis matris meæ:
10 ‖ Quia zelus domus tuæ exedit me, &
opprobria probris afficientiũ te accidũt mihi.
11 [11] Quum flens *affligo* jejunio animam
meam, tum hoc vertitur *b* in ſummum pro-
brum mihi.
12 [12] Quum ſtatuo veſtimentum meum
cilicium, tum ſum illis in parabolam.
13 [13] Confabulantur de me ſedentes in por-
ta; & *canunt c* odas lyricas bibentes potum
inebriantem.
14 [14] *De* me itaque, oratio mea ad te *eſt hæc*,
Jehova, [15] tempus *eſt* benevolentiæ, Deus, pro
amplitudine benignitatis tuæ exaudi me, pro
fide *d* ſalutari tua.
15 [16] Eripe me è luto, & ne immergar; eri-
piar ab oſoribus meis, & à profunditatibus a-
quarum:
16 Ne inundans abripiat me fluentem a-
quarum, neque abſorbeat me profundum: &
ne præcludat mihi [17] puteus os ſuum.
17 [18] Exaudi me Jehova, quia bona *eſt* be-
nignitas tua: ſecundùm amplitudinem miſe-
rationum tuarum reſpice ad me,
18 Et ne abſcondas faciem tuam à ſervo
tuo; quia *eſt* anguſtia mihi; feſtina, exaudi me,
19 Appropinqua ad animam meam; vindi-
ca eam, [19] propter inimicos meos redime me.
20 [20] Tu noſti opprobrium meum, pudo-
remque meum, & ignominiam meam: coram
te *ſunt* omnes hoſtes mei.
21 Opprobrium frangit *e* animum meum,
adeò ut afficiar ægritudine: quumque exſpe-
cto qui condoleat, nemo adeſt; aut conſola-
tores tamen non invenio:
22 Quin *potiùs* dant pro alimento meo *f*
amarorem; & in ſiti meę ‖ bibendum dant mi-
hi acetum. [7v.]
23 [21] Sit [22] menſa eorũ ante eos pro laqueo;
& pro [23] retributionibus, pro tendicula *ipſis*.
24 Obtenebrentur oculi eorum, ut non
videant: & fac ut lumbi eorum jugiter nutent.
25 Effunde ſuper eos indignationem tuã,
& æſtus iræ tuæ aſſequatur eos.
26 *g* Sint caſtella eorum deſolata, in ten-
toriis eorum ne ſit habitator:
27 [24] Quia [25] quem tu percuſſiſti perſe-
quuntur, & ſecundùm dolorem confoſſorum
tuorum [26] narrationes contexunt.
28 [27] Appone *h* pœnam ad pœnam iniqui-
tatis eorũ, & [28] ne veniant in juſtitiam tuam.
29 [29] Deleantur de libro vitæ, & cum juſtis
ne conſcribantur.
30 [30] Ego verò pauper & dolens; *quum*
ſalus tua, Deus, in edito collocaverit me,
31 Laudabo nomen Dei cantico, & magni-
ficabo eum gratiarum actione,
32 Quæ melior videbitur Jehovæ; bove,
juvenco, cornuto, *aut* ungulam ſciſſam haben-
te [31] *quoquam*.

1 vide in Pſal. 45.1.
2 ode eſt εὐκτικὴ continens petitionem à verſ. 2. uſque ad 30. & concluſionem laudativam, inde ad finem uſque: videtur autem David, velut typus Chriſti à Deo datus, hãc oden ſcripſiſſe ipſius Chriſti & eccleſiæ nomine: prout evangelica hiſtoria cõmonſtrat, & Apoſtoli accommodant.
3 prolepſis ſive propoſitio univerſalis eorum quæ petuntur à Deo, continens poſtulatum, & poſtulati cauſam allegoricã. Exornatur autem hęc propoſitio, uſq; ad ℣. 31. idque duobus capitibus: unum eſt, precatio pro ſalute ſupplicis, à ℣. 2. ad 20. alterum, imprecatio in adverſarios, uſque ad 31. quorum utrique adhibentur ſuæ cauſæ.
4 id eſt, verſor in gravi diſcrimine vitæ: quæ allegoria duobus ſequentibus verſibus amplificatur ab omnibus circumſtantiis ex quibus homines mergi ſolent. Prima poſtulati cauſa, à perſona ſupplicis.
a *Hebr. profunditatis.*
5 accommodatio allegoriæ, quaſi dicat, antea tantiſper dum non fuerunt ipſorum conſilia conſtituta & conventus habitus ad ea perficienda: diſſimularunt, neque intentarunt quidquam: jam verò hæc eſt hora illa quam obſervarunt ipſi & poteſtas tenebrarum, vide Matt. 26.55. & Lucæ 20.53. Altera poſtulati cauſa, à perſona adverſariorum.
6 nimirum quum me conantur ſuccidere, & ſibi videntur ex facto perficere, tunc illud rependere cogor morte, qua eſt perſolutum pretium pro peccatis mundi; quæ uno rapiendi verbo ſynecdochicè deſignantur.
7 tertia poſtulati cauſa, à conſcientia Dei.
8 i. qua me onerant & criminantur adverſarii: ſic etiã reatus mei mox appellãtur, hoc verſu: quaſi dicat, ut mihi es horum meorum criminum omnium teſtis, quæ objiciuntur mihi.
9 ſumma poſtulati cauſa, gloria Dei in confirmatione fidelium omnium.
10 amplificatio poſtremæ cauſæ, primum per explicationem & profeſſionem ſtudii ſui erga Deum: quod etſi indignè premebatur, invictum tamen permanere docet, tribus verſibus: deinde per antitheſin improbitatis adverſariorum cum officio ipſius erga Deum, verſ. 11. 12. & 13.
‖ *Ioan.* 2.17.

11 alterũ membrum exornationis per antitheſin, ut modo dictum eſt.
b *Hebr. in probra.*
12 i. compono me ad dolorem & luctum: ſynecdoche.
13 i. traducor omnibus modis in publicis & privatis cõſeſſibus, ſeriis, & ludicris, ſobriis & ebriis, denique apud omnes ludibrio ſum.
c *Heb. pulſationes.*
14 hactenus cauſæ: nunc ſequitur petitio ſalutis, quam ſecundo verſu ſummatim attigerat, uſque ad ℣ 20.
15 i. tempus eſt jam ut benevolentia tua utaris erga me, & oſtẽdas eam: prout jam ab æterno hoc benevolentiæ & gratiæ tẽpus ſtatuiſti ad ſervandum tuos: ut Jeſchah. 49.8. & 2. Cor. 6.2.
d *Heb. ſalutis tuæ.*
16 petitio reſpiciens ad querimoniam verſus ſecundi & tertii, verſibus duobus.
17 id eſt, vorago profundiſſima ſine crepidine & effugio ullo: allegoria.
18 accommodatio allegoriæ vehementiſſima, continens petitiones duas, quæ duobus ſequentibus verſibus præpoſtero ordine explicantur.
19 i. ut redemtus & victor triumphem ac exſultem de inimicis meis: ſic tranſitur ad imprecationem alteram orationis partẽ.
20 ſecunda pars petitionis, imprecatio: ad quã venitur repetita paucis querimonia de probro & calamitate ſua, tribus verſ.
e *Heb. cor.*
f *Hebr. venenum vel cicutam.*
‖ *Matth.* 27.34. *Marc.* 15.23. *Joan.* 19.29.
21 ſequitur poſt querimoniam imprecatio, uſq; ad verſum 31. cujus partes ſunt duæ: una, in vitam præſentem, uſque ad verſ. 26 altera, in futuram. Maledictionis autem præſentis duo ſunt genera: unum, in ipſas perſonas, tribus verſibus: alterum, in ipſas habitationes & facultates earum: verſ. 25. quæ petitiones ex adverſo reſpondent querimoniis ſuperioribus inverſo ordine.
22 qui amarore aluerunt me, &c.
23 hoc eſt, ut talionis pœnam luant: ſic interpretandam eſſe hanc vocem (quæ nuſquam alibi plurali numero ſubſtantivè legitur) evincit Apoſtolus ad Rom. 11.9.
g *Heb ſit caſtellum: enallage numeri.*
14 tranſitio ad alterum orationis membrum: præfixa ætiologia hoc verſ ab infidelitate, injuſtitia, & inhumanitate hoſtium.
25 ſic Chriſtus percuſſus Dei appellatur Jeſchah. 53.4.
26 i. ſermone illos ludificantur: & eò quidem atrocius, quò duriùs illos à te tractari vident: quod Chriſto & piis accidiſſe omnes hiſtoriæ teſtantur.
27 i. affice eos æterna pœna, quaſi alteram ſuperaddas alteri: humanitùs dictum de pœnis æternis quas infligit Deus, prout ſequentia docent.
h *Hebr iniquitatem ad iniquitatem: ut Geneſ* 4.13.
28 i. ne accenſeantur juſtis, ut ſequens verſus explicat humanitus.
29 ut Exod. 32.32.
30 Concluſio laudativa, continens primùm propoſitioné laudis: uſque ad verſ. 36. deinde ætiologiam, duobus ultimis: laudationis autem tria ſunt membra: unum à ſupplice liberato, tribus verſibus: ſecundum, ab eccleſia, verſ. 33. & ſeq. tertium, à toto mundo, verſ. 35.
31 id eſt, ullius animalis quamvis legitimo ſacrificio.

33 Quod

33 *Quod ubi* viderint manſueti, lætabuntur; & [32] reviviſcet animus veſter, ô quærentes Deum:

34 Quòd attendat ad egentes Jehova, & vinctos ſuos non ſpernat.

35 [33] Laudabunt eum cæli & terra; maria, & quicquid repit in eis.

36 Quia Deus ſervat [34] Tzijonem, & inſtaurat civitates Jehudæ; ut habitent ibi, & hæreditario jure poſſideant eam *terram*:

37 *i* [35] Poſteri, inquam, ſervorum ejus poſſideant eam; & amantes nominis ejus habitent in ea.

32 id eſt, qui jam amplitudine calamitatis meæ confuſus proſternebatur, quaſi recepta vita exſultabit. 33 nimirum ſuo modo, quum inſtaurabitur per Chriſtum Eccleſia: vide Rom. 8. proſopopœia. 34 i. Eccleſiam, cuj⁹ typus olim fuit Tzijon, & Judæa tota. i Heb. *ſemen.* 35 id eſt, Jiſrael Dei, & vera eccleſiæ membra.

## Psalmus LXX.

*Argumentum eſt idem cum fine pſalmi* 40.

1 MAgiſtro ſymphoniæ, [1] *ode* Davidis [2] ad recordandum.

2 Deus ad eripiendum me; Jehova, ad auxilium meum feſtina.

3 Pudefiant & rubore perfundantur quærentes animã meam: agãtur retrorſum & ignominia afficiantur qui delectantur malo meo.

4 Retrocedant pro mercede pudoris ſui, qui dicunt, euge, euge.

5 Gaudeant & lætentur in te omnes quærentes te; ac dicant jugiter, magnificetur Deus amantes ſalutis tuæ.

6 Ego verò ſum pauper & egens, ô Deus, feſtina mea cauſa: auxilium meum & liberator meus es; Jehova, ne tardes.

1 ode eſt διδακτικὴ, eodẽ planè argumento & iiſdem propè vocibus cum pſalmo 40. à ℣. 14. ad finem uſque. 2 vide pſalmo 38. 1.

## Psalmus LXXI.

*Pſaltes fidem ſuam in Deum profeſſus ſervari ab inimicis petit, & Deum à munifica natura ejus, promiſſionibus, operibus anteactis, gloriaq; ſolicitans adverſariis imprecatur male: officium ſuum erga Deum liberatione accepta profitetur, & de ea cum animo ſuo confirmatus ſecurè ſpondet ſe gratias acturum Deo.*

1 AD [1] te, ‖ Jehova, me recipio, ne erubeſcam unquam.

2 [2] Juſtitiâ tua eripe me & libera me; inclina ad me aurem tuam, ac ſerva me.

3 Eſto mihi *a* rupes quam inhabitem, quò veniám jugiter; [3] præceptum poſuiſti de ſervando me, quia petra mea & munitio mea es.

4 [4] Deus mi, libera me è manu improbi; manu *b* iniquè & præfractè agentis.

5 Nam tu *es* exſpectatio mea, Domine Jehovi; fiducia mea à pueritia mea.

6 [5] Tibi innitor inde ab utero; à viſceribus matris meæ tu abripuiſti me: [6] in te *eſt* laus mea jugiter.

7 [7] Tamquam oſtentum fui multis; adeò es mihi receptus robuſtus.

8 [8] Impleatur os meum laude tua, toto die gloriâ tuâ.

9 [9] Ne abjicias me tempore ſenectutis: quum deficit virtus mea, ne derelinquas me;

10 Quia loquuntur inimici mei de me, & obſervantes animam meam [10] conſultant ſimul:

11 Dicendo, Deus dereliquit eum, perſequimini & prehendite eum; quia nemo *eſt* qui eripiat.

12 Deus, ne longè abeſto à me; Deus mi, ad auxilium meum feſtina.

13 Pudefiant, deficiant adverſantes animæ meæ; operiãtur opprobrio & ignominia quærentes malum meum.

14 [11] Ego verò jugiter in exſpectatione ſum, [12] de tota laude tua; & perrecturus ſum.

15 Os meum narraturum eſt juſtitiã tuam, quotidie ſalutem tuam: quamvis ignorem [13] numeros *ejus*.

16 Aggrediar *c* omnimodam fortitudinem, Domine Jehovi; commemorabo juſtitiam tuam ſolius.

17 Deus, [14] docuiſti me à pueritia mea, & hucuſque indicavi mirabilia tua.

18 Quare etiã tantiſper dum *d* ſenex & canus ſum, Deus, ne derelinquas me; donec indicavero [15] brachium tuum *huic* generationi, omni ventur æ *generationi* fortitudinem tuam:

19 Nam juſtitia tua Deus, in altum uſque *aſſurgit*: quia facis res magnas; Deus, quis *eſt* par tibi?

20 Quia poſtquam feciſti *e* ut experirer anguſtias magnas & malas; *f* rurſus vitæ reſtituis me, & ex abyſſis terræ rurſus facis ut aſcendam.

21 Auges magnitudinem meam, & [16] divertens conſolaris me.

22 [17] Etiam ego celebraturus ſum te inſtrumento nablii, fidem*que* tuam Deus mi: pſallam tibi cithara, ô ſancte Jiſraelis.

23 Cantabunt labia mea, quando pſallam tibi, & anima mea quam redemeris;

24 Etiam lingua mea quotidie enunciabit juſtitiam tuã: quòd erubuerint, quòd pudore perfuſi fuerint quærentes malum meum.

1 ode eſt αἰτιγραφικὸς, generis; διδακτικοῦ, conſtans ex duabus partibus: prior eſt petitio, uſque ad verſ. 22. poſterior, votum laudis & gratiarum actionis, inde ad finem uſque. Petitionis autem ſumma eſt, ut Deus ſervet ſupplicem: quæ petitio per prolepſin enunciata, verſ. 1. ſuis deinde argumentis amplificatur. primum eſt à natura, promiſſionibus, operibus, & gloria Dei uſque ad ℣. 9. ſecundum, à perſona adverſariorum, inde uſque ad verſ. 14. tertium à perſona ſupplicis, inde uſq; ad verſ. 22. videtur autem hunc pſalmum ſcripſiſſe David jam ſenex, quum fugeret ab Abſchalomo filio; ut multis hujus odes verſibus non obſcurè indicatur. ‖ *Pſalm.* 31.

2 primus locus à natura Dei juſta & gratioſa. a *Hebr. in rupem habitaculi.*

3 ſecundus locus à verbo & promiſſionibus Dei quas amplectitur fides, duobus verſibus. 4 tranſitio ad tertium locum, qui eſt ab operibus ſingularibus Dei erga Davidem, & anteacta ejus fide atque experientia. Fit autem hæc tranſitio per repetitionem poſtulati, de quo verſ. 1. b *Heb. inique agentis & præfracti.*

5 i. tu ſuſtentas me inde à cõceptu atque ortu meo. 6 i. nulla pars vitæ meæ vacat tuis beneficiis, ac proinde tota ad laudem tuam pertinet: tranſitio ad quartum locum à gloria Dei. 7 i. tanta fide & virtute protexiſti me, ut exemplo meo quod ipſis oſtendiſti, multi adducti ſint ad credendum tibi. Hanc enim propriam eſſe vocis Hebrææ ſignificationem arguunt omnes ſcripturæ loci, ubi perſonis tribuitur.

8 ita mihi benefac, ut nihil in ore geram præterquam beneficia tua, laudandi tui argumenta.

9 repetitio poſtulati cum amplificatione à perſona ſupplicis: qua ratione tranſitur ad ſecundum argumentorum genus de perſona adverſariorum; in quo primùm impietatem illorum exponit, deinde imprecatur verſ. 13.

10 vide 1. Sche. 16. & 17. 11 tertium argumentum poſtulati à perſona ſupplicis: in quo profitetur pſaltes primùm ſpẽ ſuam præſentem & fidẽ in Deum, deinde officium in futurum pollicetur de laudibus Dei prædicandis, poſtremò: ab anteacta experientia & acceptis documentis, ac beneficiis Dei poſtulatum ſalutis ſuæ repetit, à ℣. 17. uſque ad 22. 12 i. quandoquidem jamq; laudis argumenta dediſti mihi, & certis quaſi particulis illius aſperſiſti me, liberando me ex urbe, & Achithophelis conſilium evertendo, confido te effecturum ut tota tua laus in plenã mea inſtauratione demonſtretur. 13 vide Pſalm. 40. 6. Eſt autem in his verbis modeſta correctio, quaſi dicat, narrabo res inenarrabiles, non pro ipſarũ amplitudine, ſed pro tenui facultate mea: aggrediens ſaltẽ, verſũ ſequente, & fideliter expendens quæ docueris me, verſu 17. c *Heb. fortitudines.* 14 poſtremus locus à rebus antè geſtis. quarum genera ponuntur duo, documenta de verbo & ſpiritu, hoc verſu: & opera, verſ. 19. & ſequentibus. d *Heb. ſenectus & canities eſt.* 15 i. opus maximum & valentiſſimum, vt ſequentia exegeticè oſtendunt. e *Heb. feciſti viderem ſynecdoche.*

f *Hebraicè, reverteris, vita reſtituis, &c. ſic reverteris, facis ut aſcendam, mox in fine verſus.* 16 ſupple ad me: humanitus dictum. 17 concluſio votiva laudis omnimodæ, & gratiarum actionis ex animo & corpore.

## Psalmus LXXII.

*David moriturus Deum orat ut Schelomoni ſpiritum juſtitiæ tribuat, legitimamq; adminiſtrationem & benedictionem ſuam: deinde juſta adminiſtratione & benedictione Schelomonis ac Chriſti elegãtiſſimis verſibus celebrata; benedicit Deo.*

1 PRo [1] Schelomone. [2] O Deus, judicia tua regi da, & juſtitiam tuam filio regis:

2 Judicet populum tuum *a* juſtè, & pauperes tuos jure.

3 Proferant [3] montes [4] pacem populo, & colles propter [5] juſtitiam.

1 ode eſt διδακτικὴ, qua moriturus David Schelomonem filium Regem inſtitutum commendat Deo, & illius ſpecie (prout Schelomo typus fuit Chriſti) regnum Dei in Chriſto venturum optat & prædicat. Quamobrem hæc ode ex tribus partibus conſtat: prima eſt petitio, tribus primis verſibus: ſecunda eſt prophetica regni Schelomonis ac potius Chriſti deſcriptio, à verſu 4. uſque ad 17. tertia, laudatio, ad finem uſque.

2 hujus petitionis tria ſunt capita: primum, ut Deus ſpiritu juſtitiæ Schelomonem inſtruat ad officium perfungendum, prout petiit Schelomo 1. Reg. 3. ſecundum, uſus juſtitiæ à Deo collatæ, verſu 2. tertium, fructus benedictionis Dei ex adminiſtrata juſtitia ad ipſum & ad totum regnum perventurus, verſ. 3.

a *Hebr. in juſtitia.* 3 i. totum regnum [illegible] ibus abundans: ſynecdoche.

4 i. omnimodam benedictionem, ut pacis nomen ferè ab Hebræis accipitur.

5 quam culturus eſt & adminiſtraturus Schelomo.

4 [6] Vindicabit pauperes populi: ſervabit [7]
filios egentis, conteret verò oppreſſorem.
5 Reverebuntur te *b* quam diu erit ſol; &
durante luna in generationem æternam.
6 Ut quum deſcendit pluvia ſuper ſectam
herbam; quum imbres, irrigatio terræ;
7 Florebit temporibus ejus juſtus; & am-
plitudo pacis, [8] donec non ſit luna.
8 Et dominabitur [9] à *c* mari uno ad alterũ,
& à flumine *d* quaquà *ſunt* fines terræ.
9 Coram eo honorem exhibentes incur-
vabunt ſe *e* barbari, & inimici ejus [10] pulve-
rem lingent.
10 [11] Reges oceani *accolæ* & inſulani mu-
nus reddent, reges [12] Schebæ & Sebæ dona-
ria offerent:
11 Deniq; incurvabunt ſe *honorem exhiben-
tes* ei omnes reges, omnes gentes ſervient ei.
12 Quoniam eripiet gentem vociferan-
tem, & pauperem cui non fuerit adjutor.

6 prophetica explicatio regni Chriſti (quod Schelomonis regno præfiguratum eſt) per exornationem duorum capitũ quę in petitione poſita ſunt, nimirum adminiſtratę juſtitiæ & fructus ex ea perventuri, juſtitiæ autem duæ ſunt partes, bonorũ defenſio, & improborum ultio: fructus gradibus quatuor diſtinguitur: primus eſt timoris & reverẽtiæ Dei, verſ.5. ſecundus, incrementi & ædificationis eccleſiæ, verſ.6. & 7. tertius, propagationis regni per vocationem gentium & voluntarium illarũ obſequium verſu 8. & ſequentibus: quartus, infinitę benedictiones ad ſubditos, & gloriæ ad regem perventuræ, inde à verſ.12. 7 i. quos diuturnis calamitatibus preſſit, ac veluti hæreditariis: vide Pſalm.57.35. b *Hebr. cum ſole, & ante lunam, generatione generationum.* 8 id eſt, in perpetuum: vide Geneſ.49.26. annot. 9 i. Schelomo quidem à mari mediterraneo ad mortuum, & ab Euphrate uſq; qua protenditur terminus deſcriptus Exod.23. Num.34. Deut.11. & alibi, ut completum fuiſſe legitur 1.Reg. 4.20. Chriſtus verò in univerſo mundo.
c *Heb. à mari uſque ad mare.* d *Heb. uſque ad fines terræ.* e *Heb. ſicci, id eſt, ſitientis deſerti incolæ, agreſtes atque indomiti.* 10 i. proni ſe in terram proſternent, in ſignum fidei, reverentiæ, atque obſequii. 11 vide 1.Reg.4.33. & toto decimo capite, quomodo hæc figurat: Schelomoni ex parte contigerint: quæ hodie implentur in Chriſto, ut ſequens verſus explicat. 12 vide Gen.10.7.

13 Parcet attenuato & egenti, animáſque
egentium ſervabit;
14 A dolo & à violentia vindicabit animam [13]
eorum: adeò ‖ pretioſus *eſt* ſanguis eorum in
oculis ejus.
15 Ideò [13] quamdiu vivet, [14] dabit ei de au-
ro Schebæ; & orabit [15] pro eo jugiter, toto die
benedicet ei.
16 [16] Ubi fuerit pugillus tritici in terra, [17]
in vertice montium, [18] commovebit ſe ut Li-
banus fructus ejus; & florebunt *f* cives ut her-
ba terræ.
17 [19] Erit nomen ejus in ſeculum, durante
*g* ſole ſoboleſcet nomen ejus; & benedicentes
ſibi in eo, omnes gentes beatũ prædicabũt eũ.
18 [20] Benedictus *ſit* Jehova Deus; Deus Jiſ-
raelis: qui facit mirabilia ſolus:
19 Et benedictum nomen gloriæ ejus in
ſeculum: [21] impleatúrq; gloriâ ejus tota terra,
amen, iterum amen.
20 [22] Finiuntur orationes Davidis filii Ji-
ſchai.

‖ *inf.*116.15. 13 quiſq; eorum quos redemerit & vendicaverit. 14 id eſt, ultrò ex tota facultate ſua pręſtabit debitum officium atq; obſequium: quod munerum collatione olim ſignificabatur ſynecdochicè, ut 1.Schem.10.27. 15 i. pro ſalute ejus, & bono totius regni. 16 hoc eſt, nihil erit tã exiguum, quod nõ augeatur vel multiplicetur in immenſum per benedictionem Dei. 17 i. etiam in loco incommodiſſimo. 18 i. mutuo conflictu perſtrepet copioſa ſeges, ut arbores Libani hyperbole.
f *Hebr. è civitate.* 19 hoc eſt, tum ipſe in ſempiternum vivet, tum de nomine ſuo filios Dei & Chriſtianos à ſe dictos gignet; qui nomini ipſius benedicant, & ſibi de hac ſua prærogativa gratulentur: nã hæc in ſpeciem tantum Schelomoni evenerunt. g *Heb. antè ſolem: ut ſup.* ℣. 5. 20 Concluſio laudativa. 21 id eſt, ſanctificato nomine ejus adveniat regnũ ejus. 22 i. hanc ultimam orationẽ moribundus habuit: vide 2. Schem.23.1. Etſi haud ſcio an non hic locus meliùs poſſit accipi in hanc ſententiã: hic finis orationũ (id eſt, Pſalmorũ hymnorumq; ſynecdochicè) quos David ipſe cõgeſſit in librũ hunc, & cõgeſtos depoſuit hoc ordine in Eccleſia Dei, & quorum omnium auctor eſt David per ſpiritũ Dei. Qui autem ſequuntur per alios temporibus variis collecti ſunt. Atque hæc ſententia mea.

# TERTIVS LIBER PSALMORVM.

## PSALM. LXXIII.

*Pſaltes poſt ſpiritale certamen erumpens in commendationem bonitatis Dei, exponit ægritudinem animi ſui & bonorum, cum propter ſecundos improborum ſucceſſus, tum propter calamitates ſuas: deinde rationem ſui expediẽdi oſtendens, incertum improborum ſtatum certumq; exitium proponit: poſtremo ſe totum credit Deo, & illi hæſurum profitetur.*

1 PSALMUS [1] Aſaphi. [2] Atqui bo-
nus eſt Jiſraeli Deus, puris *a* ani-
mo.
2 [3] Equidem *quod ad* me pe-
nè [4] declinaverant pedes mei; nihil ferè *aberat
quin* [5] effunderentur greſſus mei.
3 Quum inviderem inſanientibus, pro-
ſperitatem improborum aſpicerem.
4 [6] Nam non *ſunt* nexus uſque ad mortem
eorum, [7] ſed pingue *eſt* robur eorum.
5 In labore mortalium non ſunt, & cum
*reliquis* hominibus non afficiuntur plagis.
6 Idciro cingit eos [8] torques ſuperbiæ, o-
perit *velut* ornamentum violentia eos.

1 Pſalmus eſt didaſcalicus, cõtinens propoſitionẽ voluntatis Dei erga ſuos, verſ.1. confirmationem ab experientia prophetæ & piorum hominum, à verſu 2. uſque ad ℣. 23. & concluſionem, inde ad finem uſque. De hac autem inſcriptione vide Pſal.50.1.
2 propoſitio ex abrupto; qua propheta per paralepſin (quæ in ſcriptura frequentiſſima eſt) certamina carnis ſuæ & ſpiritus reticens, & quaſi repente ex difficultatibus eorum emergens, concluſionem proponit tantùm, affirmans utcumque calamitates urgeant, tamen Dei bonitatem ſemper eſſe præſentiſſimam bonis.
a *Heb corde: ut* verſ.7. *&* verſ.13. *& ſic deinceps.*
3 confirmatio propoſitionis per narrationem certaminis quod ſubeunt pii, uſque ad verſ. 15. & eventus quem largitur Deus, inde ad 23. Certaminis autem ponuntur duo genera: unum, ſingulare prophetæ, qui carnem ſuam fatetur proſperitati improborum, ſuiſque calamitatibus non ſatis acquieviſſe, uſque ad verſ. 10. alterum, commune piorum, verſibus ſequentib. 4 j. prægravatus carnis infirmitatibus animus prope aberraverat ab officio: metaphora.
5 i. diffluerem velut aqua, ne inſiſterem viis quas præſcripſit Deus.
6 prior locus ætiologiæ à continua improborum proſperitate, uſque ad ℣. 10. Eſt autem in his verbis elegantiſſima tranſlatio ad exprimendos ſecundos improborum caſus à textorum telis; quaſi dicat, quum primùm vitam ſuam orſi ſunt, perpetuo curſu eam ſine mora vel impedimento uſque ad extremum vitæ actum peragunt, ut quum ex æquabili vel enodi ſtamine & trama tela cõtexitur.
7 i. non ſunt ut exilia fragiliaque fila, quæ ſubinde ſit opus religare nodis: ſed ſunt velut robuſta, craſſa, æqua, & valentia fila, quæ ad finem uſque illæſa percurrunt telam præſentis vitæ: hæc metaphora in ſequentibus verſ. exponitur: cui ſimilem vide Jeſchah.38.10. & 14. 8 i. ſuperba ſua violentaque facta gloriæ ſibi & ornamento vertunt.

7 Emicat præ pinguedine uterque oculus
eorum, [9] ſuperant cogitationes animi.
8 [10] Tabifici ſunt, & loquuntur malignè op-
preſſionem: & [11] è ſublimi loquuntur.
9 [12] Opponunt cælis os ſuum, & lingua eo-
rum pervadit terram.
10 [13] Ideoque redit populus ejus huc, [14]
quum æquæ pleni poculi exprimuntur ipſis,
11 [15] Ut dicant, quomodo cognoſceret Deus
fortis? aut eſſet notitia in excelſo?
12 Ecce iſtos improbos, ut tranquilli *b* in
ſeculo augeant vires.
13 Utiq; inaniter purifico animum meum,
& [16] lavo in munditia manus meas:
14 Quum ſim plaga affectus quotidie, &
caſtigatio mea *præſto ſit* matutinis ſingulis.
15 [17] Si dixerim, [18] narrabo *c* talia; [19] ecce
generationi filiorum tuorum perfidus fuero;
16 Si cogitem cognoſcere hoc, *d* laborio-
ſum *viſum* eſt in oculis meis:
17 Donec [20] ingreſſus eſſem in ſanctuaria
*Dei* fortis, animadvertiſſem [21] finem iſtorum.
18 [22] Utique in lubricis ponis eos, dejiciens
eos in vaſtitates.
19 Quomodo *e* abeunt in deſolationem

9 id eſt, ſecundis etiam rebus utuntur ſupra quàm ipſi cogitaverant. 10 id eſt, facto & ſermone ſunt exitioſi aliis, quaſi eos conſumant tabe. 11 proverbiale loquendi genus, apud Græcos & Latinos auctores frequens. 12 id eſt, licenter & impunè in Deum blaſphemias eructant, & in humanũ genus cõtumelias: metonymia. 13 Secundus locus ætiologiæ à communi piorum ſenſu. 14 id eſt, quum non tantum indignam improborum felicitatem obſervant, ſed ſuas etiam calamitates quaſi amaras potiones in dies ſibi cõparari vident. 15 attoniti rerum gravitate & infirmitate carnis, quaſi in dubium vocantes providentiam & adminiſtrationem Dei. b *Hebr. ſeculi.* 16 ut ſuprà 26 6. 17 altera pars pſalmi incipiens à diſceptatione dilemmatica; qua docet pſaltes quam rationem tandem ſecutus ſit ad eventus bonorum malorumque cognoſcendos, poſtquam exploravit has duas judicandi vias quæ duobus hiſce verſibus continentur. nam hoc verſu oſtendit quantoperè ipſum caro ſollicitaverit ut judicaret de piis ex re præſente, quod mundus ſolet facere; ſequente verò docet quomodo miſſo ſenſu carnis, & ſpiritus ſui tenuitate agnita adductus ſit ad conſulendum Deum: hæc autem ſunt μεταβατικά, ad alteram orationis partem de eventu.
18 id eſt, res ſecundas improborum, & contrà bonorum adverſas.
c *Heb. ſicut* hæc. 19 i. impius fuero, & injurius piis.
d *Hebr. labor.* 20 i. contuliſſem me ad doctrinam cæleſtem percipiendam, quæ in locis ſacris & prophetarum ſcholis tradebatur: ſic enim Davidẽ à Schaule Najothas ad Schemuelem fugiſſe, ubi conventus prophetarum habebatur, legimus 1. Schem. 9.18.
21 i. exitum quem improbis tribuit Deus obſervaſſem.
22 propoſitio metaphorica ſtatus & eventus improborum, quam duo ſequ. verſ. illuſtrans.
e *Hebr. ſunt.*

quaſi momento; deſinunt, conſumuntur [23]
terroribus?

20 [24] Tamquam ſomnium, poſtquam evi-
gilavit *quiſpiam*? Domine, [25] quum *f* exper-
giſceris, [26] imaginem eorum contemnis.

21 [27] Quum exacerbatur animus meus, &
*in* renibus meis me ipſum exacuebam.

22 [28] Tum eram brutus, qui ignorarem:
*velut* jumenta eram apud te.

23 [29] Itaq; ego jugiter *futurus ſum* tecum;
[30] prehendiſti manum dexteram meam.

24 [31] Conſilio tuo deduc me, ut poſtmo-
dum *in* gloriam recipias me.

25 Quis *eſſet* mihi in cælis *præter te*? & *g*
præter te nullo delector in terra.

26 [32] Deficiente carne mea & animo meo;
rupes animi mei & portio mea Deus *eſt* in ſe-
culum.

27 [33] Nam ecce longinqui *h* à te pereunt,
exſcindis *i* quicunq; adulterando *deficit* à te.

28 De me itaque, propinquum eſſe Deo
mihi bonum *eſt*; pono in Domino Jehovi re-
ceptum meum, ut enarrem omnia opera tua.

23 vide Ijobi 18. 24 i. ipſi cum felicitate ſua evaneſcunt. 25 i. incipis exſerere vim tuam ad efficiendum juſtitiam tuam: humanitùs dictum; ut Pſ. 35.18. f Heb. vel cum expergefacis, iſtos videlicet. 26 i. eos ipſos, qui nô ampliùs ſunt quàm umbra imaginaria, ut Pſ 39.7. 27 Côfeſſio peccati in priore illa cogitatione & voluntate hærentis, ad excitâdum ſtudium ſuum & amplificandam gloriam Dei; verſibus ſequentibus. 28 i. non magis ſapiebam in rebus iſtis, quàm pecudes. 29 Concluſio, qua propheta beneficium Dei agnoſcens primùm ſe illi regendum & ducendum tradit, ſequente verſu; deinde ſummam Dei majeſtatem cum infirmitate ſua comparans, bonorumque eventa cum improborum exitiis, ſe hæſurum Deo perpetuo profitetur ad gloriam ipſius.
30 i. in lubrico hujus vitæ labentem ſuſtinuiſti doctrina & operibus tuis, ℣. 17.
31 non autem ex ſententia animi mei. g Heb. tecum. 32 i. quæcumque me anguſtiæ corporis aut animæ urant. 33 Confirmatio gloriationis piorum in Deo, à contrario improborum eventu, quem ſuprà docuit.
h Heb. tui. i Heb. adulteratum à te.

## Psalm. LXXIV.

*Eccleſia graviſſimis calamitatibus ab Antiocho Epimane oppreſſa expoſtulat cum Deo de ſuis perpeſſionibus; ſcelera hoſtium proponit: & Deum tamdiu ceſſare conqueſta, federis ipſius, & magnificorum operum recordatur, indigniſſimorumq; in Deum facinorum quæ hoſtes perpetraverant: idcirco Deum pro ſalute ſua, gloria nominis ipſius, & hoſtium confuſione ſupplicat.*

1 [1] ODe didaſcalica, [2] Aſapho. [3] Quare
Deus [4] rejicis in æternum? [5] fumare
pergit ira tua in gregem paſtus tui?

2 [6] Recordare cœtus tui; te acquiſiviſſe *a*
anteà, vindicaſſe. tribum poſſeſſionis tuæ;
montem Tzijonis hunc *eſſe* in quo habitabas.

3 [7] Attolle pedes tuos ad vaſtitates [8] æter-
nas, *ad* omnia mala *quæ* facit inimicus [9] in lo-
co ſancto.

4 [10] Rugientes hoſtes tui in medio ſyna-
gogarum tuarum [11] poſuerunt inſignia ſua *b*
*pro* inſignibus.

5 *c* Nobilis habitus eſt *eorum quiſq;* [12] prout
efferebat ſurſũ *d* côtra implexa ligna ſecures.

6 [13] Etiam nunc ſculpturas ejus ſimul, ve-
cte & tuditibus tundunt.

1 in perpetuum Eccleſiæ documentum tradita, ut Pſalm. 44.1. Eſt autem hæc ode generis ἐγκλιαστικοῦ καὶ ὀλκτικοῦ, continens partes tres, Exordium ſive propoſitionem, ℣. 1. 2 & 3. narrationem à ℣. 4. ad 10. & petitionẽ, inde ad finem uſque. 2 ut Pſal. 50.1. Videtur autem hãc oden Eccleſia Deo ceciniſſe, quo tempore Antiochus Epiphanes populum Dei duriſſima tyrannide preſſit, & omnem cultum Dei nefariè prophanavit. 3 Exordium ſive propoſitio proleptica, conſtans ex duabus partibus; expoſtulatione cum Deo, verſ. 1. & petitione, duobus ſequentibus: quæ duæ partes exordii reliquo pſalmo exornantur.
4 i. nobis adeſſe & gratificari deſinis tamdiu & ſine intermiſſione.
5 i. ardet: ſynecdoche metaphorica. 6 i. demonſtra opere te non oblitum eſſe Eccleſiæ, regni, & religioſi loci quem anteà præſentia tua inſtitutoque ſanctificaveras. a Heb. antique. 7 i. accurre: advola, ut Gen 29.1. humanitùs dictum.
8 i. indeſinentes & perpetuò durantes, ſine intercapedine, ut verſ. 1.
9 i. templo urbe & regione ſancta: quomodo accipiendum eſſe docebunt ſequentia. 10 narratio explicans expoſtulationẽ verſus primi, primùm à maleficiis tyrannicis adverſariorum, uſq; ad verſ. 9 deinde à privatione ſingularium beneficiorum Dei, verſ. 9. 11 i. omnia ſigna cultus ſacri à Deo inſtituta, publica & privata, in templo, urbe, agro, regione tota, & in hominibus ipſis ſuſtulerũt ut ſua tropæa, idola, ſtatuas, prophanos cultus, præputium, & omnia illegitima exercitia in populum Dei inveherent: de his videndi ſunt libri Macbæorum, & Joſephus antiq. Judaic. lib. 11. b Heb. r. ſigna c Heb. cognitus, eſt: ut inf. 76.2.
12 i. quò vehementius inteſtina opera ſacra è ligno affabrefacta & coagmẽtata diſſipabat. hunc verſum ita reddendum eſſe Hebraicæ voces, accentus, & contextus ipſe docent. d Heb. contra implexum libri. 13 amplificatio à circumſtantia temporis, q. d. ne hoc quidem hominibus iſtis eſt ſatis, quod disjecta & diſturbata ſunt omnia, conquirunt rudera quæ vectibus impellant, & minutas particulas quas malleis comminuant; adeò altè infixum hæret odium cultus tui, & religionis noſtræ. hîc autem Syræ voces, ac non Hebrææ adhibentur ad evidentiorem temporis quo hæc geſta ſunt deſignationem.

7 *e* Immiſerunt ignem in [14] ſanctuaria tua;
*dejicientes* in terram prophanârunt taberna-
culum nominis tui.

8 Dixerunt *f* cum animo ſuo vim infera-
mus eis pariter: incenderunt omnes ſynago-
gas *Dei* fortis *dejicientes* in terram.

9 [15] Inſignia noſtra non videmus; non *eſt*
ampliùs propheta, neq; *eſt* apud nos qui ſciat
uſque quò.

10 [16] Quouſq; ô Deus, probro afficiet ho-
ſtis? irritabit inimicus nomen tuũ in æternũ.

11 Quare avertis manum tuam, [17] & *quidẽ*
dexteram tuam? [18] è medio ſinus tui cohibe.

12 [19] Atqui Deus [20] rex meus *eſt* jam olim, o-
perans *g* omnimodã ſalutem in medio terræ:

13 ‖ Tu diſrupiſti robore tuo mare, per-
fregiſti capita [21] cetorum in aquis.

14 Tu côquaſaſti capita [22] balenæ, dediſti
[23] cibum ipſi populo *h* ‖ per deſerta *proficiſcẽti*.

15 ‖ Tu [24] fidiſti fontem & [25] torrentem;
tu [26] arefacis fluvios validos.

16 Tuus *eſt* dies, etiam tua nox: tu paraſti
[27] lumen *hujus* & ſolem.

17 Tu ſtatuiſti omnes terminos terræ: i-
pſam æſtatem & hiemem tu formaſti.

18 [28] Recordare *ſaltem* hujus; *i* inimicum
probro afficere, ô Jehova, & populum ſtul-
tum irritare nomen tuum.

19 [29] Ne tradas *iſti* catervæ *k* vitam [30] tur-
turis tuæ, catervæ pauperum tuorum afflicto-
rum ne obliviſcaris in æternum.

20 Intuêre in fedus: [31] nam repleta ſunt
obſcuriſſima loca terræ, caulæ *ſunt* violentiæ.

21 Qui attritus eſt, ne redeat [32] confuſus;
pauper & egens laudent nomen tuum.

22 Surge, ô Deus, *l* age cauſam tuã; recorda-
re opprobrii tui *quo afficeris* à ſtulto quotidie.

23 Ne obliviſcaris vocis hoſtiũ tuorum; ſtre-
pitus inſurgentium in te, *m* angeſcẽtis jugiter.

e Heb. miſerunt in ignem tuum ſanctuarium: hypallage: ut Judic. 1.8. 14 i. loca ſacra, ſynagogas, ſcholas, & ſi quæ ſũt ejuſmodi: ut ſequente verſu exponitur. f Heb. in corde ſuo. 15 i. omnia illa priſca teſtimonia & documẽta ceremoniarum, quarum pædagogio nos antea inſtituebat Deus. Hoc primum eſt beneficium ademtum: cui ſubnectuntur duo alia: unum, ordinariæ prædicationi verbi; alterum, ſingularis prophetiæ, qua extra ordinem conſolabãtur populum Prophetæ per ſingulares revelationes ſpiritus. 16 altera pars pſalmi, continẽs primum expoſtulationẽ cum Deo, duobus verſibus: deinde patheticam propoſitionem cauſarum ex quibus Deus ad miſericordiam provocatur, à verſ. 12. ad 9. ac poſtremò petitionem gratiæ & liberationis reliquis verſibus. Expoſtulationis autẽ partes ſunt duæ: una, quòd blaſphematur Deus, hoc verſu; altera, quod ipſo ceſſante opprimuntur pii, ſeq. verſu. 17 i. liberatricem & pios ſuſtentantem: nam hoc benignum Dei opus erga ſuos in ſcripturis ferè dexteræ attribuitur humanitùs.
18 i. ne ſinito ampliùs otioſam eſſe; ſed velut eductam exerce in adjumentum noſtrum: humanitùs dictum, ut de pigro dicitur Prover. 19.24. & 26.15.
19 propoſitio argumentorum quibus provocatur Deus ad miſericordiam, à conſtantia primùm naturæ ejus federiſque gratioſi, hoc verſu; deinde operum ejus tum ſingularium quæ extra ordinem Deus populo ſuo præſtitit, tribus ſeq. tum eorum quæ ex ordine naturæ pergunt. verſ. 16. & 17.
20 id eſt, curat me ab æterno, recipiens me in fidem & clientelam ſuam.
g Heb ſalutes. ‖ Exod. 14. 21 ſive crocodilorum, ut Jechezkelis 29.3. i. monarcharum, magnatum, & ducum, quorum operam adhibuit Parho ad perſequendum Jiſraelitas, vide Exod. 15.4. 22 i. Parhonis, quem cum copiis obrivit mare: ſic Jeſchah. 27.1. 23 i. Man & côturnices, de quibus Exod. 16. & Num. 11. hunc autem locum ita accipiendum eſſe oſtendit ipſa verborum ſeries cum hiſtoria comparata. ſimilem conſtructionem vide Jehoſ. h. 15.19. & Jud. 1.15.
h Heb. deſertorum. ‖ Exod. 16. & Deut. 8. ‖ Exod. 17.6. Num. 20.11.
24 i. petram & rupem, ut manaret fontem frequens ſynecdoche à fine, ut vulgo coquere panem, molere farinam dicimus, ex Jeſch. 44.19 & 47.2.
25 aquam multam ut biberet cœtus & jumenta ejus, Num. 20.11.
26 i. ut ſpatium aridum effeciſti ad tranſitum populi tui per Jardenẽ, quo tempore Jarden ſuperabat omnes ripas ſuas. Sic elicit pſaltes theſin ex hypotheſi ſive exemplo ſingulari, ut commodiùs ad alterum genus operum tranſeat.
27 i. Lunam cum ſtellis, niſi quis fortè de lumine accipi maluerit, quod primo die emiſſum à Deo, in die quarto demum fuit aptatum Soli. 28 poſtremus commiſerationis locus ab indignitate blaſphemiarum quas in Deum torquent inimici. q. d. ut taceamus gratioſum fedus tuum nobiſcum & opera admirabilia, ſaltem hoc effice, ut nomen tuum vindicetur ab inimicis tuis.
i Heb inimicus probro afficit, &c. 29 petitio tripartita, pro ratione cauſarum quæ modo adductæ ſunt: quæ primùm ſalutem Eccleſiæ, tribus verſibus; deinde gloriam nominis Dei, verſ. 2. ac poſtremò compreſſionem impiorum poſtulat. verſ. ult. k Heb. animam. 30 i. Eccleſiæ tuæ inermis, imbellis, ſimplicis, & mitis, prout columba eſt, adeoque turtur, qui minimus cenſetur in columbarum genere, teſte Ariſtot. lib. 5. de hiſtoria animalium, cap. 3. 31 nihil eſt tam abſtruſum atque reconditum, quo non pervaſerit iſtorum violentia. 32 i. repulſam referens. l Heb. contende contentionem tuam. m Heb. aſcendentis.

## Psalmus LXXV.

*David accepto nuncio de Abneri cæde, à novis diſcidiis metuens Deum orat, ut propter nomen ſuum miſereatur populi: officiumque ſuum erga Deum & populum ſibi conciliatum profeſſus, Deum orat, ut pergat regnum ipſi tradere, in quo Deo ſervire & populum juſtè gubernare poſſit.*

[1] vide ſup. pſ. 57. 1
1. pſalmus eſt ἀπευκτικὸς, ſive (ut dicamus) deprecativ⁹ quo deprecatur David funeſta illa & exitialia bella, quæ inter ipſum & domũ Schaulis geſta fuerant, videns utrimq; populũ miſerè perditũ iri, niſi Deus pro miſericordia ſua provideret. Hũc enim pſalmum ad ea tempora pertinere nominatim oſtendit verſus quartus, quibus Abner, ad Davidem profectus regnum Jiſraelis obtulerat ipſi; & Joab totũ conſilium nefario ſuo ſcelere ita conturbaverat, ut à gravioribus bellis metus eſſet, 2. Sché. 3. Conſtat autem ex duabus partibus: prima eſt propoſitio locorum ex quibus Dei miſericordia imploratur à verſ. 2. ad 10. ſecunda, petitio, duobus ultimis.

1 MAgiſtro ſymphoniæ, [1] ne perdas; pſal-
mus [2] Aſapho, & canticum.
2 [3] Celebramus te Deus, celebramus:
[4] nam propinquum nomen tuum, enarram mi-
rabilia tua.
3 [5] Quum excepero [6] conventum, ego a re-
ctiſſimè judicabo.
4 [7] Solutas terræ omniúmque habitato-
rum ejus, ego aptabo [8] columnas maximè:
5 [9] Dicens inſanientibus, ne inſaniatis; &
& improbis, [10] ne attollatis cornu:
6 Ne attollatis [11] contra excelſum cornu
veſtrum; *ne* loquamini [12] collo duro.
7 [13] Non enim ab exortu aut ab occaſu, ne-
que [14] à deſerto *eſt* b exaltatio:
8 [15] Sed Deus judex; hunc deprimit, & illum
extollit.
9 [16] Nam poculum in manu Jehovæ, & vi-
num turbidum eſt, plenum mixtione, [17] ex quo
fudit: verumtamen fæces ejus [18] *quas* expreſſe-
rint, bibent omnes improbi terræ.
10 [19] Ego itaque annunciem in ſeculum,
pſallam Deo [20] Jahakobi:
11 Et omnia cornua improborum [21] ſucci-
dam [22] exaltentur cornua juſti.

[2] ut pſal. 50. 1. & pſ. 48. 1. [3] prior pars pſalmi, propoſitio locorum ad conciliandam miſericordiam pertinentium. Sunt autem duo loci; unus, à confeſſione beneficiorum præſentium & præteritorum Dei, hoc verſu; alter, à profeſſione ſtudii ſui in prçſtando officii erga Deum & regnum univerſum, verſibus ſequen.
[4] i. multa nobis ſuppeditaſti publica & privata argumenta celebrandi nominis tui: ex quibus cognoſcimus te nobis adeſſe etiam his turbulentis & calamitoſis temporibus: in his enim miraculis Dei non reſpicit propriè David ad priſca jam olim in populo facta; ſed partim ad ſingularia Dei opera erga ipſum, quum profugus eſſet, reſtitutus, evectus, & in regno unius tribus conſervatus contra vim cæterarum partim ad publica erga ſuum regnum.
a *Hebr. rectitudinibus.* [5] ſecundus locus comparandæ miſericordiæ, profeſſio officii quod ſe præſtiturum pollicetur David. q. d. ne ſinas, ô Deus, Judæos & Jiſraelitas ampliùs mutuis inter ſe bellis confici, aut conſilium de habendo Jiſraelitarum omnium conventu (quod jam Abnero auctore initum eſt) abrumpi: ſed propter nomen tuum & veritatem tuam effice, ut Jiſraelitæ in hoc conſilio pergant, & ego meis partibus coram te defungi poſſim.
[6] Conventum eum intellige, in quem Jiſraelitæ ſuadente Abnero conſenſerant, 2. Sche. 3. 17. & qui poſtmodum Chebrone habitus eſt 2. Schem. 5. ubi Jiſraelitas honorificentiſſimè fuiſſe à Rege exceptos legimus 1. Chron. 11. 3. & 12. 23. ad finem uſque. [7] i. ſtatum regni & eccleſiæ diſſutũ per has diuturnas clades & diſſenſiones inſtaurabo: metaphora, quæ ſequentibus exponitur.
[8] i. ſtatumina & firmamenta metaphoricè. [9] i. propoſitis Dei judiciis avocans à via ipſorum mala. [10] i. ne inſoleſcatis & ferociatis Thraſonicè: metaphora à petulcis animantibus. [11] quo auctore rex ſui inſtitutus, 2. Sche. 3. 18. & hic conventus indictus eſt. [12] i. reluctante & renitente adverſus voluntatem Dei: metaphora ab animantibus refractariis & impatientibus jugi.
[13] ἐργασία propoſitionis præcedentis, ne cornua efferant contra excelſum adverſarii, verſ. 6. Non eſt (inquit) hoc regnum à mundo, ſed à Deo profectum.
[14] i. ſeptemtrione aut meridie: nam utrimque Judæa clauditur deſerto.
b *Hebr. extollere.* [15] vide 2. Sche. 3. 1. [16] occupatio q. d. fateor quidem me non ſine gravi damno meo & meorum huc uſque evectum eſſe, ut calamitates bonis æquè ac malis communes ſunt: ſed tamen (utcumque turbulenta ſint & periculoſa omnia) quàm malè cedat improbis, ex parte res præſentes commonſtrant, & tandem exitus adverſariorum funeſtus oſtendet, hæc allegoricè poculi appellatione figurantur, quod ſuis quidem bibendum, improbis verò epotandum præbet Deus; ut Jeſch. 51. Jirmejæ 25. & alibi.
[17] i. quo hactenus populum ſuum exercuit; nam hæc omnia dicuntur allegoricè. [18] i. quas ipſi ſua impuritate, gravitate, & pertinacia ſibi comparaverint.
[19] altera pars pſalmi, petitio per paralepſin: nam perinde eſt ac ſi diceret David, ne perdas, ô Deus, ſed potiùs rationem ineas qua tui Jiſraelitæ conſerventur, ut annunciem, pſallam, &c. [20] i. Jiſraelis, qui populus unus eſt ad Dei unici fedus & cultum vocatus; prout etiam deſignavit Elija 1. Reg. 18. 31.
[21] i. exarmem improbos, & ita mutilem ut ſe in poſterum contra te efferre nequeant. [22] i. confirmentur juſti ut erecto capite Deum colere & in regno tranquillè verſari poſſint. Sic 1. Sche. 2. 1.

## PSALMUS LXXVI.

*Pſaltes Deum celebrãs de præſentia ipſius & magnifico opere adverſus Aſſyrios, potentiam iræ ejus ad exſequendam voluntatem ipſius oſtendit & omnes ad Deum colendum hortatur.*

a *Hebr. in pulſationibus: ut Pſal. 4. 1.*
[1] Pſalmus eſt generis εὐχαριστικοῦ conſtans ex partibus quatuor: prima eſt exordium, generatim proponens argumenta laudationis Dei, verſ. 2 & 3. ſecunda eſt narratio, à verſ. 4. ad 8. tertia eſt propoſitio doctrinæ ad eccleſiam pervenientis ex narratione, inde ad verſ. 12. quarta, concluſio hortatoria. Videtur autem hic pſalmus ad tempora Chizkijæ referendus eſſe, quibus copiarum Sancheribi pars magna cælitùs interfecta eſt: 2. Regum 19. 2. Chronic. 32. & Jeſch. 37. [2] ut Pſalm. 50. 1. [3] Exordium, ut obſervatum eſt in verſ. 1. proponens duo argumenta laudationis Dei; à mirificis operibus ejus quibus ſe ipſum nobilitavit, ut narratur inde à verſ. 4. & à ſingulari ipſius præſentia atque habitatione Jeruſchalaimis, verſ. 3.

1 MAgiſtro ſymphoniæ a fidium; [1] pſalmus
Aſapho & canticum.
2 [2] Nobilis *eſt* in Jehuda Deus, in Jiſraele
magnum nomen ejus.
3 Cujus tugurium *eſt* [4] Schalemi, & habi-
taculum Tzijone.
4 [5] Ibi [6] confregit b [7] coruſcos arcus; ſcu-
tum, gladiumque, & bellum vehementiſſimè.
5 [8] Illuſtris factus es, magnificus, [9] ex mon-
tibus direptionis.
6 [10] Dediderunt ſe in prædam robuſti c a-
nimo, [11] dormitaverunt ſomnum ſuum: [12] adeò
ut non invenerint ulli viri bellatores manus
ſuas.
7 Præ increpatione tua ô Deus Jahakobi;
conſopitus eſt [14] & currus & equus.
8 [15] Tu, tu *inquam*, formidabilis *es*: [16] ecquis
conſiſteret coram te, ex quo d iraſceris?
9 [17] E cælis facis ut audiatur ſententia; terra
timet, & quieta ſidit?
10 Quum ſurgit ad judicium Deus, ad ſer-
vandum omnes manſuetos terræ maximè.
11 Nam [18] æſtus hominum celebrat te, [19] re-
ſiduo æſtuum accingis *tuos*.
12 [20] Vovete & *vota* reddite Jehovæ Deo
veſtro; quicumque circumſtant illum, [21] affe-
rant munus illi formidabili,
13 *Qui* [22] vindemiat ſpiritum anteceſſorum
formidabili regibus terræ.

[4] vide Gen. 14. 18.
[5] i. Jeruſchalaimis & Tzijone. unde miſit Angelum ſuum Deus perditurũ Aſſyriorum copias ad Laciſchum opidum, quòd Sãcherib. obſidebat: narratio.
[6] i. hoſtes ita cecidit, ut nullis militaribus armis uti poſſent, his vitam adimens, illis frangens animum; perinde atque ſi omnia ipſorum arma diſſiluiſſent: metonymia.
b *Heb. prunas, vel ſcintillas arcus, i. præ nitore ſcintillantes. ſive ignéſcentes:*
[7] amplificatio ἀσυνδέτως. q. d. potentiſſimum, inſtructiſſimum & accuratiſſimũ exercitum: ſynecdoche.
[8] ἀποστροφὴ ad Deum, inceptã narrationem illuſtrans. [9] i. nobilitata eſt majeſtas tua ex eo maximè quod Aſſyriorum caſtra montes occupantia diripienda tradidiſti nobis, prout ſequens verſus explicat. [10] ſuperſtites ex clade, qui manè deſeruerunt caſtra & fuga ſe proripuerunt. c *Heb. corde.* [11] occiſi ab angelo.
[12] his proſtratis, illis ſe in pedes conjicientibus: vide 2. Reg. 19. 32. quomodo nihil planè adverſus Jeruſchalaima tentare potuerint; quod hic dicitur invenire manus ſuas, τὸ ἐπιχειρεῖν, ſed præventi fuerint manu Dei, & ad Laciſchum auriti.
[13] i. potente verbo tuo, & nullo negotio: prout denunciaverat Jeſchahja 2. Reg. 19. 20. & ſequentibus [14] i. quiſquis valebat robore, anteceſſor & princeps in caſtris regis Aſſyriæ, 2. Chron. 32. 21. hi enim maximè curribus & equis vehi ſolent; ſynecdoche. [15] tranſitio ad propoſitionem didaſcalicam per epiphonema. [16] communis locus de imbecillitate rerum creatarum adverſus iterum creatorem ſuum, ad quem tranſitur ex ſuperioris hypotheſeos argumento. d *Heb.* eſt *ira tua.* [17] ἐργασία propoſitionis ab exemplo totius terræ: quod metaphoricè exponit pſaltes, Deum cum judice terreno comparans, duobus verſibus. [18] i. æſtuantes & inſolentes adverſus te homines coercentur judicio tuo: ac proinde materiam præbent celebrandi tui. hic primus uſus ſentẽtiæ Dei, de qua verſ. 9. [19] i. circumvallas & munis populum tuum, quem ex hoſtium tuorum æſtu reſervaſti: reſpicit enim ad prophetiam quę habetur 2. Reg. 19. 30 alter uſus ſententiæ Dei, bonorum ſalus.
[20] Concluſio hortatoria; ut obſervatum eſt in verſ. 6. [21] ut Chizkijæ temporibus factum eſt. 2. Chr. 32. 23. [22] i. propter ſuos potentibus illis vitam momento & nullo negotio adimit, 2. Chron. 32. 21.

## PSALMUS LXXVII.

*Pſaltes Eccleſiam docet quomodo in extremis rerum difficultatibus imploret fidem Dei, certamen carnis exponit in dubium vocantis benignitatem Dei, & victoriam ſpiritus adverſus carnem ſeipſum à natura, promiſſionibus, operibuſque Dei confirmantis.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ, præfecto *poſteris*
[1] Jeduthunis; Aſaphi [2] pſalmus.
2 Vox mea ad Deum *fertur*, [3] quum excla-
mo: vox mea ad Deum, ut aurem advertat ad
me.
3 a [4] Tempore anguſtiæ meæ Dominum
requiro: [5] manu mea noctu perfuſa, & non in-
termittente: renuente conſolationem admit-
tere anima mea.
4 Recordor Dei, quum [6] fluctuando per-
ſtrepo: meditor, quum [7] obruit ſe ſpiritus
meus vehementiſſimè.
5 *Quum* [8] tenes b vigiles oculos meos; con-

[1] de quo ſup. Pſ. 39. 1. & 1. Chr. 25. 2. & 3.
[2] Pſalmus eſt didaſcalicus: quo propheta oſtendit primũ quãta certamina ſubeat animus ſuus, quum premitur calamitatibus; deinde quibus modis & argumentis erigatur, ut Eccleſiam ſuo exemplo doceat. Prior pars continetur à verſ. 2. ad 10. poſterior, inde ad finem uſque. [3] i. quum preſſus afflictionibus fidem alienam implorare cogor. Propoſitio generalis, quam reliquo Pſalmo exornat propheta ab antecedentibus, explicans primum afflictiones ſuas graviſſimas; uſque ad verſ. 6. deinde conflictationem animi, uſque ad verſ. 11. ac poſtremò confirmationem quaſi redeuntis ad ſe & reſipiſcentis animi, ad finem uſque. Ex quibus omnibus aſſurgit hæc propoſitio: quum affligor & conflictatur animus meus; recordatione federis, operumque Dei revocor ad ipſum implorandum unum. a *Heb. die; ſynecdoche: ſic inf. verſ. 6.* [4] ἐργασία ſive exornatio propoſitionem ſuperiorem confirmans per enarrationem trium illorum capitum quæ modo dicta ſunt, nimirum afflictionum, certaminis ſpiritalis, & reſipiſcentiæ.
[5] præ afflictionum gravitate manentibus ex continua lacrymatione manibus meis; ſive precando conſerantur, ſive adhibeantur ad abſtergendos oculos.
[6] i. quum incertus animus huc illuc impellitur, & quaſi undis agitatus querulas voces emittit: metaphora. [7] ut inf. Pſ. 102. 1. [8] i. ita affligis ut non poſſim dormire. b *Heb. vigilias oculorum meorum: hypallage.*

cutior, ita ut non poſſim eloqui.
6 Repeto [9] tempora inde ab antiquitate,
annos *ſuperiorum* ſeculorum.
7 Recordor [10] muſicæ pulſationis meæ
nocte: cum *c* animo meo meditor, & perſcru-
tatur ſpiritus meus, *dicens*:
8 [11] An in ſecula repelleret Dominus? aut
non pergeret bene velle ampliùs?
9 An deficeret in æternum benignitas ejus?
deſineret [12] ſermo *d* in quamque generatio-
nem?
10 An oblitus eſſet gratiã facere *Deus* fortis?
an occluderet irâ miſerationes ſuas ſummè?
11 [13] Tandem dico; infirmare me iſtud, mu-
tata dextera excelſi?
12 *Imò* [14] recordabor actionum Jah: quin
recordabor inde ab antiquitate *e* quodq; mi-
rabilium tuorum:
13 Et meditabor de unoquoque opere tuo;
de actionibus tuis confabulabor, *dicens*;
14 O Deus, [15] in ſanctitate via tua *eſt*; quis
*Deus* fortis magnus *eſt* ut Deus?
15 Tu, ô *Deus* fortis mirifice; oſtendiſti [16] in
populis robur tuum.
16 Vindicaſti [17] brachio populum tuum; [18]
poſteros Jahakobi, [19] etiã Joſephum maximè.
17 [20] Videntes te aquæ, Deus, videntes te
aquæ, formidârunt: etiam [21] commotæ ſunt
abyſſi.
18 [22] Exundârunt aquas nubes, [23] ſonum
ediderunt ſuperiores nubes: etiam pervaſe-
runt ſagittæ tuæ.
19 *f* Sonante tonitru tuo [24] in iſto orbe, illu-
ſtrârunt fulgura orbem habitabilem: commo-
ta eſt & tremuit terra.
20 Per mare [25] via tua, & ſemita tua per a-
quas amplas; ubi veſtia tua non sũt [26] cognita.
21 Duxiſti ut gregem populum tuum, *g*
Moſchis & Aharonis opera.

[9] i. adminiſtrationem ſuperiorum temporũ, ut ſequentia docent, ſive univerſalem, hoc verſu, ſive ſingularem, ſeq. [10] i. antè acceptorum beneficiorum, quibus dies noctéſque excitabat ad celebrandum te: ſynecdoche. *c* *Heb. corde.* [11] hypotypoſis conflictantis animi cum graviſſimis & difficillimis neceſſitatibus, ac velut diſceptantis de fide & conſtantia Dei, tribus verſibus. [12] i. promiſſio quã fecit ſuis. *d* *Heb. in generationem & generationem.* [13] altera hypotypoſis reſipiſcentis & ſeipſum reprehendentis animi. q.d. quid? Egóne, cùm ſeriem omnium temporum memoria repetens agnoſcam perpetuum curſum beneficentiæ Dei, & vitam meam anteactã recolens ſentiã fuiſſe perpetuã erga me benignitatẽ ipſius? nunc demum cederem? & tũ naturæ Dei, tũ promiſſionum, operumque oblivíſcerer; ubi ſemel manum ſuam mutat, hoc eſt rationem adminiſtrandi me? non patiar me infirmari hoc pacto, neque animo abjecto cedam præſentibus caſtigationibus: elegantiſſima apoſiopeſis indignabundum animum exprimens. [14] ſubjectio officii, quod præſtare debet piorum animus, ubi rediens ad ſe confirmari cupit: nimirum ut opera Dei memoria colligat ad recreandum ſe, prout explicantur ad finem uſque.
*e* *Heb. mirabile tuum.* [15] i. adminiſtratio tua eſt ſanctiſſima, potentiſſima, & ſummè admirabilis; cujus potentiam omnes populi experti ſunt verſu ſeq. nominatim verò populus tuus ſenſit ad liberationem & ſalutem ſuam, uſque ad finem Pſal. [16] à quibus, per quos, & ad quos deduxiſti ſervos tuos: ut docet hiſtoria Moſchis in lib. Gen. à cap. 11. ad finem uſque.
[17] i. robore: humanitùs dictum. [18] ex Ægypto, ut habetur Exod 12.
[19] i. regnum Jiſraelitarum ipſum: quod atrociſſimis peccatis adeò te provocavit, ut jam planè à gratia tua & ſpe reſtitutionis exciderit: ſic accipitur Hobadjæ 18. & Zecarjæ 10. 6. & alibi. ſic commẽdat pſaltes communia & ſingularia beneficia Dei. [20] periphraſtica deſcriptio tranſitus per mare rubrum: in qua per proſopopœiam docet pſaltes quid mare, quid cælum; & terra fecerint ad imperium Dei. [21] i. profundum mare, diſcedens atque dividens ſe, ut iter tutum ſterneretur populo tuo, ℣. 20. [22] vide Exod. 14. 24. [23] i. perſtrepebant nimbi & grandines. *f* *Heb. ſono tonitru tui.* [24] i. regione aeris.
[25] i. quæ tibi ſoli patet, ac familiaris eſt: ut ſequentia verba κατ' ἐξήγησιν commodiſſimè explicant. [26] i. explorata & tentata ab ullo homine.
*g* *Heb. per manum Moſchis. &c.*

## Psalmus LXXVIII.

*Pſaltes populum Jehudæorum revocans ad cognoſcendum & prædicandum Deum, proponit documenta primùm quidem verbi; deinde verò operum quæ perfecit Deus inde ab exitu ex Aegypto: itaq; propoſitis paternis beneficiis & flagellis Dei erga populum ſuum judiciisque in adverſarios graviſſimis, ac nominatim in contumaces Jiſraelitas, pios confirmat de æternitate Sacerdotii & regni in tribu Jehudæ.*

1 [1] ODe didaſcalica, Aſaphi. [2] Aurib. perci-
pe, populi mi, doctrinam meã; inclina-
te aurem veſtram ad ſermones oris mei.
2 Aperiam [3] per parabolam os meum, [4] e-
ructabo [5] occulta inde *a* priſco *tempore*;
3 Quæ audivimus ac novimus, ut majores
noſtri narraverunt nobis.
4 ‖ Non celabimus filios eorum, genera-
tionem poſteram: *b* narraturos laudes Jehovę,
robúrq; ejus, & mirabilia ejus opera quę fecit.
5 [6] Nam ſtatuit [7] teſtimonium in Jahako-
bo, & legem poſuit in Jiſraele; quum præcepit
majoribus noſtris nota facere filiis ipſorum:
6 Ut ſciant generatio poſtera, filii naſcituri;
ſurgenteſq;, enarrent filiis ſuis:
7 Exponant in Deo ſpem ſuam, neq; obli-
viſcantur actionum Dei fortis; ſed præcepta
ejus cuſtodiant:
8 [8] Ac non ſint ut majores eorum, genera-
tio contumax & rebellis; generatio quæ non
comparavit *c* animum ſuum, & cujus ſpiritus
non fuit conſtans erga *Deum* fortem.
9 [9] Ut poſteri Ephrajimi [10] armâti jaculan-
tes arcu, [11] vertentes *terga* tempore prælii:
10 [12] *Quia* non ſervaverant fedus Dei, &
in lege ejus renuerant ambulare;
11 Obliti actionum ejus, & mirabilium e-
jus operum quæ oſtenderat ipſis.
12 [13] Coram majoribus eorum fecerat [14] mi-
racula; in terra Ægypti, agro *d* Tanitico.
13 ‖ Diffiderat mare ut traduceret eos, ſta-
tuens aquas tamquam acervum:
14 ‖ Deduxeratque eos nube interdiu, &
totam noctem *e* lucente igne.
15 ‖ Fiderat rupes in deſerto, ut potum prę-
beret in abyſſis plurimum,
16 Educens fluenta è petra, & demittens
tamquam flumina aquas.
17 Perrexerunt tamen adhuc peccare in
eũ, exacerbando excelſum in ipſa *terra* ſicca:
18 Et tentantes *Deum* fortem cum animo
ſuo, petiverunt cibũ pro deſiderio animi ſui;
19 ‖ Ac obloquentes contra Deum dixe-
runt, an poſſet *Deus* fortis inſtruere menſam
in hoc deſerto?
20 En ita percuſſit rupem, ut fluxerint a-
quæ, & torrentes exundaverint: an etiam cibũ
poſſet dare? an pararet carnem populo ſuo?
21 Idcircò audiens Jehova, excanduerat: &
ignis ſuccenſus erat in Jahakobum, ac etiam *f*
ira arſerat in Jiſraelem:
22 Quia non crediderant in Deum, neque
confiſi erant in ſalute ejus:
23 Quamvis [15] præcepiſſet ſuperiorib. nubi-
bus ſupernè, & januas cælorum [16] aperuiſſet;
24 ‖ Depluenſq; ſuper eos Man ad come-
dendum, [17] frumentum cælorum daret illis;
25 [18] Panem robuſtiſſimorum comederet

[1] hujus odes ſummæ partes ſunt quatuor: Exordium, quatuor primis verſibus; propoſitio; inde ad ℣. 12. uſque; narratio adminiſtrationis Dei & improbitatis populi inde ad ℣. 68. & concluſio ab explicatione præſentis ſtatus populi, inde ad finem uſque. Videtur autem hæc ode à rege Chizkija aut propheta Jeſchahja alióve ſub illa tempora fuiſſe ſcripta, quibus regnum Jiſraelis intercidit, 2. Reg. 17. [2] Exordium audientiam faciens primùm ab officio perſonarũ, hoc ver. deinde à genere documẽtorũ quę prępoſiturus eſt pſaltes, quòd poſita sũt in myſteriis, ℣. 2. quòd vetera, ℣. 3. & quòd ad gloriã Dei pertinẽtia, ℣. 4.

[3] i. exempla: quorum alia ſunt hiſtorica & vera; ut hoc pſalmo; alia ficta, ſed tamẽ ad docendum appoſita; alia denique ex communi uſu deprompta, etſi ſingularem aliquam hiſtoriam minimè attingunt, ut Matt. 13. & in Euangeliis paſſim. Eſt autẽ aperire os ſuum initium dicendi facere. [4] i. copioſè fundam metaphora à fontibus. [5] i. documenta quæ ſub exemplis latent: nam hic verſus proleptice complecti (ut argumẽtum pſalmi, nimirum exempla in quibus eſt Narrationis ſumma, & exemplorum documenta, quæ propoſitione continentur. *a* *Heb. ab antiquitate.* ‖ *Deut.* 4. 8. & 6. 7. *b* *Heb. narrantes: præſens. pro tempore perpetuo: ut decipiendum eſſe docet verſ.* 6. [6] propoſitio documentorum Dei uſq; ad verſ. 8. & exemplorũ ad confirmãda documenta pertinentium, uſq; ad verſ. 12. [7] i. circumciſionem & ceremonias: quibus doctrinam de ſuo fœdere & populi officio i. legem & evangelium, ſuis teſtificabatur & obſignabat Deus. [8] quorũ hiſtoria continetur in narratione, infr. verſ. 12. ad 59. *c* *Heb. cor: ſic deinceps.* [9] i. regnum Jiſraelis: quod ſynecdochicè Ephrajimi nomine ſignificari ſolet, quia regnũ Jiſraelis ab ea tribu cœpit, quę ex eo tempore principatum in decem trib. obtinuit: ſic apud prophetas paſſim. Hujus autem hiſtoria habetur inf. à verſ. 59. ad 68. [10] i. inſtructiſſimi peritia rebuſque militarib. ſive ad defendendum ſe, ſive ad lædendum: ſynecdoche.
[11] i. fuſi & cæſi ſunt: prout Hoſcheah prædixerat ad finem cap. 10. & Hamos 7. 17. [12] vide 2. Reg. 17. 7. & ſequentibus.
[13] narratio elegantiſſima operũ mirabilium Dei & beneficiorum ejus; quæ per antitheſin cum ingratis Jiſraelitarum factis comparata amplificant horum impietatem, & æquitatem judiciorum Dei. Sunt autem iſta opera quibus amplificatur populi improbitas, duobus temporibus diſtincta: primum eſt, quum in Ægypto verſati ſunt, & in profectione, uſque ad verſ. 54. ſecundum, quum miſſi ſunt in poſſeſſionem terræ & eam obtinuerunt, inde ad verſ. 68. Prioris autem temporis duplicia ſunt opera: unum, ſingularis beneficentiæ Dei erga ſuos, uſque ad verſ. 42. alterum mirabilium judiciorum in adverſarios verſibus ſequentibus. [14] i. mirabilia opera, de quibus à primo capite Exodi uſque ad 14. *d* *Hebr. Tzohanu: vide Num.* 13. 22. ‖ *Exod.* 14. 21. & 5. 8.
‖ *Exod.* 13. 21. *e* *Heb. luce ignis.* ‖ *Exod.* 17. 6. & *Num.* 20. 11. ‖ *Num.* 11.
*f* *Heb. aſcenderat: ut inf. verſ.* 31. *ſynecdochice dictum, quia accenſo igne aſcendit flamma: vide Exod.* 25. 37. [15] i. præcepto ſuo effeciſſe ut nubes diſtillarent Man.
[16] i. maxima copia profudiſſet: metaphora. ‖ *Exod.* 16. 14.
[17] i. ſemen, præbens uſum frumenti: vide Num. 11. 8.
[18] i. angelorum; quum non piſtores, aut humana opera; ſed ipſi cælites angeli adminiſtri voluntatis Dei ſuppeditabant. Sic dicuntur angeli, quia potentiam ſuam aliquatenus cum eis communicat Deus, quem ſcriptura paſſim robuſtum Jiſraelis vocat.

quiſque; viaticum mitteret eis ad ſaturitatem.
26 Impellens [19] Eurum in cælis, & indu-
cens robore ſuo [20] Auſtrum,
27 Quum depluiſſet ſuper eos carnem tan-
quam pulverem, & ſicut arenam marinam
volucres alatas.
28 Dejiciens intra [21] caſtra ſua, circa taber-
nacula ſua;
29 Et comedentes ſaturati eſſent valdè, &
*g* quod concupiverant illi attuliſſet illis:
30 [22] Nondũ alienati erant à concupiſcen-
tia ſua, adhuc cibus eorum in ore eorum *erat*.
31 Quum ira Dei ardens in eos, interfice-
ret [23] è pinguiſſimis eorum; & Juvenes Jiſrae-
lis proſterneret.
32 Poſt totum hoc [24] peccaverunt am-
pliùs, neq; crediderunt propter mirabilia ejus
opera.
33 Quamobrem [25] conſumebat vanitate
dies illorum, & annos illorum terrore.
34 Quũ occidebat eos; ſi requirebãt eum,
& converſi manè quærebant *Deum* fortem,
35 Recordantes Deum fuiſſe rupem ſuam,
& *Deum* fortem excelſum *fuiſſe* vindicem
ſuum;
36 Quamvis [26] conarentur eum decipere
ore ſuo, & lingua ſua mentirentur ei,
37 Et animus ipſorum non eſſet compara-
tus erga eum; neque conſtantes eſſent in fe-
dere ejus;
38 Tamen ille miſericors expiabat iniqui-
tatem, ita ut non perderet; & *h* plurimùm a-
vertebat iram ſuam, neque excitabat totum
æſtum ſuum;
39 Recordans [27] carnem eos eſſe, ventum
abeuntem qui non revertitur.
40 [28] Quoties exacerbaverunt eum in de-
ſerto? dolore affecerunt eum in ſolitudine?
41 Qui *i* ſubinde tentârunt *Deum* fortem,
& ſanctum Jiſraelis [29] circumſcripſerunt,
42 Immemores manus ejus, diei quo rede-
merat ipſos ab hoſte:
43 Quo diſpoſuit in Ægypto ſigna ſua, &
prodigia ſua in agro Tanitico:
44 ‖ Quum mutavit in ſanguinem rivos
eorum, fluentaque eorum ne bibere poſſent:
45 ‖ Immiſit in eos colluviem animalium
quæ conſumeret eos, ‖ ac ranas quæ perderent
eos:
46 ‖ Et dedit brucho proventum eorum,
ac laborem eorum locuſtæ:
47 ‖ [30] Occidit grandine [31] vites eorum, &
ſyncomoros eorum [32] *igni* qui quacumq; in-
ſidebat conſumeret:
48 Dedit etiam eidem grandini bruta eo-
rum, & pecora eorum prunis ignitis:
49 Immiſit in eos æſtum iræ ſuæ, excande-
ſcentiam, indignationémque, & anguſtiam;
*k* mittendo [33] nuncios malorum:
50 [34] Libravit iter ad iram ſuam, non co-
hibuit à morte *l* vitam illorum: & beſtias eo-
rum peſti dedidit:
51 Et percuſſit omne primogenitum in Æ-
gypto, principium viriũ in tentoriis [35] Chami:
52 Et tranſtulit tamquam pecudes popu-
lum ſuum, direxitque eos tamquam gregem
per deſertum:
53 Et deducens eos ſecurè ita ut non me-
tuerent, ‖ poſtquam inimicos eorum operuiſ-
ſet mare,
54 Adduxit eos in [36] terminum ſanctitatis
ſuæ, [37] ‖ montem hunc *quem* acquiſivit dexte-
ra ejus,
55 ‖ Expellens à facie eorũ gentes, facienſque
ut [38] acciderent funiculo poſſeſſionis: & habi-
taverunt in tentoriis earum tribus Jiſraelis.
56 ‖ Attamen tentârunt & exacerbârunt
Deum excelſum, & teſtimonia ejus non ob-
ſervârunt:
57 Sed averſi perfidè egerunt, [39] ut majo-
res eorum; [40] converſi ſunt, ut arcus *m* fallax.
58 Nam provocârunt eum per excelſa ſua,
& per ſculptilia ſua, ‖ ad zelotypiam concitâ-
runt eum.
59 *Quod* [41] audiens Deus excanduit, ſpre-
vitque valdè Jiſraelem:
60 Adeò ut ‖ deſerẽs tabernaculum Schi
luntis, tentorium *quod* collocaverat inter ho-
mines:
61 Traderet in captivitatem [42] robur ſuum,
& gloriam ſuam in manum hoſtis:
62 Dederetque gladio populum ſuum;
quia in poſſeſſionem ſuam excanduerat:
63 Juvenes ejus abſumeret [43] ignis, & vir-
gines ejus [44] non laudarentur:
64 Sacerdotes ejus gladio conciderent, &
viduæ ejus [45] non flerent.
65 Deinde [46] evigilavit Dominus [47] *qui
viſus fuerat* tamquam dormiens; ſicut robu-
ſtus, [48] cantillans ex vino:
66 ‖ Et percuſſit hoſtes ſuos retrò, [49] op-
probrium *n* perpetuum indidit eis.
67 [50] Tandem ‖ ſprevit [51] tentorium Joſe-
phi, & tribum Ephrajimi non eligit.
68 [52] ‖ Eligens verò tribum Jehudæ, mon-
tem Tzijonis quem diligat;
69 Ædificavit ſimile excelſis *palatiis* ſan-
ctuarium ſuum; utpote *in* terra quam *o* ſtatuit
in ſeculum.
70 ‖ Eligénſq; Davidem ſervum ſuum, &
aſſumens eum ex caulis gregis;
71 *p* A tergo fœtarum duxit eum; ‖ ad pa-
ſcendum Jahakobum populum ſuum & Jiſ-
raelem poſſeſſionem ſuam:
72 Qui pavit eos pro integritate animi ſui,
& *q* ſumma [53] prudentia manuum ſuarum de-
duxit eos.

19 i. eum ventum qui intermedius eſt inter orientẽ & meridiem, quem Eurum propriè appellari docet Vitruvius lib. 1.
20 ventum Meridianum, quo ex tractu plurimum animalia ejuſmodi gregaria impelluntur.
21 i. quę ſibi vindicabat, & in quibus habitabat proſpiciens populo ſuo: exaggeratio criminis Jiſraelitarum.
*g* Heb. concupiſcentiam illorum.
22 i. adhuc ſe explebant carnibus quas concupiverant poſt elapſum mẽſem, de quo Num. 11. 20.
23 i. quibuſque robuſtiſſimis & valentiſſimis corpore: quos non dubium eſt eo inſolentiùs firma ſui corporis conſtitutione abuſos extuliſſe ſe contra Deum, poſtquã illis profuſis donis à Deo saginati eſſent: ut exprobat Moſche Deut. 32. 15.
24 murmurãdo adverſus Deum, Num. 14. & 16. & 17.
25 ut denunciatũ eſt Num. 14. 28. & ſequentib.
26 i. hypocritas agerent coram Deo.
*h* Heb. multiplicabat avertere.
27 mortales eſſe à natura ut omnis caro eſt, & evanidos inſtabileſque ut ventus.
28 exclamatio pathetica: q. d. quis fando poſſit enarrare tot rebelliones, quibus provocârũt Deum? vide Num. 14. 22.
*i* Heb. reverſi ſunt & tentârunt.
29 i. tantum ſibi irrogârunt, ut infinitam Dei potentiam arbitratu ſuo definirent & quaſi terminos ei circũdarent; modò hæc ab illo præſtanda eſſe affirmantes ex ſententia animi ſui modò negantes, illa præſtari poſſe: quod genus exempla in libris Moſchis recẽſentur multa.
‖ Exod. 7. 23.
‖ Exod. 8. 24.
‖ Exod. 8. 6. ‖ Exod. 10. 13. ‖ Exod. 9. 23. 30 i. corrupit & omnino perdidit: metaphora. 31 i. omnem proventum terræ & plantas quaſlibet, ſativas, inſativas, humiles, altas, teneras, & agreſtes, ac valentiſſimas, ſynecdoche.
32 ſic interpretamur Hebræam vocem compoſitam; adducti tum illius etymo, tum comparatione ſequentis verſus, & verborum Moſchis Exod. 9. 23. & 24.
*k* Heb. miſſus nunciorum: ſed hoc fuiſſet ambiguum.
33 i. Moſchem & Aharonem; per quos tum ſuperiores plagæ, tum aliæ quæ hîc indignationis, &c. nomine comprehenduntur, Ægyptiis prænunciatæ atque immiſſæ ſunt.
34 i. iter profundendæ iræ ſuæ ſuper Ægyptios quaſi ad libram perpendit, injuſtam illorum contumaciam compenſans juſtis Dei judiciis: elegans metaphora.
*l* Heb. animam.

35 i. Ægyptiorum, originem ducẽtium, à maledicto Chamo: Gen. 9. & 10. à quo & Ægyptũ uſq; ad ſua tempora Ægyptiorum lingua Chã fuiſſe dictam teſtatur Hieronymus in Gen. & Chemmim oppidum in Thebaide magnum templo Perſei celebre nominat Herodotus lib. 2.
‖ Exod. 11. & 12.
36 i. determinatũ ab ipſo tabernaculum, per ſynecdochen.
37 ut Exo. 17. 15.
‖ Exod. 1 . 13.
‖ Num. 21. & Jehoſ. 12.
38 i. cederent in poſſeſſionẽ populo Dei: vide Deut. 32 8. & 9.
‖ Jud. 12. & 3.
39 qui ex Ægypto exiverant, & perfidè in Deum egerant, ut ſup. dictum eſt.
40 i. licet priùs ſua hypocriſi præ ſe ferebant fidem & utilitatem aliquam, tamen momento efficiebantur inutiles: ut quum arcus repentè aliquo pacto corruptus fallit expectationem ſagittarij. ſic Hoſche. 7. 16.
*m* Heb. fallaciæ.
‖ Deut. 32. 16. & 21.
41 i. cognoſcens humanitùs dictum.
‖ 1. Schem. 4.
42 i. arcam: vide 1. Chro. 16 11.
43 iræ Dei, i. gladius Peliſchthæorum conſumens.
44 manerent innuptæ ac proinde illaudatæ epithalamiis; quæ ſolebãt decantare paranymphæ ad laudes ſponſi & ſponſæ, ut Pſal. 45. Jirm. 7. 34. & 16. 9. & 25. 10.
45 ſed præ gravitate mœroris illicò exſtinguerentur ut narratur de uxore Pinchaſi, 1. Sche. 4. 19.
46 i. poſt temporariam ceſſationem (quæ cum dormitione ferè comparatur) opus tandem aggreſſus eſt in adverſarios: humanitùs dictum.
47 i. quem Peliſchthæi tum deſidere & ab omni opere vocare cogitabant, ſive dormientem, ſive vigilem. Nam hæc ex judicio Peliſchthæorum dici hiſtoria docet, quum ita ſtatuerent ſecum: hic Deus magnificentiſſimus eſt. 1. Sche. 4. 8. Quid ergo cauſæ eſt cur nunc ceſſet à magnificis ſuis operibus, niſi quòd nunc demum dormit & ſe ex anteacto labore recreat; aut ſi vigil eſt, vino obruitur & in præſentia ſui non eſt compos?
48 i. nihil agens, ſed tantùm à vino actus: ſic idololatræ res ridiculas affingunt Deo. ‖ 1. Sche 5. 6. 49 quum Dagonem proſtraviſſet atq; confregiſſet; unde invaluit mos apud Peliſchthæos ut non calcent limen inferum in æde Dagonis: quæ ſuperſtitio ipſis probro fuit, 1. Schem. 5. 5. *n* Heb. ſeculi.
50 i. poſtquam multa ab Jiſraelitis perpeſſus, & multa ipſorum cauſa id adverſarios ex ſequutus; multis modis divexavit eos, neq; tamen reſipuerunt ad ferulas ejus; eò poſtremò deventum eſt ut regnum Jiſraelis peſſumdaret; ut dictum eſt ſuprà ✝. 9. ‖ 2. Schem. 6. 21. 51 i. abjecit regionem & regnum Jiſraelitarum.
52 concluſio à beneficio Dei erga Jehudæos; in quorum regione tum ſacerdotium & cultum ſuum, verſ. 68. & 69. tum etiam regnum ſtabilivit & ſervavit Deus verſibus ſequentibus. ‖ 2. Schem. 7. *o* Hebr. fundavit, id eſt, *conſilio ſuo inde à principio ad hoc deſtinavit.* ‖ 1. Schem. 6. *p* Hebr. à poſt fœtas. ‖ 2. Schem. 5. 2. *q* Hebr. prudentiis. 53 i. prudentiſſima adminiſtratione; nam manus metonymicè pro opera & adminiſtratione accipitur paſſim, ut ſup. 77. 21. ‖ 2. Shem. 9. 1.

## Psalm. LXXIX.

*Pſaltes enarrat mala graviſſima quæ populus Dei ab An-*

*ab Antiocho perpeſſus eſt: impiis juſtā Dei vindictam imprecatur: & Deum pro remiſsione peccatorum Eccleſiæ, ope & liberatione ſollicitat ad gloriam ipſius, confuſionem impiorum, & fidelium bonum.*

1 [1] PSalmus Aſapho. O Deus, ingreſſæ ſunt
gentes [2] in poſſeſſionem tuam, [3] pollue-
runt templum ſanctitatis tuæ; [4] diſpoſuerunt
Jeruſchalaima in cumulos.
2 Dederunt cadaver [5] ſervorum tuorum
cibo volucribus cæli; carnem eorum quos be-
nignitate proſequeris, beſtiis terræ.
3 Effuderunt ſanguinem eorum velut a-
quam circa Jeruſchalaima, nec *erat* qui ſepeli-
ret.
4 ‖ Sumus opprobrio vicinis noſtris, ſannæ
& ludificationi circumſtantibus nos.
5 [6] Quouſq; Jehova? iraſceris in æternum?
ardebit velut ignis zelus tuus?
6 [7] Effunde æſtum tuum in eas gentes [8] quę
non agnoſcunt te; & ſuper regna quæ nomen
tuum non invocant.
7 Nam *conſumtor* conſumſit Jahakobum,
& habitaculum ejus deſolaverunt.
8 [9] Ne recorderis adverſus nos [10] iniquita-
tes præcedentiū *temporum*: feſtinātes [11] præve-
niant nos miſerationes tuæ, nam attenuati ſu-
mus valdè.
9 Auxiliare nobis Deus ſalutis noſtræ pro-
pter honorem nominis tui; & eripe nos, expi-
rationemque fac de peccatis noſtris propter
nomen tuum.
19 Cur dicturæ eſſent iſtæ gentes, ubinam
*eſt* Deus iſtorum? [12] innoteſcat in iſtis gētibus
ante oculos noſtros, ultione ſanguinis ſervo-
rum tuorum effuſi.
11 Perveniat ante faciem tuam gemitus
vincti; [13] pro magnitudine brachii tui [14] fac ut
reliqui ſint *a* qui jam traduntur morti.
12 [15] Redde ergo vicinis noſtris [16] ſeptuplo
[17] in ſinum ipſorum; opprobrium ipſorum quo
affecerunt te, Domine.
13 Et nos populus tuus & grex paſtus tui
celebrabimus te in ſeculum, *b* in quamq; ge-
nerationem enarrabimus laudem tuam.

1 Pſalmus ϑερνασικός, conſtās ex tribus partibus narratione pathetica, uſque ad ℣.5. petitione, uſque ad ℣.11. & concluſione ſponſoria vel votiva laudis. Videtur autem hic pſalmus ad Antiochi tēpora pertinere; quibus optimè conveniunt ſingulæ narrationis partes.
2 i. in terrā Cenahanææ, ut appellatur Exod. 15.17.
3 ſpoliando, funeſtando, & omnia profana impiaq; munera obeūdo: ut ſcribitur 1.Mac.1. & apud Joſeph.antiq. Judai.12.c.7.
4 ſecundo congreſſu, quū præfectus Antiochi fraude in vrbem involavit, 1.Mac. 1.30. & ſequentibus.
5 qui conſtantes erant in obſervatione legis tuę contra impii regis edictum. 1. Macb.1.59. & 60.
‖ *Pſal.* 44.14.
6 altera pars Pſalmi, cōtinens primùm expoſtulationē cum Deo, hoc ℣. deinde certa petitionum capita ſuis cauſis conjuncta, ſequentibus.
7 petitio; cujus loci ſunt duo: unus, contra adverſarios & impios, duobus verſibus; alter, pro defenſione & ſalute piorum, inde à ℣ 8. 8 imprecationis cauſa duplex; pertinax ignoratio Dei, hoc verſ. & maleficia in Eccleſiam, ſequentibus.
9 alterum petitionis membrum, precatio pro eccleſia; cujus partes ſunt: ut Deus peccata condonet per miſericordiam velut calamitatum cauſas hoc verſ. deinde vt opem & ſalutem afferat, tribus de cauſis: prima eſt gloria nominis ejus, verſ. 9. ſecunda, blaſphemiarum in Deum & maleficiorum in Eccleſiam coërcitio, verſ. 10. tertia, afflictorum inclamantium Deum commiſeratio, verſ. 11.
10 i. quas nos & majores noſtri antehac perpetravimus. 11 antequam oneri ærumnarum noſtrarum ſuccumbamus. 12 i. palàm fiat gentibus, idque videntibus, & præſentibus nobis, te non abeſſe; ſed tuis præſentem eſſe.
13 i. ampliſſima adeoq; infinita virtute tua: humanitùs dictum. 14 i. tuos jamjam in præſentiſſimis mortis anguſtiis verſantes reſerva. a Hebr *filii mortis: ſic inf. Pſal.* 120.21. 15 Concluſio partem unam petitionis continens, nimirum imprecationem contra improbos, ut ea commodè tranſeatur ad ἐπαγγελίαν ſive ſponſionem ſequente ℣.16. 16 vide Gen. 4.15. 17 i. prolixè & cumulatè; ut quæ ſine numero dantur, in gremium profundi ſolent: metaphora, ut Jeſchah. 65.6. & 7. & Jirmejæ 32.18. b *Heb. in generationem & generationem.*

## Psalmus LXXX.

*Eccleſia in deportatione ab hoſtibus preſſa Deum ſollicitat de præſtando officio ipſius: perpeſſiones ſuas exponit: præterita Dei beneficia comparat cum indignitate malorum præſentium: & liberationem ſalutemq; à Deo petit ad gloriam ipſius in Chriſto.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ [1] ad hexachorda;
[2] pſalmus teſtimonii Aſapho.
2 [4] O paſtor [5] Jiſraelis auribus percipe du-
ctor [6] Joſephi tamquam gregis, [7] inſidens Ce-
rubinis [8] illuceſce.
3 Coram [9] Ephrajimo, Binjaminéque, &
Menaſche [10] excita potentiam tuam; & veni
ad plenam ſalutem *afferendam* nobis.
4 O Deus, [11] reſtitue nos, & [12] fac ut luceat
facies tua; ita ſervabimur.
5 [13] Jehova Deus exercituum, quouſq; fu-
maturus es contra orationem populi tui?
6 Cibas eos [14] pane lacrymarum, & bibē-
dum præbes eis de lacrymis [15] triental.
7 [16] Exponis nos contentioni vicinis no-
ſtris, & inimici noſtri ſubſannant *a nos.*
8 O Deus exercituum reſtitue nos, & fac
ut luceat facies tua; ita ſervabimur.
9 ‖ [17] Vitem ex Ægypto tranſtuleras; ‖ ex-
puleras ut plantares eam:
10 [18] Expediveras ante eam; feceraſque ut
*b* ageret radices ſuas & [19] impleverat terram,
11 Operiebantur montes umbra ejus, &
palmitum ejus cedri *c* maximæ.
12 [20] Emittebat ramos ſuos uſq; ad mare,
& ad flumen teneros ramos ſuos.
13 Quare [21] perrupiſti macerias ejus, adeò
ut carpant eam omnes *d* viatores;
14 [22] Suffodiat eam [23] porcus ſilveſtris, &
animal agreſte depaſcat eam?
15 O Deus exercituum, [24] revertere [25] jam,
intuere [26] è cælis & reſpice: ac [27] viſita vitem
hanc.
16 Et [28] ſurculum quem plantaverat dex-
tera tua; idque propter [29] filium *quem* fortifi-
caſti tibi.
17 Incenſa igne, [30] ſucciſa *eſt*, ab increpatio-
ne faciei tuæ [31] pereunt.
18 [32] Adſit manus tua [33] viro dexteræ tuæ:
filio hominis quem fortificaſti tibi:
19 [34] Ac nō retrocedemus à te; in vita cō-
ſerva nos, ut nomen tuum invocemus.
20 Jehova, Deus exercituum, reſtitue nos,
fac ut luceat facies tua; ita ſervabimur.

1 Vide ſuprà in pſal.45.1. & 60.1.
2 Pſalmus eſt ϑρηνητικός, diſtinctus in tres partes amœbæo verſu terminatas: quarū prima eſt propoſitio ſumma petitionis, à ℣.2. ad 5. ſecunda, expoſtulatio de perpeſſionibus Eccleſiæ, à verſ. 5. ad 10. tertia, pathetica petitio ſalutis in Chriſto, à comparatione antè acceptorum beneficiorum cū præſentibus perpeſſionibus, inde ad finē uſque. Videtur autem hic pſalmus ſcriptus fuiſſe temporibus deportationis Babylonicæ: ut partim hiſtoriæ comparatio cum hoc pſalmo, partim verba commonſtrant Chaldaiſmum quemdam redolentia. 3 id eſt; quo Eccleſia ſupplicans teſtificabatur fidem ſuam in Deū de promiſſa liberatione poſt annos ſeptuaginta. Jirm.29.9.
4 Exordium ſive petitio ſumma audientiæ, gratiæ, beneficētiæ & ſalutis, à perſona Dei & præterita adminiſtratione ejus, quæ paſtoris allegoria deſignatur, q.d. tu qui olim liberaſti, paviſti, & deduxiſti populum tuum, & Eccleſię tradidiſti cultū tuum, ac proinde eadem ſemper officia obtines liberandi tuos, & inſtaurandi cultus tui, age auribus percipe, &c.
5 i. tuorum omnium.
6 vide ſuprà 77. 16.
7 i. qui nobis reſponſa dandi, nos regendi, & tuendi cultum aſpectabilem tuum munus in te recepiſti, atq; præſtitiſti, Exodi 25.8. & 21. & Num 7.19.
8 ut Deut.33.2.
9 i. reliquis Ephrajimi & aliarum tribuum, quæ regno Jehudæ adhærentes in tuo cultu permanſerunt; prout factum eſt, ſe poſt reditum à deportatione Babylonica legitur 1. Chron.9.3.
10 i. velut torpeſcentem vel dormientem exſere.
11 in ſede noſtra, & cultu tuo.
12 ut ſup. Pſal. 47. 13 altera pars Pſalmi expoſtulatio graviſſima iram Dei humanitus diverſis allegoriis exprimens. 14 ut ſuprà 42.4. 15 i. non communem cyathum, aut menſuram calamitatum, ſed magna pocula atque inſolentia afflictionum epotanda præbes. Eſt enim triens ſive triental tertia pars ſextarij, quatuor cyathos communes capiens. 16 i. facis ut vicini omnes, quibuſcum pax & amicitia colenda fuerat, perpetuis rixis & contentionibus exagitent reliquias noſtras, quæ in Jehudæa commoratæ ſunt: de quibus 2.Reg.25.15. & Jirmejæ inde à 37. capite. a Heb *ſubſannat* nos *ſibi: pleonaſm. uſitatum.*
‖ *Exod.* 15.17. 17 Tertia pars pſalmi, continens primum commiſerationis locos duos; unum, à præteritis jam olim Dei beneficiis, quatuor verſibus; alterū, à præſentibus calamitatibus, verſu 13. & 14 deinde petitionem, ad finem uſque. Eſt autem tota commiſeratio allegorica à ſimilitudine vitis: quam ſimilitudinem ſcriptura frequentat plurimum, ut interpretatur Jeſchahja 5.7. ‖ *Pſal.* 44.3.
18 ut exponitur Exod. 23.28 & Jehoſch, 24.12. b *Hebr. radicaret radices.*
19 i. numero, magnitudine, & gloria præſtabat: hyperbole. c *Hebr.* Dei *fortis: ſic Pſal.* 36.7. 20 i. vim ſuam atque dominatum regni protendebat in omnes terminos quos definiveras: vide ſup. 72.8. 21 i. ſuſtuliſti manum tuam qua circum muniebatur; ut minatus erat Deus, Deut 31. 7. & Jeſchah. 5.5.
d *Hebr. tranſeuntes via.* 22 i. roſtro proruat terram, & effodiat quod abſcōditum eſt ſub ea: nam verbum eſt compoſitum Chaldæum potiùs quàm Hebræum origine, quod ſignificat rem abſconditam, ut theſaurum effodere.
23 i. impuriſſimæ gentes atque feriſſimæ ab imo ad ſummum perdant radicitùs. 24 petitio qua Eccleſia opem Dei implorat humanitus. Eſt autem propoſitio petitionis hujus 2. verſibus, poſtulatum & cauſam continens: deinde enarratio illius, reliquis. 25 quum propè eſt ut pereamus funditus, infr. ℣.17.
26 quandoquidē aſpectabilis tua præſentia ſublata eſt, cujus recordatione antè nominabatur inſidens Cerubinis. 27 ut Gen. 21.1.
28 i. totum corpus populi, quod prius deportatum ex Ægypto collocaveras in terra tua. 29 i. Chriſtum, qui eſt ſapientia Dei, & potentia Dei, & in quo nos fortificante poſſumus omnia ſic verſ. 18.
30 i. everſa flamma & ferro. 31 tum Jiſraelitæ omnes, tum Judæi ipſi.
32 exegeſis ſuperioris allegoriæ. 33 i. Chriſto filio dilectionis tuæ, viventi in nobis, & Eccleſiæ ſponſæ ſuæ perpeſſiones toleranti. Eſt autem Hebræis vir dexteræ, qui ad dexteram eſt, velut chariſſimus, eâque regitur ac curatur commodiſſimè, quomodo Binjamin filius dexteræ vocatus eſt, Gen. 35.18.
34 ſponſio poſtulato juncta.

## Psalmus LXXXI.

*Pſaltes Jiſraelitis ad liberum Dei cultum exhortans, magnifica ejus opera in exitu ex Aegypto proponit, & doctrinam mandatorum promiſſionumque legis: deinde populum inofficioſa*

[1] vide Pſ. 8. 1. [2] ode generis eſt didaſcalici, continens primùm exordium ſive hortationē ad populum, à ver. 2. ad 5. deinde narrationem ætiologicā, inde uſque ad ṽ. 14. poſtremò concluſionem, qua Deus populum revocat ad reſipiſcentiam & exſpectationem promiſſorum ipſius ad finem uſque. Videtur autem hæc ode poſt tempora Judicum conſcripta eſſe, quum à Schemuele aut Davide cultus Dei inſtauratus eſt. [3] i. omnibus modis celebrate in omni conventu ſacro. [a] *Heb. pſalmodiam.* [b] *Heb. ſtativa quaque feria, die feſti noſtri: Enallage numeri.* [4] narratio ætiologica, ſive exponens cauſam præcedentis exhortationis, hoc verſu & ſequente. Duæ ſunt (inquit) cauſæ, ex quib. per ſabbatha, neomenias, & ſolennitates his modis colendus eſt Deus, Exod. 23. & Num. 28. & 29. una eſt, contemplatio operum ipſius ad cōfuſionem hoſtium & liberationem noſtram, uſque ad ver. 9. altera, doctrinæ continentis mandata legis & promiſſiones Evangelii verſib. ſeq.

*vitæ reprehendens, vocat ad reſipiſcentiam perceptionemq́; beneficiorum Dei.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ [1] ad Gitthęa [2] *ode*, Aſapho.
2 [3] Cantate Deo robori noſtro, vociferamini Deo Jahakobi.
3 Sumite *a* pſalmodica inſtrumenta; & apponite tympanum, citharam amœnam cum nablio.
4 Clangite in novilunio buccina, *b* ſtativis quibuſque feriis, diebus feſtis noſtris:
5 [4] Nam ſtatutum in Jiſraele eſt, ritus à Deo Jahakobi:
6 [5] Qui teſtimonium [6] in *c* Joſepho impoſuit ipſum; [7] quum proceſſiſſet contra terram Ægypti, *ubi* [8] *d* ſermonem ignotū audiebam.
7 [9] Amovi, *inquit*, [10] ab onere humerum ejus; manus ejus à [11] lacuſculo *intritæ e* abierūt.
8 Quum in anguſtia illa exclamares, liberavi te; [12] exaudivi te [13] in latebris tonitru: [14] probavi te [15] *uſque* ad aquas Meribæ ſummè.
9 [16] Audi popule mi, & conteſtabor te; ô Jiſrael, ſi auſcultaveris mihi,
10 *Si* non erit in te *Deus* fortis extraneus, neque incurvabis te *Deo* forti alienigenæ *honorem exhibens*:
11 [17] Ego *ſum* Jehova Deus tuus, qui feci ut aſcenderes è terra Ægypti, [18] dilata os tuum, & [19] impleturus ſum illud.
12 Sed [20] non auſcultavit populus meus voci meæ, & Jiſrael non acquievit mihi.
13 Quapropter [21] dimiſi eos *ambulaturos* ex *f* ſentētia animi ſui, *dicens*, abeant cum pravis conſiliis ſuis.
14 [22] O ſi populus meus auſcultaſſet mihi, *ſi* Jiſraelitæ in viis meis ambulaſſent;
15 Vel momento inimicos eorum fuiſſem depreſſurus, [23] quum in hoſtes eorum convertiſſem manum meam:
16 Oſores Jehovæ *g* mendaciter ſe dediſſent ei, & [24] futurum fuiſſet tempus iſtorum in ſeculum:
17 Deniq; [25] cibaturū fuiſſet eum adipe tritici, [26] etiā ex rupe melle fuiſſem ſatiaturus te.

[5] exegeſis præcedentium verborum, nimirum ritus à Deo Jahakobi. [6] i. in toto Jiſraele, cujus terminos orientem & occidentem verſus obtinebat Menaſche è poſteris Joſephi: Jehoſch. 17. ſynecdoche. [c] *Heb. Joſepho: epentheſis.* [7] i. Ægyptios terra & mari profligaſſet, & populum ad luxiſſet Maram uſque. Exod. 15. 25. [8] i. peregrinus eram: periphraſis. [d] *Heb. labium: metonymia.* [9] recenſio prioris cauſæ cur celebrandus ſit Deus: de qua à cap. 1. Exodi uſque ad 17. [10] i. à duriſſima ſervitute, de qua Exodi 1. & 6. [11] i. ſordidiſſimis quibuſque miniſteriis; ſynecdochicè: non enim tantùm ſtruebant ædificia, lateres coquebant, & ſimilia obibant munera; ſed etiam ſtramen conquirere, & intritæ lacuſculos ſive labella bajulare humeris cogebantur, ſordidiſſimo miniſterio: quod Hebraica hac voce ſignificari teſtatur Abenhezra. [e] *Heb. tranſiverunt.* [12] invocante Moſche, Exod. 14. 15. [13] i. columna illa nubis (quæ profecta à conſpectu Jiſraelitarum ſtabat à tergo eorum inter utraque caſtra) intonante adverſus Ægyptios Exod. 14. 24. [14] ut Exod. 15. 25. [15] de quibus Exod. 17. q. d. penitus mores tuos atque exploravi uſque dum veniſti ad montem Chorebum; ad quem ex aquis Meribæ profectus accepiſti legem; verſibus ſequentibus. [16] altera cauſa, nimirum doctrina quam Deus propoſuit lege; prout ſummatim expoſuerat ad fontes amaros, Exodi 15. 26. [17] affirmatio ſermonis quem habet Deus ad populum ſuum, ab æternitate, fœdere, & operibus ſuis erga populum. q. d. tam certè ac verè hæc promiſſa mea completurus ſum, quàm me certum eſt Jehovam Deum tuum eſſe, ac eduxiſſe te, &c. [18] i. tantùm pleno ore, plena fiducia atque libertate, etiam importunè pete. [19] i. & petitiones tuas præſtiturus, & cantica laudis inditurus ori tuo ex perceptis beneficiis. [20] tum in deſerto ambulans, tum in regione Cenahanææ habitans; ut hiſtoria Judicum commonſtrat. [21] vide Judic. 2. & 10. ṽ. 11. & ſequent. [f] *Heb. in aſpectu cordis ſui: ut Deut. 29. 19.* [22] concluſio, qua Deus ἀνθρωποπαθῶς populum revocat ad reſipiſcentiam & perceptionem bonorum ſuorum, ut Deut. 32. 29. & Jeſchahjæ 48. 18. [23] i. ſola adverſione manus deturbaſſem eos. [g] *Hebr. mentiti fuiſſent ei: ut Pſ. 18. 45. & 66. 3.* [24] i. iſta populi felicitas & hoſtium depreſſio futura fuiſſet perpetua. [25] ſupple tempus, cujus meminit proximè præcedentibus verbis: ſinguli anni optimum craſſumque triticum ei ſubminiſtraſſent: ſimilem metaphoram vid. Deut. 32. 14. [26] Deut. 32. 13.

## Psalmus LXXXII.

*Pſaltes Deum judiciis præeſſe docet: judices improbos reprehendit, & ad officium revocat ab infortunato reipublicæ & ipſorum exitu; judiciáque commendat Deo.*

[1] Pſalmus eſt didaſcalicus, conſtans ex doctrina, ver. 1. reprehenſione, uſque ad ver. 8. & precatione ad Deum, verſ. ult. Eſt autem doctrinæ locus de præſentia Dei in omni cōſeſſu judicum, tum admonitionis ad judices, tum precationis ſequentis fundamentum. [2] Dominus Jeſus Dei filius. [3] i. Patris, qui naturæ & creationis lege inſtituit omnem cōſeſſum judicū, ut ipſorum judicum dominus, & judiciorū auctor, Deut. 1. 17. & 2. Chron. 19. 6.

1 [1] PSalmus Aſapho. [2] *Deus* aſtat [3] in cœtu *Dei* fortis, inter *a* magiſtratus judicat.
2 [4] Quouſq; judicabitis *b* iniquè, & *c* perſonam improborum ſuſcipietis ſummè?
3 Judicate *ſecundùm* [5] tenuem & pupillum; afflictum & pauperem juſtum pronunciate:
4 Liberate tenuem & egentem, è manu improborum eripite.
5 [6] Ignorantibus & non animadvertentibus, in tenebris indeſinenter ambulantib' illis; [7] dimoventur omnia fundamenta terræ.
6 [8] Ego dico; [9] Dii *quidem* eſtis, & [10] filii excelſi vos omnes:
7 *At* certè [11] ut plebeius homo morituri eſtis, etiam ſicut unus aliorum principum caſuri eſtis.
8 [12] Surge, ô Deus, judica terram: [13] tu enim poſſeſſionem habes *judiciorum* in omnibus gentibus.

[a] *Heb. Deos i. vicarios Dei in adminiſtrando jure: ut Exod. 22. 28.* [4] hujus reprehenſionis ad judices loci ſunt tres: primus eſt increpatio corruptionis in judicando, hoc verſu, ſecundus, contraria hortatio ad bene judicandum, duobus ſequentibus, tertius, propoſitio eventuum qui ex corruptis judiciis conſequuntur, tum in republica, ver. 5. cum in privatis judicum perſonis, ṽ. 6. & 7. [b] *Hebr. iniquitatem.* [c] *Heb. faciem: ut Deut. 1. 17. Exod. 23. 6.* [5] i. qui præ tenuitate neque facultatem nocendi habet, neque defendendi ſui; ſed improbitate aliena opprimitur, ver. ſeq. [6] prior eventus perverſorum judiciorum, ruina reipublicæ; cujus modos tres proponit pſaltes; primus eſt, ignorantia judicum in jure; ſecundus, incuria & oſcitantia in cognoſcendis cauſis; tertius (qui generalis eſt) ſtudioſus tenebrarum amor cæco judicio, nulla prælucente aut verbi Dei, aut rationis, ad pietatem & humanitatem face. [7] i. peſſumdantur & ruunt omnia. [8] alter eventus; mors communis, & præceps caſus corruptorum judicum in ruinam æternam: quam tamen præmollit pſaltes humili præfatione, & conceſſione honorifica gradus in quem à Deo evecti ſunt. [9] i. Dei ſermo ad vos factus eſt, ut exerceatis judicia ipſius, 2. Chro. 19. 6. ſic interpretatur Chriſtus Joan. 10. 34. & 35. [10] i. quaſi hæredes, ſuccedentes in partem aliquam judiciariæ auctoritatis ipſius: quam vobis attribuit, ut parentes principes liberis. [11] i. non tantùm cadetis communi morte; ſed etiam celebri & ſingulari aliqua: ut Jeſchah. 14. 10. [12] concluſio petitoria, ut Deus & Dominus Jeſus Chriſtus jus dicat in terra; quæ alioqui præ judiciorum conſtupratione tota videtur collapſura, ṽ. 5. [13] ut Gen. 18. 25.

## Psalmus LXXXIII.

*Pſaltes de inimicorum injuriis in populum Dei & impietate in Deum conqueſtus graviſſimè ipſis exitium imprecatur ad gloriam Dei.*

[1] Pſalmus eſt διδακτικὸς continens exordium, verſ. 2. propoſitione ſive narrationem earum rerum de quibus expoſtulat pſaltes, à verſ. 3. ad 10. & imprecationem, ad finem uſq;. Videtur autem hic pſalmus aut à rege Chizkija, aut ab aliquo propheta temporibus ipſius conſcriptus eſſe, quū Sancherib. tam propria ambitione, quā finitimarum gentium (quæ ipſi parebant) ſollicitatione adductus cum maximis copiis repentè Jehudeam invaſit: 2. Reg. 18. & 19.

1 CAnticum & [1] pſalmus, Aſapho.
2 [2] O Deus, *a* ne agas ſilentium; ne ſurdum agas: neque quieſcas, ô *Deus* fortis.
3 [3] Nam ecce inimici tui perſtrepunt, & oſores tui [4] extollunt caput.
4 Contra populū tuū callidè ineunt *b* cōſilium, & conſultant contra [5] abditos tuos,
5 Dicētes, agite exſcindamus [6] iſtos, [7] ne ſint gēs; ut nō memoretur nomē Jiſraelis ampliùs.
6 Nam conſilium inierunt *c* animis paribus, contra te fœdus pepigerunt.
7 [8] Tentoria Edomæorum & [9] Jiſchmahelitarum, Moabitæ, & [10] Hagareni,
8 [11] Gebalitæ, Hammonitæque, & Hamalekitæ; Palæſtini cum habitatoribus Tyri:
9 Etiam Aſſyrius [12] adjunxit ſe iſtis, ſunt brachium [13] poſteris Loti maximè.
10 [14] Fac iſtis ut ‖ Midjaminitis; ut Siſeræ, ut Jabini in torrente Kiſchonis:

[2] Exordium ad faciendam audientiam: humanitùs dictum. [a] *Hebr. ne ſit ſilentium tibi.* [3] propoſitio continens duo expoſtulationis capita; unum, de animo infenſo hoſtiū & peſſimis conſiliis contra populum Dei, uſq; ad ṽ. 6. aliatū de impietate blaſphemia & cōtumelia in Deū ipſum, v. 6. quibus expoſtulationis partib. ſubjicitur recenſio gentium quæ criminibus iſtis tenebantur, uſq; ad ṽ. 10. [4] i. omni metu poſito, & audentibus animis erigunt ſe ad ſcelera ſua perpetranda. [b] *Hebr. arcanum.* [5] i. quos recondis penes te, velut pretioſum peculium tuum, Exo. 19. 5. ac proinde tutos ab omni injuria & inviolatos ſervas ſub umbra alarum tuarum, ſup. 17. 8. & 27. 5. [6] Judæos, in quib. adhuc Iſraelis nomen conſervatur. [7] i. ne ampliùs efficiant populum unum: ſicut decem tribubus fuerat factum, & prædixerat Jeſcha. 7. 8. [c] *Heb. corde pariter.* [8] i. Scenitæ Arabes in tentoriis commorantes; aut potiùs milites degentes in tentoriis ex uſu caſtrenſi: hypallage. [9] qui in poteſtatem Jiſraelitarum non venerant; ſed animo infeſto in eos ferebantur. [10] qui partim Schaulis, partim Jarobhami ſecundi temporibus venerant in poteſtatem Jiſraelitarum, 1. Chr. 5. [11] ſive Giblæi Tzidoniis, de quib. 1. Reg. 5. 18. [12] i. recens ſuſcepit eaſdem inimicitias; quas finitimi omnes ſuperioribus temporibus continenter geſſerant. [13] i. Hāmonitas & Moabitas confirmat, qui priùs fuerant imbecilliores quàm ut nobis damnū afferre poſſent: ut docēt hiſtoriæ Aſæ & Jehoſchaphati, 2. Chron. 14. & 20. [14] tertia pars, imprecatio. ‖ *Judic. 4. & 6. 7. & 8 Judic. 4. & 5.*

11 Qui

11 *Qui* exciſi fuerunt [15] ad Hen dorum, facti ſunt fimus terræ.

12 Redige ipſos ingenuos iſtorum ut ‖ Horebum, & ut Zeebuum; ut Zebachū, & Tzalmunahum, omnes Toparchas iſtorum;

13 Qui dicunt, hæreditario jure poſſideamus nobis habitacula Dei.

14 Deus mi, pone eos [16] velut rotam; ut ſtipulam coram vento.

15 Ut ignis exurit ſilvam, & ut flamma accendit montes,

16 Ita proſequere eos procella tua, & turbine tuo conturba eos.

17 Reple faciem eorum *d* ignominia; [17] ut *e* requiratur nomen tuum, ô Jehova.

18 Pudore perfundantur, & conturbentur uſque in ſeculum; erubeſcantque & pereant:

19 Ut *f* cognoſcatur, te, cui ſoli nomen *eſt* Jehova, excelſum eſſe ſupra univerſam terram.

[15] prope Tabanacum & aquas Megidduntis, Judic. 5. 19. ‖ *Judic. 7. & 8.* [16] i. fac ut ipſi tamquam rotati in præceps ferantur, & ſua ipſorum volubilitate ac inſtabilitate decidant de conſiliis ſuis. *d* *Heb. levitate.* [17] ſummus finis precationis, nimirum gloria Dei: qua poſita eſt tū in invocatione, hoc verſu; tum in agnitione æternitatis, majeſtatis, & potentiæ ejus, verſ. 19. *e* *Heb. requirant: verbum perſona tertiæ pro imperſonali, ut verſ. ultimo.* *f* *Hebr. cognoſcant. ut ſup. verſ. 17.*

## Psalmus LXXXIV.

*Pſaltes in ſacris cœtibus permanendi deſiderium ſuum exponit: piorum in Eccleſia converſantium felicitatem explicat: Deumque precatur ut miſericordia utatur ad reducendum ſe, adque in gratia confirmandum.*

1 Magiſtro ſymphoniæ ad Gitthæa poſteris Korachi, [1] pſalmus.

2 [2] Quàm amabilia *ſunt* tabernacula tua, ô Jehova exercituum.

3 [3] Deſiderio afficitur, etiamq; deficit anima mea *veniendi* ad atria Jehovæ: cor meum & caro mea exclamant *veniendi* ad Deum fortem viventem *deſiderio*.

4 [4] Etiā paſſer invenit domum, & hirundo nidum ſibi, *in* quo ponat pullos ſuos: [5] altaria tua, ô Jehova exercituum, rex mi & Deus mi.

5 [6] Beati [7] qui inhabitabant domum tuam, *qui* adhuc laudant te ſummè.

6 [8] Beatus homo, cui facultas *eſt* in te ſemitas *tuas inſiſtendi a* ex animi ſui *ſententia*.

7 [9] *Qui* tranſeuntes per vallem mori fontem conſtituunt eum, *quos* etiam [10] benedictionum operit pluvia:

8 Qui pergunt [11] ab acie ad aciem, [12] compariturum apud Deum [13] Tzijone.

9 [14] Jehova Deus *Deus* exercituum, audi orationem meam; auribus percipe ô Deus Jahakobi maximè.

10 Scutum noſtrum aſpice, ô Deus; & intuere faciem [15] Chriſti tui.

11 [16] Nam melior *eſt* dies *unus* in atriis tuis, [17] quàm mille *alibi*: eligo frequētare [18] limen in domo Dei mei, magis quàm habitare [19] in tentoriis improbitatis:

12 Quia [20] ſol & ſcutum *eſt* Jehova Deus, gratiam & gloriam dat Jehova: [21] non cohibet bonum *ab* [22] ambulantibus in integritate.

13 [23] O Jehova exercituum; beatus homo, qui fiduciam habet in te.

[1] Pſalmus eſt ἐκτικὸς Davidis (ut verſimile eſt) arcam ducentis Jeruſchalaima, ut ſup. 8. [1]. continens primū patheticam propoſitionem deſiderii quo afficiebatur David, uſque ad verſ. 9. deinde petitionem, uſque ad 13. ac poſtremò concluſionem epiphonematicam, verſ. 13. [2] exclamatio pathetica de laudibus Eccleſiæ aſpectabilis: quā in ſequentibus propoſitionis verſibus explicat primum à ſingulari conſcientia ſua, v. 3. & 4. deinde à publico piorum in ea verſantiū exemplo, uſque ad verſ. 9. [3] propoſitio ſingularis ſenſus, quem habebat David in animo ſuo, verborum coacervatione & hyperbole exponens gravitatem πάθους. [4] argumentum à comparatione minoris: paſſeribus (inquit) hirundinibuſque niduli in domibus humanis conceduntur, etſi nihil ad homines attinent, me autem, qui ſervus ſum tuus & membrum Eccleſiæ tuæ, quantò indignius eſt à domo tua abeſſe procul? [5] Exclamatio pathetica ex abrupto. [6] poſterior pars propoſitionis à communi piorum exemplo, quorum felicitas in domo, extra domum, in itinere, etiam quum res adverſæ obveniunt, prædicatur. [7] ut Sacerdotes & Levitæ ſacrorum adminiſtri. [8] i. ô felices eos, quibus aditus in Eccleſiam, ut mihi, non interclusus eſt, ſed per te patet liberè. *a* *Heb. in corde ipſorum.*
[9] i. felices illos, qui etſi difficiliore itinere utuntur, tamen ad Eccleſiam Dei pervenire contendunt: nam ſi coguntur ſiticuloſa loca, (ut erat vallis mori, 2. Sche. 5. 23. 24.) peragrare, nihilominus recreantur conſideratione fontis divini, ad quem contendunt: & ſimiliter quamvis pluvioſo cælo, lætantur tamen, quia liberè poſſunt Deum accedere. q. d. mihi non eſſet grave etiam Libycas ſolitudines peragrare, aut ſubire imbres vehementiſſimos, modò Deum adire poſſem.
[10] i. quæ ferè immittitur ad communicandam cum terra benedictionem Dei, & fœcundat eam. [11] i. à cœtu uno ſacro ad alterum quotidie abeunt, ad exercendum publicè totum cultum Dei; metaphora à re militari. [12] ex lege Exo. 23. 17. [13] ubi tum cultus Dei fuerat inſtitutus quum pſalmum hunc exararet David, & præcedentis ſuæ calamitatis documentum traderet Eccleſiæ Dei.
[14] altera pars pſalmi, precatio duobus verſibus: cui ſubjungitur ſua explicatio cauſarum, v. 11. & 12. [15] i. cùm meam faciem, miſertus mei, quem unxiſti regem 1. Schem. 16. tum filii tui æterni, quem unxiſti prophetam, ſacerdotem & regem piorum omnium, & in quo exſiſtit hujus regni typici veritas.
[16] cauſa precationis, fructus & lætitia ad pios qui in Eccleſia cōmorantur perveniens; cujus fons eſt Deus pro miſericordia ſua erga eos beneficus, ſeq. verſ.
[17] ſupple in tentoriis improbitatis, quod ἀπὸ κοινοῦ repetendū eſt ex fine verſus.
[18] i. verſari in Eccleſia, ſynecdochicè, & ire de cœtu in cœtum, ſup. v. 8.

[19] i. extra Eccleſiam, ubi nulla eſt ſanctimonia & bonitas. [20] i. auctor illuſtrium bonorū & gloriæ, ac omnis mali propulſator, ut ſequentia verba explicant.

[21] ſed arcet, propulſat atque defendit à malo, tamquam ſcutum. [22] i. qui non tantùm verſantur corpore in cœtu Eccleſiæ, ſed re ipſa corde & veritate ex Eccleſia ſunt. [23] concluſio epiphonematica, ut dictum eſt in verſ. 1. qua ſtatuit ut cumque miſerè ejectus ſit, aut in poſterum per Dei voluntatem agitandus; ſe tamen, etſi abſentem corpore, animo tamen & fide præſentem, cum Deo & cum Eccleſia communicaturum: ut ſup. Pſ. 42. & 43.

## Psalmus LXXXV.

*Pſaltes ab exemplo præcedentis liberationis cum Deo expoſtulans, Deum orat pro liberatione Eccleſiæ: deinde ſe ipſum ad verbum Dei audiendum revocans pios conſolatur, cùm proximæ liberationis ſpe, tum alterius æternæ per adventum Chriſti ad Eccleſiam pertinentis.*

1 Magiſtro ſymphoniæ in poſteris Korachi, [1] pſalmus.

2 [2] Benevolus fueras, ô Jehova, terræ tuæ: reduxeras turbam captivam Jahakobi:

3 Condonaveras iniquitatem populi tui, texeras omne peccatum eorum ſummè:

4 Receperas omnem excādeſcentiā tuam; averteras, quò minus æſtuaret, iram tuam.

5 [3] Reſtitue nos, ô Deus ſalutis noſtræ; & irritam fac indignationem tuam contra nos.

6 An in ſeculum iraſceris cōtra nos? protraheres irā tuam *a* in quamq; generationem?

7 An non tu *b* reverſus, vitæ reſtitueres nos; ut [4] populus tuus lætentur in te?

8 [5] Oſtende nobis, Jehova, benignitatem tuam; & ſalutem tuam da nobis.

9 [6] Audiam quid loquatur *Deus* ille fortis Jehova; nam eloquitur [7] pacem erga populum ſuum, & erga eos quos benignitate proſequitur: ſed ne revertantur [8] ad ſtultitiam.

10 [9] Utique [10] propinqua *eſt* [11] timentibus eum ſalus ejus, [12] habitatura eſt gloria in terra noſtra.

11 [13] Benignitas & fides occurrent inter ſe, juſtitia & pax oſculabuntur ſe.

12 [14] Fides [15] è terra [16] germinabit, & [17] juſtitia è cælis proſpectabit.

13 [18] Etiam Jehova dabit [19] quod bonum eſt, ut terra noſtra edat proventum ſuum;

[1] Pſalmus eſt generis mixti, εὐκτικὸς καὶ διδασκαλικός: itaque duæ ſunt partes illius; una eſt precatio, uſq; ad verſ. 9. altera verò prophetia de inſtauratione glorioſiſſima per Chriſtum: in cujus adventum Eccleſia calamitoſa & graviſſima tyrannide Antiochi preſſa videtur ſe totam rejeciſſe, ex prophetia Danijelis de regno Chriſti. [2] precationis (quæ prior pars eſt pſalmi) membra ſunt duo: prius eſt argumentum ab exēplo anteactæ adminiſtrationis Dei, ut flectatur ad miſericordiā, tribus verſibus; poſterius verò, petitio miſericordiæ & ſalutis, quatuor ſequentibus. Eſt autem hoc exēplum liberationis Judæorum à captivitate Babylonica, verſ. 2. cujus cauſa conſtituitur in Deo ſolo condonante peccata verſ. 3. & iram dimittente, verſ. 4. prout Hezra & Nechemja ſuis orationibus in Eccleſia profeſſi ſunt. [3] precatio, qua implorat Eccleſia præſentiam, miſericordiam, gratiam, benignitatem, & ſalutem Dei, inſerto altero argumento à natura Dei tarda ad iram & proclivi ad miſericordiam. v. 6. & 7. Hæc autem verba, *revertere ad nos*, exemplo Chaldæi paraphraſtæ commodè reddi poſſunt: ut accipienda eſſe oſtendit v. 7. nam hoc genus ellipſeos eſt frequentiſſimum. *a* *Heb. in generationem & generationem.* *b* *Heb. reverteris vivificares nos,* [4] i. ut tuis ſit bonum, & tibi gloria: qui duo fines conjuncti ſunt.
[5] i. re ipſa præſta, ut docet altera pars verſ. [6] altera pars pſalmi didaſcalica, in qua propheta primùm ſe ipſum ac populum Dei ad officium revocat omiſſis querimoniis. hoc verſ. deinde promiſſiones Dei elegantiſſimis verbis & figuris explicat, reliquis verſ. Eſt autem officium duplex, unum, ut à ſenſu carnis expoſtulantis de miſeria ſua avocentur pii ad audiendas promiſſiones & conſolationes Dei: alterum, ne immorigera ſua vita ipſi intercludant ſibi conſequendarum promiſſionū viam. Eſt itaque hoc principium correctio quædam. q. d. quid conqueror? aut quid loquor? quin potiùs mihi auſcultandum eſt quid loquatur Deus.
[7] i. omne bonum & proſperitatem terminatis calamitatibus: ut pollicitus erat Deus, Dan. 8. 14 & cap. 9. [8] i. idololatriam & alia ſcelera, in quæ ſollicitabat Antiochus. [9] explicatio proſperitatis, quam per prophetas denūciatam fideles audiebant. [10] q. d. mox futurum eſt ut ab horrenda iſta tyrannide liberemur extincto Antiocho, Dan. 8. 14 quæ liberatio teſſera quædam, & particula futura eſt æternæ illius ac glorioſæ liberationis & ſalutis, quàm conferet Chriſtus: quamobrem ad eam tranſitur ſequentibus verbis. [11] qui non convertentur ad ſtultitiam, ſuperiore verſu. [12] i. futurum eſt ut Deus præſentia ſua glorificet Eccleſiam, quam terra olim figurabat, ubi Eccleſia erat. Hæc autem gloria cujuſmodi ſit, exponunt ſequentia. [13] ſuperioris gloriæ explicatio primùm quidem ſpiritalis, duobus verſibus, deinde temporalis, v. 13. Sunt autem in hac ſpiritali gloria binæ relationes; una, benignitatis Dei ad fidem hominum benignitatem & gratiam ejus obviis ulnis excipientium: altera juſtitiæ Dei ad pacem hominum ſive tranquillitatem conſcientiæ per fidem, Rom. 5. 1. quæ vera ſunt effecta unici mediatoris Chriſti. [14] cum pace per fidem in Chriſtum, ſynecdoche. [15] id eſt, ex animis piorum: metonymia. [16] i. ſe exſeret & fructum pacis afferet. [17] proficiſcens ex benignitate Dei: ſynecdoche ut antè.
[18] ſumma promiſſionum: Jehova (inquit) temporales omnes ac ſpirituales promiſſiones exhibebit, 1. Tim 4. 8. [19] i. quantum ex uſu erit Eccleſiæ Dei.

20 i. non temporales illas benedictiones tantùm communicabit;ſed etiam ſpirituales, dum procedet regnum Chriſti, & erit thronus juſtitiæ, (ut appellat David Pſal.45.) in hoc mundo. 21 i.dum veniet ad inſtituendum regnum Chriſti; & nos fide incedemus in regno Chriſti habitantis & inambulantis in nobis,uſque ad conſummationem ſeculi:humanitùs dictum.
c Heb ponet.

14 [20] Faciet ut juſtitia præeat ſibi, [21] dum c
conferet ad iter pedes ſuos.

## Psalm. LXXXVI.

*David in ſuis calamitatibus Deum invocans, ſuam imbecillitatem, fedus cum Deo, & fidem in eum profitetur: ſalutem ab eo petit propter naturam,gratiam & gloriam ejus: & poſtremò de inimicis conqueſtus requirit aliquam ſignificationem boni & conſolationem à malo.*

1 i. orationis forma, quam David præſcripſit piis, ut in gravibus rerum difficultatibus uterentur. Quāobrem nullam adhibuit circūſcriptioné temporum,perſonarum,aut locorū, ut alibi fecit; ſed iis tantum argumentis utitur quæ fidelibus omnibus convenire poſſunt. Conſtat autem pſalmus ex quatuor partibus, prout tres ſunt argumentorum loci: prima eſt petitio ſalutis, à perſona ſupplicis, uſque ad ỷ. 6. ſecunda eſt petitio eadem à perſona Dei. uſque ad verſ.14. tertia, à perſona adverſariorum, verſ.14. poſtrema, concluſio petitionis tres locos coacervās ad conſequēdam miſericordiam, verſ.15. & ſequētibus, ad finem uſque.
2 primus petitionis locus à perſona ſupplicis: ubi exponit Pſaltes Deo imbecillitatem & miſeriam ſuam, hoc verſu; benignitatem Dei communicatam ſecum ex gratia & fœdere ejus, cultum, fidemque, ſecūdo verſu; conſtantem invocationem, ỷ.3. & ſpem firmam, verſ.4. quorum omniū fundamentum eſt natura Dei, verſ.5.
3 ætiologia ſuperioris profeſſionis à natura Dei, quæ eſt μεταβατικὴ ſive tranſitiva ad alterum argumentorum genus.

1 [1] ORatio Davidis: [2] Inclina Jehova, aurē
tuā,exaudi me: nā pauper & egēs ſum.
2 Serva animam meam, nam is ſum quem
benignitate proſequeris: ſerva tuum ſervum,
tu Deus mi,fiduciam habentem in te.
3 Gratiam fac mihi Domine;quia te inclamo toto die.
4 Lætifica animam ſervi tui:quia ad te,Domine,animam meam attollo:
5 [3] Tu enim Domine bon⁹ es & a cōdonās;
multusq; benignitate omnib⁹ invocātibus te.
6 [4] Auribus percipe, Jehova, orationem
meam; & attende ad vocem deprecationum
mearum.
6 Tempore anguſtiæ meæ invoco te, quia
exaudis me.
8 Non *eſt* par tibi inter ullos Deos, ô Domine;neque *ſunt* paria operibus tuis *opera*.
9 [5] Omnes gentes quas *eis* afficis venientes,incurvant ſe coram te,Domine; & honorem habent nomini tuo:
10 Quia magnus es atq; mirificus,tu Deus
ſolus es.
11 [6] Doce me,Jehova, viam tuam, pergam
in veritate tua, [7] aduna b animum meum ad
timendum nomen tuum.
12 Celebrabo te Domine,Deus mi, ex toto
animo meo; & honore proſequar nomen
tuum in ſeculum:
13 Quum benignitas tua magna *ſit* erga me,
& eripueris animam meam à [8] ſepulcro imo.
14 [9] O Deus,ſuperbi inſurgunt contra me,
& cœtus violentorum quærunt c vitam meam
qui non proponunt te ſibi.
15 [10] Tu autem,Domine, *Deus* fortis, miſericors, & gratioſus *es*; longanimis, & multus
benignita ac fide.
16 Reſpice ad me, & gratiam fac mihi; da
robur tuum ſervo tuo, & ſerva [11] filium ancillæ tuæ.
17 [12] Effice erga me ſignum *d quod* bono
*ſit*; ut videntes oſores mei pudore perfundantur,quum tu Jehova adjuveris me & conſolatus fueris me.

a Heb.condonator. 4 ſecundus orationis locus à perſona Dei,ubi fiduciā ſuam confirmat David, Deumque ſupplicat primùm à natura ejus,hoc verſ. deinde à ſingulari experientia ſua, verſ 7. tertiò ab operibus quibus Deus extollit ſe ſupra omne quod dicitur Deus, & omnes homines,à verſ.8.ad 11.poſtremò à gloria ipſius,quæ piorum ductu & ſalute conjuncta eſt,à verſ.11.ad 14.
5 id eſt, adeò ſupra omnes homines te evehis magnificè, ut ipſæ gentes cogantur profiteri & gloriam tibi cedere; prout etiam infideles, infeſtæ gentes & inimicæ Deo feciſſe leguntur,Geneſ.20.Exod.8.& ſequentib. 1. Sche.6.& aliis locis.
6 id eſt doctrina,ductu,& virtute tua ita me regito,ut glorificem te.
7 id eſt, effice ut cor meum ab aliis omnibus timoribus & curis liberatum unum ſit,id eſt,totum ſolidumque permaneat in timore tuo, ac non ſuſpenſum hæreat:ut Hoſche.11.7. b Heb.cor meum:ſic ſequente verſu. 8 ſummis & profundiſſimis periculis:metaphora. 9 tertia pars, à perſona adverſariorum, ut obſervatum eſt in verſ.1. c Heb. animam meam. 10 concluſio miſericordiam implorans à perſona Dei,hoc verſ ſupplicis, ſequente, & inimicorum, ultimo. 11 id eſt vernam tuum, in fœdere tuo à parentibus gentium atque educatum,domeſticum Eccleſiæ tuæ:ut pſalm 116.16. 12 i.facto & opere ſignifica,ac demonſtra tibi curæ eſſe bonum meum, iis modis qui exponuntur in fine verſus. d Heb.in bonum.

## Psalm. LXXXVII.

*Pſaltes Eccleſiæ laudes prædicat, à præſentia & beneficiis Dei erga illum, futuraque gentium vocatione.*

1 POſteris Korachi, [1] pſalmus & canticum.
2 Fundationem ſuam [3] inter montes
ſanctitatis,
2 [4] Diligit Jehova portas Tzijonis, [5] ſuprà
quàm ulla tabernacula Jahakobi.
3 a [6] Honorificentiſſima *ſunt* quæcumque
prædicantur de te, ô civitas Dei,ſummè *honorifica*.
4 [7] Memoro b Ægyptium,& Babylonium,
apud [8] noſcentes me;ecce,Palæſtinum;& Tyriū cum Æthiope, [9] hunc genitum eſſe ibidē:
5 [10] Ideò de Tzijone fore ut dicatur, hic &
ille vir genitus eſt in ea; ipſumq; [11] ſtabiliturum eam [12] Excelſum:
6 Jehovam annumeraturum conſcribendo populos, hic genitus eſt ibidem excellentiſſimè.
7 [13] Quapropter [14] canunt æquè ac c exſultant,omnes fontes vitæ meæ de te.

1 Pſalmus eſt ἐπαινετικὸς ſive laudativus, conſtans ex propoſitione laudis universè, uſque ad ỷ. ultimum; & concluſione, verſu ultimo. 2 propoſitio laudis hoc pſalmo continetur duplex; prior eſt à perſona Dei,Eccleſiam præſentia ſua & beneficiis honeſtantis, uſque ad ỷ. 4. poſterior, à perſona eorum qui in Eccleſia converſaturi ſunt; quia Judæi accenſuti ſunt gentes Eccleſiæ ſuæ, & Deus cooptaturus, ut fiat unum ovile ſub paſtore uno, à verſ.4. ad ultimum. Per fundationem autem Dei intelligit pſaltes Eccleſiam,quam Deus ſecundùm æternum decretum ſuum & beneplacitum voluntatis ſuæ fundavit in Chriſto.
3 i.quam fundavit in Cenahanæa, montoſa regione ſanctificata ad habitationem ſuam & populi ſui,ut Exod.15.13.& 17.2. 4 i.ſingulari quodam modo ſuæ dilectionis erga Eccleſiam hoc loco ſignificationem exhibet.ut quum ſacrificandus eſſet Jitzchak,Geneſ.22. quum extenſurus eſſet manum ſuam angelus contra Jeruſchalaima, 2.Sche.24.16. denique quum præſentia verbo, & opere oſtendit ſe locum illum elegiſſe ad habitationem ſuam, donec adveniret tempus quo neque in monte, neque Jeruſchalaimis adorandus eſſet Deus Joan.4.21.
5 ut ipſe Deus explicat Deut.12.5.& ſeq. a Heb.honorabilia prædicantur.
6 i.nihil honorificum non prædicatur de te, & nihil prædicatur de te quin ſit honorificentiſſimum. 7 altera propoſitio laudis, ut obſervatum eſt in ỷ.1.q.d.maximum quidem eſt,Deum huic Eccleſiæ adeſſe,eam fundaſſe,eam diligere, in ea coli,eamque omni honore proſequi:ſed amplius adhuc afficior, quos cogito Deum pro decreto ſuo immutabili effecturum, ut hæc tua bona & honores qui nunc anguſtis finibus terminantur, ad omnes gentes perveniant, ut generentur in Chriſto,hoc vers.Eccleſiæ accenſeantur, verſ.ſequente, ac proinde eorum nomina in cælis ut in terra conſcripta habeantur ỷ.6.
b Heb. Rahab & Babelem, & metonymicè ſic accipitur Rahab Jeſchah. 11.9. & pſ. 89.11. 8 i familiares meos & cives ejuſdem Eccleſiæ. 9 i.jam prædeſtinatum & præfinitum eſſe,ut fiat Dei & Eccleſiæ filius regeneratione ſpiritus per fidem Chriſti, quod ſequentis verſus exegeſis oſtendit. 10 i. fore ut gentiles in Eccleſia Chriſti agnoſcantur, & Deus adoptatis gentibus per Chriſtum Eccleſiam ſervet,quæ alioqui per Jehudæorum incredulitatem, & urbis ac templi excidium intercidiſſe videretur. 11 i.in ſtatu conſervaturum,& confirmaturum ut portæ inferorum non prævaleant ei. 12 Chriſtum, in cujus manum omnia dedit pater: qui idem eſt Jehova, ſeq.verſ. 13 concluſio prædicans allegoricè laudes Eccleſiæ, ſuperiorum bonorum nomine. 14 i.quicquid in me vitæ eſt conſpirat quodammodo, ut concentum quemdam & quaſi harmoniam ſymphonicam edat tuarum laudum,& gloria illa ac exſultatione geſtiat.
c. Heb.choreas ducunt,vel tripudiant omnes fontes mei.

## Psalm. LXXXVIII.

*Pſaltes formam dat fideli cuique Deum accedendi in privatis malis: itaque exponens mala & mortem ſuam præſentiſſimam, expoſtulat cum Deo: propter gloriam ejus in vita ſervari petit: & propter malorum gravitatem urget ſibi liberationem dari.*

1 [1] CAnticum & pſalmus in poſteris Korachi, magiſtro ſymphoniæ, [2] ad pneumaticum inſtrumentum canendus: didaſcalicus Hemanis Ezrachitæ.
2 [3] O Jehova, Deus ſalutis meæ; interdiu
clamo,& noctu coram te.
3 Veniat in conſpectum tuum oratio mea,
inclina aurem tuam ad clamorem meum.
4 [4] Nam ſaturata eſt malis anima mea, &

1 Hic pſalmus etſi dicitur didaſcalicus,hoc eſt, in perpetuum Eccleſiæ documentum traditus, ut ſup. pſal. 42.1. propriè tamen eſt σχετλιαστικός, quo pſaltes cum Deo expoſtulat de graviſſimis ſuis calamitatibus: tria enim ſummatim continet. primum eſt exordium, quo audientiam facit v.2.& 3.ſecundum, propoſitio pathetica calamitatum ipſius, inde uſque ad v.11. tertium,expoſtulatio cum Deo,ad finem uſque. Videntur autem hic pſalmus & ſequens conſcripti eſſe à duobus fratribus, quorum fit mentio 1. Reg.4.30. & 1. Chr.2.6.ut Eccleſia formulas haberet expoſtulationum,quibus uteretur cùm in privata aliqua & ſingulari difficultate,hoc pſalmo;tum in publicis afflictionibus & everſione reipublicæ,pſalmo ſequente:nam hi viri ſapientes inſtructi ſpiritu Dei præviderunt, & præviſi mali documenta literis conſignārunt ad præmonendam & armandam Eccleſiam. 2 vide in pſ.5.1. 3 exordium, ut dictum eſt in verſ.1. 4 propoſitio calamitatum, de quibus conqueritur pſaltes per prolepſin hoc verſ.quarum una eſt,quod jam in morte verſatur, prout amplificat tribus verſibus ſequentibus; altera, quòd obruitur malis graviſſimis ex quibus mortem præſentem videat. verſ.8. & duobus ſequentibus. Nam hæ duæ partes prolepticè hoc verſ. poſitæ per ὕστερον πρότερον Hebræis familiarem inverſo ordine exponuntur.

vita

vita mea ad ſepulcrum pertingit.
5 Reputor cum deſcendentibus in *a* ſepul-
crum, ſum ſimilis viro *b* quem deficit virtus.
6 *Reputor* inter mortuos, *c* [5] ſemotus; ut
confoſſi jacentes *in* ſepulcro, quorum nõ re-
cordaris ampliùs, qui manu tua exciſi ſunt.
7 Ponis me in *d* ſepulcro omnium infimo;
in tenebroſiſſimis in profundis locis.
8 [6] Super me incumbit excandeſcentia tua;
adeò omnibus irrumpentibus tuis fluctibus
affligis vehementiſſimè.
9 Procul amoves notos meos à me, propo-
nis me in ſummam abominationem eis; ita
incluſum ut non poſſim evadere.
10 Oculus meus mœret præ afflictione;
invoco te Jehova totum diem, pando ad te
manus meas.
11 [7] An mortuis efficies opus mirabile? [8] aut
expertes vitæ celebraturi te exſurgent poten-
tiſſimè?
12 An enarraretur in ſepulcro benignitas
tua? fides tua in perditione?
13 An cognoſceretur in tenebris mirabile
*opus* tuum, & juſtitia tua in terra oblivionis?
14 [9] Atqui ego ad te, Jehova, vociferor, &
unoquoq; manè oratio mea prævenit te.
15 [10] Quare, ô Jehova; abjicis *f* me? abſcon-
dis faciem tuam à me?
16 [11] Pauper ſum & moribundus à concuſ-
ſione, perferẽs terrores tuos *g* animi pendeo.
17 Super me tranſeuntibus æſtibus tuis,
conturbationes tuæ reſcindunt me.
18 Circumdantes me ſicut aquæ toto die;
cingentes me pariter.
19 Procul amoves à me amicum & ſocium,
[12] notis meis *ſum* tenebroſo loco.

a *Heb. ciſternam, ut ſup. 28.1.* b *Heb. nulla virtute.* c *Heb. immunis, i. nihil commune habent cum cæteris.* 5 nimirum ab omni hominum conſortio & cõmunicatione, ac nihil commune cum aliis habẽs; ut qui laborant ex elephantiaſi primùm extra caſtra ex lege. Lev. 14. deinde extra urbes in inſulas & ſemotas domos relegabantur, ut 2. Reg. 15.5. & 2. Chr. 26.21 quod genus hominũ hac ratione civiliter mortuum dici poteſt. d *Hebr. in ciſterna infimorum locorum.* 6 alterum membrũ ὑστερίσεως, de afflictionibus minitantibus præſentem mortem: quarũ loci ſunt tres, à perſona Dei, hoc verſ. amicorum, ſequẽte; & ipſius ſupplecis, ℣ 10. e *Heb. abominationes.* 7 tertia pars pſalmi, expoſtulatio cum Deo ad liberationem conſequendam, duobus argumentis: prius eſt ab eventu, ſore ſi moriatur ut gloriam Dei minimè prædicet, cui omnino conſultum vult Deus. tribus verſibus; poſterius, à fide ſua præſente, & prædicatione gloriæ Dei etiam in graviſſimis tentationibus, ad finẽ uſque. 8 vide ſup. pſ. 6.6. 9 ſecundus locus expoſtulationis, ut dictum eſt in ℣. 11. 10 contentio brevis expoſtulationi inſerta hoc verſ. f *Heb. animam meam: ſynecdoch.* 11 regreſſio ad expoſtulationem; qua oſtendit pſaltes omnino tempus eſſe ut ſui miſereatur Deus; per repetitionem earumdem calamitatum quas narraverat ſup. ℣. 8 9 & 10. g *Heb. rotor, circumagor.* 12 i. ſum incognitus; adeò jam illis ſepultus eſſe videor in profundis malorum tenebris; ut ſupra vocaverat. verſ. 7.

## Psalmus LXXXIX.

*Pſaltes benignitatem fidemq; Dei cùm in rebus omnibus creatis, tũ in Eccleſia teſtificatam celebrat: dignitatem Eccleſiæ; quæ eſt regnum Dei, & promiſſiones regno toti ac regi factas commemorat, deinde contraria eventa & adverſitates quas Eccleſia perferebat proponens, expoſtulat cum Deo, liberationem & inſtaurationem petit, ac tum demum benedicit Deo.*

1 [1] Didaſcalica *ode*, Ethanis Ezrachitæ.
2 [2] Benignitates Jehovæ *in* ſeculum
canam; in *a* quamq; generationem notam fa-
ciam [3] fidem tuam ore meo.
3 Nam *b* ſtatuo fore ut in ſeculum benigni-
tas [4] ædificetur; in cælis ipſis ſtabilias fidem
tuam, *qua dixiſti*,
4 ‖ Pepigi fedus cum electo meo, [5] juravi
Davidi ſervo meo:
5 [6] Uſque in ſeculum me ſtabiliturum ſe-
men tuum, & ædificaturum in quamque ge-
nerationem ſolium tuum ſummè.
6 [7] Quapropter celebrant [8] cæli mirabile
*opus* tuum, Jehova; etiam fidem tuam [9] in con-
gregatione ſanctorum.
7 Quis enim [10] in ſuperiore nube par æſti-
metur Jehovæ? aſſimiletur Jehovæ inter [11] fi-
lios fortium?
8 Deus fortis *eſt* formidabilis in conſilio
ſanctorum plurimùm, & reverendus ſupra o-
mnia quæ circumſtant eum.
9 O Jehova, Deus exercituũ, quis *eſt* par
tibi robuſtus Jah? [12] nam fides tua circumve-
ſtit te.
10 Tu dominaris in ſuperbiam maris; quũ
attollunt ſe fluctus ejus, tu reprimis eos:
11 Tu contriviſti tamquam confoſſum *c*
Ægyptium; brachio roboris tui diſperſiſti ini-
micos tuos.
12 Tui *ſunt* cæli, etiam tua *eſt* terra; orbem
habitabilem & ea quæ ipſum implent, tu fun-
daſti.
13 Aquilo & *d* Auſter quos tu creaſti, [13] Tha-
bor & Chermon de nomine tuo cantant.
14 Tibi brachium *eſt* cum potentia; robu-
ſta *eſt* manus tua, elata dextera tua.
15 Juſtitia & judicium habitaculo ſolii tui;
benignitas & fides præeunt faciei tuæ.
16 [14] Beatus *eſt* populus, [15] qui agnoſcunt
clangorem, [16] *qui* in luce faciei tuæ pergunt
Jehova;
17 In nomine tuo exſultant toto die, & in
juſtitia tua attollunt ſe:
18 Nam decus roboris eorum es, & pro be-
nevolentia tua attollitur [17] cornu noſtrum.
19 Jehova enim *eſt* [18] ſcutum noſtrum, &
[19] ſancti Jiſraelis Regis noſtri.
20 [20] Tunc alloquutus per viſionem eum
quem benignitate [21] proſequeris, dixiſti, diſ-
poſui [22] auxilium contra robuſtum, extuli ele-
ctum è populo.
21 [23] ‖ Inveni Davidem ſervum meum, o-
leo *e* ſancto meo unxi eum,
22 Quicum manus mea ſit ſtabilis, etiam
brachium meum fortificet eum.
23 Non aget exactorem inimicus contra
eum, & *f* deditus iniquitati non affliget eum:
24 Sed contundam à facie ejus hoſtes ejus,
& oſores ejus plaga afficiam.
25 Adeò fides mea & benignitas mea af-
futura eſt ei, ut in nomine meo extollatur
cornu ejus.
26 Nam [24] imponam [25] mari manum ejus,
& [26] fluminibus dexteram ejus.
27 [27] Ipſe inclamabit me, tu pater mi; mi
*Deus* fortis, & rupes ſalutis meæ:
28 Etiam ego [28] primogenitum conſtituam
eum, excelſum ſupra reges terræ.
29 In ſeculum ſervabo ei benignitatem
meam, & fedus meum fidum erit ei.
30 Diſponamque in æternum [29] ſemen e-
jus, & ſolium ejus [30] ut *ſunt* dies cælorum.

1 de occaſione hujus odes vide ſuprà in pſalm. 88. Eſt autem hæc ode documentum inſigne Eccleſiæ tum ad celebrandam benignitatem Dei, tum ad implorandam illius miſericordiam in rebus adverſus. Quamobrem tres ſummæ partes ſtatuendæ ſunt hujus odes: prima eſt laudatio Dei ab operibus & federe ejus, uſq; ad verſ. 39. ſecunda eſt expoſtulatio petitione conjuncta uſque ad verſ. 53. poſtrema, concluſio epiphonematica à laudibus Dei verſ. ult.
2 propoſitio ſumma primæ partis de celebrando Deo, quatuor verſ. continetur: ea eſt, benignitatem Dei cùm in rebus omnibus creatis perſpici, verſ. 3. tum maximè in regno Davidis, id eſt in Chriſto & Eccleſia. verſ. 4. & 5. hæc ita proleptice poſita, ſigillatim deinde confirmantur uſque ad expoſtulationis locum: primùm quidem benignitas & fides Dei in rebus creatis, à verſ. 6. uſque ad 16. deinde verò benignitas & fides Dei in rebus creatis à ℣. 39. a *Heb. in generationem & generationem: ſic inf. ver. 5.* 3 i. veritatem & conſtantiam in omnibus rebus tuis. b *Heb. dico.* 4 i. ſemel in rerum creatione & ſtructura demonſtrata promoveatur & pergat, quandiſper durabunt ſecula.
‖ *2. Shem. 7.8. & ſeq.* 5 ad confirmationem federis, ut inf. ℣. 50 & Pſal. 132. 11. 6 duæ promiſſionis partes, hæredum & hereditatis regiæ: ut factæ fuerant Abrahamo, Gen. 15.

7 exornatio prioris partis, nimirum laudis quam Deus ſibi à rebus omnibus creatis comparavit. 8 & cælites. quos per ſynecdochen intelligendos eſſe docent tres ſequẽtes verſ. 9 i. teſtificantur Eccleſiæ, & documento ſunt. 10 i. in cælis: ſic inf. verſ. 38. 11 i. potentiſſimos terræ; ut ſup. 29. v. 1. & Jechezk. 17.13. & 32.21. 12 i. undequaque exornaris veritate & conſtantia operum tuorum. c *Heb. Rahabum; ut ſupra 87.4. Exod. 14. & 15.* d *Heb. dextera plaga: ut Exod. 26.18.* 13 ad occidentẽ ſpectãs, & Chermon ad orientem, Deut. 4.8. Jehoſch. 19.22. 14 altera exornatio ſecundæ partis in propoſitione poſitæ, ut dictum eſt in v. ſecundum: qua propheta docet primum generatim quæ ſit benignitas Dei erga Eccleſiam ſuam, uſque ad verſ. 20. deinde verò nominatim erga regẽ quàm benignè datæ ſint promiſſiones in Chriſto, inde à verſ. 20. 15 i. qui ſigna à te velut imperatore proficiſcentia, & verbum tuum audiunt: ut Num. 23.25. 16 i. te præeuntem opere ſequuntur, & prælucentem verbo. 17 ut 1. Sche. 2.1. & inf. 25. 18 i. defenſio & protectio noſtra à malis. 19 i. Chriſti, ſanctificantis Eccleſiam ſuam, atque in ea regnantis virtute Spiritus. 20 explicatio ſingularis benignitatis Dei erga regem, ut obſervatum eſt in ℣. 16 qua exponit pſaltes primùm quæ futura ſit gloria regnum temporarii, tum ſpiritualis, uſque ad verſ. 26 deinde quæ veritas & conſtantia regni in Chriſto verſ. 27. & tribus ſeq. poſtremò quæ ratio erga temporarium regnum propter Chriſtum ſit ſervanda à Deo, inde à verſ. 31.
21 Schemuelem prophetam, 1. Sche. 16. 22 i. regem, qui vindicet populum à potentibus inimicis; ut poſtulaverant Jiſraelitæ, 1. Schem 8 ſub finem.
23 i. proſpexi, 1. Schem. 16.2. ‖ *2. Schem. 7.* e *Heb. ſanctitatis meæ.*
f *Heb. filium iniquitatis.* 24 ut promiſerat Deus Exod. 23.31. & completum legitur 2. Schem 8. & 10. 25 rubro & mediterraneo. 26 Euphrati, Jardeni, paludi Sitbonidi, &c. 27 Secundum membrum de veritate regni in Chriſto, à mutuis & reſpõdentibus inter ſe officiis Chriſti erga Deum patrem; hoc verſ. & patris erga Chriſtum, trib. ſeq. nam hæc univerſè & plenè ad Chriſtum pertinẽt; tenuiter verò tamquam ſuis typis regibus aliis accõmodari poſſunt. 28 id eſt, caput & principem ſummum Eccleſiæ meæ, adeoque omnis creaturæ: ut ſequentia verba exponunt. 29 ſpiritale, id eſt, filios Dei genitos per ſanctificationem ſpiritus, Heb. 2.10. & ſequentibus. 30 i. in æternum: periphraſis.

31 [31] || Si dereliquerint filii ejus legē meam,
in judiciis meis non ambulaverint:
32 Si ſtatuta mea prophanaverint,& præce-
pta mea non obſervaverint;
33 Viſitabo quidem virga defectionem eo-
rum & plagis iniquitatem eorum:
34 Sed benignitatem meam non irritam
faciam ab eo , neque mentiar contra fidem
meam.
35 Non prophanabo fedus meum,& pro-
nunciatum labiorum meorum non mutabo.
36 Semel juravi per ſanctitatem meam,
Davidi non mentiar:
37 [32] Semen ejus in ſeculum fore,& [33] ſo-
lium ejus ut ſolem coram me:
38 Ut luna ſtabile fore in ſeculum:& [34] ut
*g* teſtes in ſuperiore nube fideles ſummè.
39 [35] At tu abjeciſti,& ſpreviſti;excandui-
ſti contra [36] unctum tuum;
40 Deteſtatus es fedus ſervi tui, prophana-
ſti *dejiciens* in terram coronamentum ejus.
41 Dirupiſti omnes macerias ejus:expoſu-
iſti munitiones ejus contritioni.
42 Diripuerunt eum omnes *h* viatores,eſt
probro vicinis ſuis.
43 [37] Extuliſti dexteram hoſtium ejus, læ-
tificaſti omnes inimicos ejus.

31 tertium membrum,de ratione quam ſervaturus eſt Deus in filios infirmos ſuos, ut dictum eſt in ℣.20. || 2.*Schem*.7.14. 32 i. Eccleſiam genitam incorrupto ſemine verbi, ut ver.30. 33 i.regnum,ſynecdochicè. 34 i.æquè duraturum eſſe atq; aſpectabilia omnia in cælo documenta,de quibus inf. pſal. 97.6. g *Heb. teſtis, fidelis:enallage*. 35 altera pars pſalmi,ex poſtulationem continens,uſque ad verſ.47. & petitionem patheticam,uſque ad 53. 36 i.regem è domo Davidis: nã hic pſalmus in monimentum datus eſt Eccleſiæ prophetico ſpiritu, ut ſuo tempore caneretur Deo: cujuſmodi fuit tempus deportationis Babylonicæ. h *Heb. tranſeuntes via: ut ſup*.80.13. 37 i. ſuperiores effeciſti inimicos.

44 Etiam retudiſti acumen gladii ejus,ne-
que ſtabiliviſti eum in bello.
45 Feciſti ut ceſſet nitor ejus,& ſolium ejus
in terram detruſiſti.
46 Curaſti [38] dies adoleſcentiæ ejus , ope-
ruiſti eum pudore ſummè.
47 [39] Quouſque Jehova? abſcondes te in
æternum? ardebit tanquam ignis excande-
ſcentia tua?
48 [40] Recordare mei, *i* quàm temporarius
ſim:quorſum in vanum creaſſes omnes filius
hominis?
49 Quis vir ita vivat ut non *k* experiatur
mortem?eripiat ſe ipſum à ſepulcro excellen-
tiſſimè?
50 Ubi *ſunt* benignitates illæ priſtinæ,Do-
mine,quas juraveras Davidi per fidem tuam?
51 Recordare,Domine , opprobrii ſervo-
rum tuorum:me [41] geſtare in ſinu meo *oppro-
brium* omnium maximorum populorum,
52 Quo affecerūt inimici tui,Jehova: quo
affecerunt [42] veſtigia Chriſti tui.
53 [43] Benedictus *ſit* Jehova in ſeculum; a-
men,iterumque amen.

38 quibus florere & quaſi adoleſcens augeri debuerat ex promiſſione tua. 39 tranſitio ab expoſtulatione ad petitionem, per figurã quam Rhetores ἀγῶνα ſive contentionem vocant, hoc verſ. 40 petitio miſericordiæ & inſtaurationis: primùm à perſona ſupplicum, qui ita vanitatẽ ſuam agnoſcunt ut ſe tamẽ profiteantur eſſe creaturas Dei, duobus verſibus deinde à perſona Dei teſtificãtis benignitatẽ ſuam opere, ſedere, atque juramento, verſ.50. poſtremo à perſona inimicorum, duobus ſequent. i *Heb. cujus temporis*.

k *Heb. videat: ſic pſal*.34.13. 41 i.patienter diſſimulare atque abſcondere. 42 i. ſigna omnia atque documenta Chriſti habitantis & inambulantis in nobis; ſive præterita ad prophetiam, ſacerdotium, regnum, & cultum Dei pertinentia;,ſive præſentia quibus Chriſtus nos conſolatur verbo; ſive futura de promiſſionibus adventus ejus. 43 concluſio epiphonematica à laudibus Dei,quas utrobique ſecundis & adverſis rebus prædicare debet Eccleſia.

# QVARTVS LIBER PSALMORVM.

## PSALMVS XC.

*Moſche gratiam Dei ex ſempiterno decreto ejus in ſanctos celebrans , exponit tum inſtabilitatem vitæ humanæ, tum miſeriam Jiſraelitarum, quos Deus morti adjudicaverat : ideoque precatur Deum, ut populum ſuum renovans ducat ipſum in omni ſanctimonia,& gloriam ſuam demonſtret in ductu & ſanctificatione populi ſui.*

1 [1] ORatio Moſchis [2] viri Dei: [3] O Domi-
ne, tu [4] habitaculum fuiſti nobis , *a*
in quaque generatione.
2 Quùm nondum montes editi eſſent,aut
formaſſes terram orbemque habitabilem;de-
nique inde à ſeculo & uſque in ſeculum tu
*Deus* fortis *es*.
3 [5] Redigis mortalem eò uſque ut ſit con-
tritus; dicens, [6] revertimini filii hominum.
4 [7] Nam mille annos ſi prætereat , *ſunt* iſti
oculis tuis ut dies heſternus , vigiliaque *b* no-
cturna.
5 [8] Inundatione abripis eos,ſomnus ſunt:
ipſo manè *ſunt* ut fœnum tranſiens;
6 Ipſo manè quo effloruit tranſiens , ipſo
veſpere excíſus atque exareſcens:
7 [9] Quando conſumitur ira tua, & tuo æ-
ſtu conturbamur:
8 [10] Proponis iniquitates noſtras tibi, [11] oc-
culta noſtra lumini faciei tuæ.
9 [12] Nam omnes dies noſtri divertunt [13]
excandeſcentia tua; [14] conſumimus annos no-
ſtros, [15] ſimiles ſermoni *ſunt*.
10 [16] In diebus ipſis annorum noſtrorum
*ſunt* ſeptuageni anni;aut (ut *ſimus c* valentiſſi-
mi) octogeni anni; etiam excellentiſſimum
eorum [17] *d* laborioſum *eſt* & moleſtum: [18]
quo feſtinè exciſo,avolamus.
11 [19] Quis agnoſcit robur iræ tuæ, aut
excandeſcentiæ tuæ [20] ſecundùm timorem
tuum?
12 [21] Numerare dies noſtros [22] ita doce *nos*;
ut [23] inducamus *e* animum ſapientem.
13 Revertere Jehova,quouſq; ? & [24] pœni-
teat te propter ſervos tuos.
14 Satia nos unoquoque manè benignita-
te tua,ut cantemus & lætemur omnibus die-
bus noſtris.
15 Lætifica nos , ut dies *multos* [25] affli-
xiſti nos ; annis *multis f* experti ſumus ma-
lum.

1 Hujus orationis partes sũt tres: prima eſt exordium benevolentiam captans à perſona Dei duobus verſibus: ſecunda, narratio adminiſtrationis illius, & conditionis noſtræ à verſu 3. ad 12. tertia, precatio, inde ad finem uſque. Videtur autem Moſche populo Dei orationem hanc conſcripſiſſe, quum reverſis exploratoribus, Num.13.14. populus obmurmuraſſet Deo,& Deus ſententiam mortis dixiſſet majoribus viginti annis: ut hoc ſaltem haberent edetentque documentum reſipiſcentiæ ſuæ, & ſaluti ſuæ abiectæ proſpicerent. 2 ut Deuter.33.1. 3 Exordium à perſona Dei: cujus primùm mirificam adminiſtrationem & gratiam erga ſuos adducit inde ab orbe condito, hoc verſu: deinde æternum decretum ſive conſilium ex bene placito voluntatis ipſius ad laudem gratiæ ipſius glorioſiſſimæ, verſ.2. 4 i.qui facis ut ſecurè habitemus freti protectione tua, Deut.33 27. a *Heb. in generatione & generatione*. 5 ſecunda pars orationis, narratio: in qua exponit Moſche primùm communem omnium hominum mortalitatem, uſque ad verſ.7. deinde præſentem Jiſraelitarum calamitatem, qui provocata indignatione Dei addicti fuerant morti, Num.14 à verſ.7. ad 11. poſtremò confeſſionem ignorantiæ & ſtuporis populi, quodammodo veluti ſtertentis etiam tum quum vexaretur indignatione Dei verſ.11. Eſt autem hîc periphraſis, pro eo quod eſt, ſolo verbo tuo facis ut moriatur homo. 6 corpore in terrã, animo ad Deum qui dedit illum, Geneſ.3.19. & Eccleſiaſt.12.7. 7 amplificatio propoſitionis de mortalitate noſtra, ab hypotheſi; cujuſmodi eſt Eccleſiaſt. 6.6. Eſt autem in hoc verſu ἐμπλοκὴ verborum ſive, (ut Grammatici vocant) ſynchyſis, quam nos ad evidentiam mutavimus. b *Heb. in nocte*. 8 Explicatio fragilitatis humanæ à ſimilibus; quæ tum potentem Dei manum, tum vanitatem noſtram explicant familiariſſimè.

9 tranſitio ad alteram partem narrationis, qua expoſtulat propheta cum Deo de ſingulari illo judicio. Num. 14. quaſi dicat, non ita nobiſcũ agitur ut cum cæteris hominibus; ſed multò graviùs agitur ira tua, hoc verſu;& de peccatis noſtris, verſu ſequente. 10 i.jacularis in nos tela indignationis tuæ, propter peccata quibus & intùs & extra diffluimus. 11 peccata vel nobis ipſis incognita, ut Pſ.19. 13. 12 ἐργασία expoſtulationis à decreto Dei,& exſequutione illius, quæ jam cũ cœperat ob oculos Jiſraelitarum verſari ſublatis auctoribus murmurationis, Numer.14.36. 13 de qua verſ.7. 14 peccatis noſtris, de quibus verſ.8. 15 id eſt, dicto celeriùs effluunt manentque irrevocabiles. 16 id eſt, ordinariè non ultra vivitur. c *Heb. in fortitudinibus*. 17 omnibus quidem propter inſtabilitatem vitæ & conditionis ipſorum ; Judæis verò hoc tempore propter pœnas, errores, vagationes & probroſam mortem , in quas divinitùs damnati fuerant, Numer 14.28. & ſequent. d *Heb. labor & moleſtia*. 18 excellentiſſimo videlicet dierum, quod modo nominavit. 19 tertia pars narrationis, confeſſio, quaſi iter ad precationem ſequentem, quaſi dicat, utcumque tamen judicia tua exerceas, nemo expergiſcitur & ſe ad reſipiſcentiam comparat. 20 id eſt, quem tu doces nos,& injicis minis, ſignis, atque operibus: nam his modis Deum injeciſſe timorem ſui docetur Num. 4.& ſeq. 21 tertia pars pſalmi, petitio: cujus partes ſunt duæ; una, ut Deus miſertus populi animum ipſius informet in notitia infirmitatis ſuæ, duobus verſibus; altera, ut bonis proſequatur, lætitiam eis afferat, & hoc pacto glorificet nomen ſuum, ad finem uſque. 22 id eſt, ſecundum timorem tuum, de quo verſu præcedente. 23 ne deſipiamus, ut antè fecimus. e *Heb. cor ſapientiæ*. 24 ut Geneſ.6.6. 25 in Ægypto, ut docetur Exodi à 1.cap. ad 12. f *Heb. vidimus*.

16 [26] Per-

16 [26] Perſpicuum ſit erga ſervos tuos opus
tuum, & decor tuus in filiis eorum.
17 [27] Denique adſit amœnitas Jehovæ Dei
noſtri nobis: & opus manuum noſtrarum in-
ſtitue in nobis: ipſum, inquam, opus manuum
noſtrarum inſtitue.

26 ſummus petitionis finis, gloria Dei. 17 ſumma toti[us] petitionis, continens ſuperiores fines, ut Deus gloriam ſuam procuret in ſuis, & ſuos viciſſim ad gloriam ipſius promovendam comparet.

## Psalm. XCI.

*Pſaltes fiduciam ſuam ſtatuens piis in exēplum, hortatur ut certa fide recumbant in Deo: defenſionem prænunciat ab omni malo: ac Dei verbis omnia bona præſentia & futura pollicetur.*

1 [1] COnfidens in latibulo excelſi, in umbra
Omnipotētis indeſinēter pernoctans,
2 [2] Dico, in Jehova *eſt* receptus meus, &
propugnaculum meum; Deus meus *eſt*, cui
confido.
3 [3] Quandoquidem ipſe erepturus eſt te [4] à
laqueo aucupantis, à peſte *a* ærumnoſiſſima;
4 [5] Ala ſua protecturus te, quum ſub alas i-
pſius te receperis: clypeus & [6] parma *eſt* [7] fi-
des ipſius;
5 [8] Ne timeto [9] â pavore nocturno, à ſagitta
volitante interdiu:
6 A peſte in caligine pervadente, à lue va-
ſtante in meridie.
7 Cadentibus ab *altero* latere tuo mille, &
decies mille à dextera tua; ad te non accedet:
8 [10] Tantùm oculis tuis intueberis, & re-
tributionem improborum videbis.
9 Quum tu Jehovam, *Deum* receptus mei;
Excelſum ſtatueris [11] habitaculum tuum;
10 Non dabitur occaſio ut attingat te ma-
lum, & plaga non appropinquabit ad tento-
rium tuum.
11 [12] Nam angelis ſuis præcipiet de te, ut
conſervent te [13] in omnibus viis tuis:
12 Ambabus palmis ſuſtineant te, ne of-
fendas ad lapidem pedem tuum.
13 Super ferocem leonem & aſpidem [14] in-
cedes, [15] conculcabis juvenem leonem & dra-
conem.
14 [16] Quia in me *(inquit Deus)* amore pro-
pendet, ideò liberabo eum; [17] in edito collo-
cabo eum, quia agnoſcit nomen meum.
15 Simulac invocaverit me, exaudiam eum;
ipſi adero in anguſtia: eripiam eum, & hono-
re afficiam eum:
16 Longitudine dierum ſatiabo eum, deni-
que efficiam ut *b* fruatur ſalute mea.

1 Hic pſalmus (quem Judæi Moſchis eſſe exiſtimant) eſt didaſcalicus, continens partes duas: unam qua pſaltes exemplo ſuo oſtendit fidē eſſe habendam in Deo & omne bonum ab ipſo exſpectandum, uſque ad ℣. 14. alteram, qua Deus loquens ſuperiorem prædicationem beneficiorum cōfirmat in eos qui ipſum colunt, inde ad finem uſque. Sunt autem hoc pſalmo voces emphaticotatæ, ad fidem piorum & beneficia Dei exaggeranda: ut quod in ipſo limine dicit pſaltes pium confidēre & pernoctare apud Deū. quaſi dicat, diē noctemque in Deo cōquieſcere fide, neque de ullo humano caſu laborare; ut pulli ſub alis matrum ſecurè latere ſolent. 2 i. prædico & confirmo ab exemplo meo. 3 accommodatio exempli ſui ad fideles: qua oſtendit pſaltes tantùm ipſis videndum eſſe ut confidant Deo, ac proinde fore ut non tantùm liberentur à malo, verùm etiam ſpernant & triūphent de malo. 4 i. ab omni periculo quod tibi creabitur. a Heb. ærumnarum. 5 i. defendet te ab omni malo, ut explicatur uſque ad verſ. 14. 6 vel ſeptum, aut munimentum ambiens & circumtegens ab hoſtium injuria: nam ſic accipi non minus commodè hanc vocem poſſe oſtendit etymologia. 7 i. conſtantia veritaſque promiſſionum, quæ ſummatim comprehenduntur tribus poſtremis verſ. 8 ſed confide ei, prout pſaltes in ſeipſo confidentiæ exemplum ſtatuit, ſup. v. 2. 9 i. ab ullis apertis, occultis, internis, externis, corporeis aut ſpiritalibus malis, ullo umquam tempore: ſic verſ. ſeq. 10 non autem ſenties ea incommoda, quibus alios ante oculos tuos & ad latera tua videbis opprimi. 11 ut ſup. 90. 1. 12 i. non tantùm ipſe operabitur ad ſalutem tuam; ſed etiam, quum opus erit, cælites adminiſtros ſuos adhibebit ad conſervandum te. 13 ambulantis, confidentis, pernoctantis, & conquieſcentis in Deo pro vocatione tua: hæc diſſimulabat diabolus, quum ſollicitaret Chriſtum, Matth. 4. 6. 14 nimirum ſine damno & offenſa; ut Jeſchahja ſimile prædicat de regno Chriſti cap. 11. 6. & ſequentibus, & Hoſch. 2. 18. 15 i. ſuperata omnia mala contemnes, & triumphabis de illis: ſimiles promiſſiones vide Marc. 16. 18. 16 altera pars pſalmi, promiſſiones Dei continens in nomine ipſius, quarum fidem commendaverat pſaltes ſup. v. 4. 17 i. ſupra omne periculum eveham. b Heb. videat.

## Psalmus XCII.

*Eccleſia ſeipſam cōparans ad laudandum Deum opera ejus admiratur, repentinos improborum caſus, & ſuam ſalutem honoremque a Deo acceptum narrat: ac poſtremò æternam fidelium Dei ſervorum felicitatem prædicit.*

1 [1] PSalmus & cāticum, [2] in diem ſabbathi.
2 [3] Bonum *eſt* celebrare Jehovam; &
pſallere nomini tuo, ô excelſe;
3 Annunciare unoquoque manè benigni
tatem tuam, & fidē tuam quibuſq; noctibus;
4 Ad decachordum & ad nablium; *a* ad
citharam cum meditatione.
5 [4] Quia lætitia afficis me, Jehova, opere
tuo; de factis manuum tuarum cantabo.
6 [5] Quàm magna ſunt facta tua, Jehova!
valdè profundæ ſunt cogitationes tuæ.
7 [6] Vir brutus non agnoſcit, & ſtultus non
animadvertit iſtud;
8 [7] Quum germinant improbi velut her-
ba, florentq́, omnes qui operam dant iniqui-
tati; *fieri* ut perdantur uſque in æternum:
9 Te autē ô excelſe, in ſeculum *eſſe* Jehovā.
10 [8] Nam ecce inimici tui, Jehova, nam ec-
ce inimici tui pereunt; [9] *b* diſſiliunt omnes qui
operam dant iniquitati.
11 [10] Attollis verò tamquam monocerotis
cornu meum, [11] perfundendo me oleo virēte;
12 *Illa* intuente oculo meo in [12] obſervato-
ribus meis; de inſurgentibus contra me ma-
leficis, audientibus auribus meis.
13 [13] Juſtus ut palma germinabit; ut cedrus
in Libano creſcet.
14 Plantati in domo Jehovæ, in atriis Dei
noſtri germina profundent.
15 [14] Adhuc abundabunt in canitie, pin-
gues & virentes erunt,
19 Ad annunciandū rectum eſſe Jehovam.
rupem meam; neq; *eſſe* ullam iniquitatē in eo.

1 Pſalmus eſt ἐπαινετικὸς, continens primum propoſitionem laudationis Dei, uſque ad verſ. 5. deinde narrationem operū ejus quibus ſibi laudem comparat Deus, inde ad ℣. 13. poſtremò prophetiam de felicitate bonorum, ad finem uſque. 2 i. concinendus in eccleſia die ſabbathi, quo habebatur convocatio ſancta. 3 propoſitio, laudandum eſſe Jehovam de benignitate ipſius erga bonos, & fide tum in promiſſis, tum in minis præſtādis; & propterea omnibus modis efferendum. a Heb. ad meditationem cum cithara. hypallage. 4 altera pars pſalmi, narratio ætiologica, i. explicans cauſas quarum nomine celebrandus eſt Deus. Eſt autem hoc ver. totius narrationis argumētum ſummatim poſitum: quod primùm exornatur duobus verſ. deinde ſigillatim exponitur, quinque ſequentibus.

5 prior exornationis ſive amplificationis locus per exclamationem; opera & conſilia Dei eſſe altiſſima & profundiſſima, atque adeò infinita. 6 poſterior amplificationis locus, adminiſtrationem Dei adeò mirificam eſſe, ut eam non comprehendat mundus. 7 narrationis partes duæ: una, de inſtabilitate improborum, qui utcumque floreant, juſto Dei judicio & ſua ipſorum improbitate deturbantur, hoc verſ. altera, Deum natura, conſiliis, operibuſque ſemper ſibi conſtare, tam ad perdendum improbos, quàm ad ſervandum bonos, ut ſequentes ver. demonſtrant. 8 confirmatio ſuperioris dicti à præſente & quotidiana experientia. 9 i. diſtringuntur, & veluti comminuti in fragmenta abeunt. b Heb. diſparantſe. 10 i. auges me maximis, conſtantibus, & intractis viribus, ut Num. 23. 16. 11 i. me viribus & gratia inſtructum inſuper ornando, ut pſal. 23. 5. 12 inimicis, atque maleficis, ut pſal. 5. 9. 13 concluſio à doctrina prophetica de proſperitate piorum, argumento ſumto à conſtantia Dei, verſ. 9 & experientia adminiſtrationis ejus, quæ modò expoſita eſt. Eſt autem elegans allegoria, qua pii cum arboribus præſtantiſſimis Eccleſia ſive templum Dei cum Libano & plantario amœniſſimo feraciſſimoque comparatur, ut apud Jeſchahjam paſſim. 14 i. quantùvis veteres non veteraſcent; ſed fructus à Deo acceptos in æternum proferent, vegetati & virentes per ſpiritum illius: qui fructus ſeq ℣. exponitur, nimirùm prædicatio gloriæ Dei conſtantiſſima, propter veritatem, potentiam, & bonitatem juſtitiamque ejus.

## Psalmus XCIII.

*Pſaltes amplitudinem Chriſti & potentiam celebrat, ab univerſali rerum creatarum, & ſingulari æternaque Eccleſiæ adminiſtratione.*

1 [1] JEhova regnat, celſitate indutus; indutus
Jehova, robore ſe accingit: etiam ſtabili-
tur orbis habitabilis, ne dimoveatur.
2 Stabile *eſt* [3] ſolium tuum [4] *a* ab illo tem-
pore, inde à ſeculo tu *regnas*.
3 [5] Utut attollant flumina, ô Jehova, attol-
lant flumina ſonum ſuum; attollant flumina
fragorem ſuum:
4 Sonis aquarum multarum, magnificis
fluctibus irrumpentibus maris; magnificen-
tior *eſt* in alto Jehova.
5 [6] Teſtimonia tua firma *ſunt* valdè, domui

1 Ode eſt ἐπινίκιον, continens laudes regni Chriſti, (qui idem eſt Jehova, Rex inſtitutus à patre) à celſitate & robore ejus, quæ hoc ℣. univerſè dicta, confirmantur tribus documentis: primum eſt, à creatione, & conſervatione mundi, altera parte hujus verſus; ſecundū, ab adminiſtratione potentiſſima & magnificentiſſima, tribus ſeq. tertium, à ſingulari ipſius ratione erga Eccleſiam, ℣. ult. Eſt autem tota hæc explicatio de regno Chriſti allegorica, ſumtis ab ordine humano loquutionibus. 2 id eſt, ab ipſo conditus & conſtitutus conſervatur. 3 i. regnum & adminiſtratio ejus: metonymia. 4 quo orbis habitabilis conſtabilitus eſt, præcedente verſu. a Heb. a tunc. 5 exornatio magnificæ adminiſtrationis Chriſti per comparationem aquarum quaſi dicat, nulla flumina, nulla maria, ac ne diluvium quidē ipſum furentium ſupernè & infernè aquarū tā ſunt magnifica, quā magnificus es in adminiſtratione tua. 8 id eſt, ſingularis illa ratio, qua tuā præſentiam & benevolentiam Eccleſiæ teſtatam facis, ſive ſalutari verbo, quod ſceptrum Chriſti appellatur; ſive opere ſanctificationis æternæ, quam Deus cum Eccleſia communicat in Chriſto.

tuæ decora ſanctitas, ô Jehova in longitudi-
nem dierum *eſt*.

## Psalm. XCIV.

*David à perfido Schaulis comitatu vexatus, Deū orat ut manum adhibeat ad ulciſcendos improbos: improbitatem, maleficia, & blaſphemias narrat; improbos objurgat dementiæ nomine: & bonos ab eventu, promiſſionibus Dei, & ſuo ipſius exemplo conſolatur.*

1 [1] O Fortis [2] *Deus* ultionum, Jehova, ô
*Deus* fortis vltionum, [3] illuceſce:
2 Attollere, ô judex terræ; *a* redde retri-
butionem ſuperbis.
3 [5] Quouſq; improbi, ô Jehova; quouſque
improbi exſultabunt?
4 Eructantes loquētur *b* ſuperbè, ſeſe pre-
dicabunt omnes qui operam dant iniquitati?
5 Populum tuum, Jehova, conterent, &
poſſeſſionem tuam affligent?
6 Viduam & peregrinum interficient, ac
pupillos occident,
7 Dicentes, non reſpicit Jah; neque ani-
madvertit Deus Jahakobi?
8 [6] Animadvertite, ô [7] brutiſſimi in popu-
lo: & ſtultiſſimi, quando intelligentes eritis?
9 [8] An plantator auris, an non audiat? aut
formator oculi annon intueatur?
10 An caſtigator gentium an non repre-
hendat? qui docet homines ſcientiam, *an non
agnoſceret*?
11 [9] Jehova cognoſcit cogitationes homi-
num, *c* eſſe vanitatem ipſam.
12 [10] Beatus ille vir quem [11] caſtigas Jah, &
quem ex lege tua doces.
13 [12] Ad præſtandum quietem ei à diebus
*d* adverſitatis, [13] dum foditur improbo fovea.
14 [14] Non enim deſerit Jehova populum
ſuum, & poſſeſſionem ſuam non derelinquit;
15 [15] Sed uſq; ad juſtitiam reverſurum eſt
judicium, & poſt illud [16] omnes recti corde.
16 [17] Quis ſurrecturus fuiſſet pro me con-
tra maleficos? quis ſe ipſum ſtitiſſet pro me
contra eos qui operam dant iniquitati?
17 Niſi Jehova pleno auxilio fuiſſet mihi,
parum abeſt quin [18] habitaſſet *in* loco ſilentii
*e* vita mea.

1 Ode eſt generis mixti, εὐκτικὴ καὶ διδασκαλική. Itaq; ſummæ illius partes ſunt duæ: una, precatio, ut De⁹ ulciſcens improbos ſuis conſulat uſque ad ℣. 8. altera verò, doctrina prophetica æquè ad improbos atque ad bonos pertinens, inde ad finem uſque. Precationis autem partes ſunt duæ: vna eſt petitio, duob⁹ verſibus; altera, querimonia enarrans petitionis cauſas, ſequentibus quinque. Petitionis ſumma eſt, ut Deus ſe glorificet conſervando ſuos, & improbos vlciſcendo, cujus argumenta ducuntur à natura, potentiſſima & iuſtiſſima, officio, operibuſque ipſius. 2 i. qui uniuſcujuſque ultionis auctor atque effector es, Deut. 32.35. 3 ut Deut. 33.2. 4 ut Gen. 18.25. pſ. 82.8. & inf. verſ. 10. a *Heb. fac ut revertatur retributio ſuper ſuperbos.* 5 ſecundum precationis membrum querimonia de inſolentia improborum thraſonica inter ſe, duobus verſibus: de maleficiis contra innocentes, verſ. 5. & 6. & de blaſphemis ſermonibus in Deum, verſ. 7. b *Heb. durum: ut* 1 *Sche.* 2.3.

6 altera pars pſalmi, partim ἐπιτιμητικὸν i. reprehenſionem ſeveriſſimam continens improborum, uſque ad verſ. 12. partim verò παρακλητικόν, i. ſpectans ad conſolationem & confirmationem piorum, ad finem uſque. Continet autem hæc reprehenſio objurgationem, hoc verſ. & redargutionem, ſequentibus. 7 ſic compellat impios graviſſimis nominibus, propter miſeram & dementem illorum conditionem, judiciumque perverſiſſimum; quod redarguitur verſibus ſequentibus, ut ſup. 92.7. 8 redargutio ἐξ ἀτόπου, i. ex abſurdo, q. d. adeò abſurdum eſt Deo (qui viſum auditumque dedit hominibus) viſum & auditum adimere, ut qui hoc ſentiant, penitus mente captos & brutiſſimos eſſe oporteat: ſimili argumento utitur Deus Exod. 4.11. 9 ſubjectio, qua propheta utitur ad ſuperiorem argumentationem contra impios. Eſt autem ea accipienda ſynecdochicè, ut omnibus membris præcedentib. reſpondeat. q. d. audit, videt, corrigit, cognoſcit; & tamen vanitatem iſtam audiens, videns & cognoſcens diſſimulat, donec tempus juſtitiæ conſtituerit, de quo verſ. ſeq.
c *Heb. quod ipſa ſunt vanitas: trajectio, ut Gen.* 1.4.
10 tranſitio ad conſolationem bonorum per epiphonema, hoc ℣. & ſequente. Continet autem hic conſolationis locus primùm deſcriptionem eventus qui bonos & malos conſequuturus eſt, his duobus verſibus, ſecundò confirmationem, tum à fide promiſſionum & veritate Dei, verſ. 14 & 15. tum ab exemplo ſuo, inde ad finem uſque 11 i. affligis flagellas etiam impiorum operâ, quam expoſuit ſup. ℣. 5. & 6. 12 id eſt, tandem aliquando à calamitatibus liberandum; quia temporariæ ſunt ac non perpetuæ afflictiones ejus, ut explicatur pſal. 37.
d *Heb. mali.* 13 i. comparatur & ſtruitur ultio quam Deus inflicturus eſt iis qui affligunt bonos, poſtquam perfecta eſt & abſoluta illorum iniquitas: vide 2. Theſſ. 1 5. & ſeq. 14 primus confirmationis locus, à fide & veritate federis promiſſionumque Dei. 15 i. judicium Dei (quod in hoc ſeculo magis exercet bonos quàm improbos, & cujus principia tantùm in hac vita ducuntur) tādem ad plenam & conſtantiſſimam juſtitiam perducetur, ut ſuum cuiq; jus tribuatur: affligentibus afflictio, afflictis verò regnum Dei, pro quo patiuntur.
16 nimirum revertentur, i. inſtaurabuntur poſt judicium Dei conſtitutum; ſive hic liberati à malis, quod propheta reſpicit; ſive in futuro ſeculo omnibus bonis cumulati in Chriſto. 17 alter confirmationis locus ab exemplo ſuo: quo oſtendit pſaltes actum fuiſſe de ſe, niſi ſuccurriſſet Deus, ita deſperatus erat & abjectus ab omnibus. 18 i. mortuus fuiſſem & ſepultus: periphraſis, vocatur autem ſepulcrum locus ſilentij à propheta, quia ſepultis ademta eſt omnis facultas celebrandi Deum in cœtu fratrum ſuorum, vel Eccleſia Dei, hic & pſal. 115.17. vide ſup. 6.9. e *Heb. anima mea.*

18 Quum dico, dimovetur pes meus; beni-
gnitas tua, ô Jehova, ſuſtentat me.
19 Quum multæ ſunt cogitationes meæ a-
pud me, [19] conſolationes tuæ oblectant ani-
mam meam.
20 [20] An conſociaretur tibi ſolium [21] ærum-
narū, [22] formantis moleſtiā [23] præter ſtatutum,
21 Turmatim convenientium cōtra animā
juſti, & ſanguinem innoxium cōdemnantium?
22 [24] Imò *eſt* Jehova mihi pro edito loco,
& Deus meus pro rupe receptus mei:
23 Qui convertit contra eos iniquitatem
ipſorum, & [25] malitia ipſorum exſcindit ipſos;
exſcindit ipſos Jehova, Deus noſter.

19 i. quas ego per ſpiritū tuum percipio ex natura & verbo tuo: prout has conſolationes ſequentes verſus oſtendūnt. 20 i. an juſtus judex totius terræ non faceret judicium; ſed injuſtitiam ferret? ut Gen. 18.25. ſic conſolabatur ſe propheta à natura Dei. 21 i. tyrānicum, ærumnas aliis afferens immeritò, ut ſequētia docent.

22 i. fingentis comminiſcentis atque perpetrantis: metaphora. 23 i. contra jura & leges. 24 contraria affirmatio ex adverſo reſpondens contentioni ſuperiori, qua ſtatuit pſaltes ſibi eſſe conſtantem conſolationem in Deo protegente ſuos, hoc verſ. & adverſarios profligante, verſ. ult. 25 i. retorquet in ipſos malum ipſorum, ut ſup. dixerat, verſ. 2. item Pſal. 7.9. & alibi paſſim.

## Psalmus XCV.

*David Eccleſiam ad cultum & obſequium Dei hortatur à federe inito cum Deo, & majorum exemplis.*

1 [1] AGite, cantemus Jehovæ; clangamus ru-
pi ſalutis noſtræ.
2 Eamus ante faciem ejus cum gratiarum
actione, cum pſalmis clangamus ei.
3 Nam Deus *fortis* magnus eſt Jehova; &
rex magnus [2] ſupra omnes Deos.
4 [3] In cujus manu *ſunt* ima veſtigia terræ,
penes quem *ſunt* vires montium.
5 Cujus eſt ipſum mare, ut qui fecit illud;
& arida, *quam* manus ejus formarunt.
6 Venite, incurvemus nos & procūbamus;
flectamus genua coram Jehova qui fecit nos
7 ‖ [4] Cùm ipſe *ſit* Deus noſter, nos verò
populus paſtus ejus, & grex *a* ductus ejus; [5]
hodie ſi vocem ejus audieritis,
8 Ne obduretis *b* animum veſtrum, ut [6] *in*
contentione; ut [7] die tentationis in deſerto:
9 Ubi tentaverunt me majores veſtri; pro-
baverunt me, etiā *c* experti ſunt opus meum.
10 ‖ Quadraginta annis [8] faſtidio habui ge-
neratione *illā*; dicens, populus ſunt errabūdi
animo, & ſunt ignorantes viarum mearum.
11 Quibus juravi in ira mea, eos non in-
greſſuros [9] in requiem meam.

1 Ode eſt προτρεπτικὸν ad Judæorum gentem, cōtinens exhortationem ad laudem Dei promovendam, primùm cultu, uſq; ad ℣. 7. deinde verò obſequio, inde ad finem uſque. Cultum exponit pſaltes verſ. 1. & 2. & 6. cauſam verò interſerit à natura, officio, operibuſque Dei & Chriſti advenientis in hunc mundū, tribus mediis ℣. Hūc autem pſalmum à Davide conſcriptū eſſe cōfirmat Apoſt. Heb. 4.7. 2 i. ſupra omne quod dicitur Deus, ut ſup. pſ. 86.8. 3 i. quia omnia, quamvis abdita tiſſima & valentiſſima, regit arbitratu ſuo. ‖ *Heb.* 3. & 4. 4 altera pars pſalmi, qua ſpiritus Dei hortatur populum ad obſequium, primùm à fœdere officioque mutuo, hoc verſu: deinde à majorum exemplo, ſequentibus.
a *Heb. manus: metonymia.* 5 quum advenit Chriſtus ad conſummandum myſterium redemtionis noſtræ. b *Heb. cor. ut mſ. v.* 10 6 i. ut ſemper majores veſtri obfirmato animo contenderunt adverſus Deum, tentârunt, & probarunt illum in deſerto: quemadmodum ſequentia verba exegeticè docent, & legitur Num. 14.22. 7 i. toto tempore, quo verſantes in deſerto nihil niſi tentarunt Deum: ſic probroſè totum profectionis tempus tentationem nominat.
c *Heb. viderunt.* ‖ *Num.* 16. 8 i. ut faſtidioſos exagitavi variis erroribus, ſuppliciiſque & morte affeci, Num 14.35. 9 ubi Jehoſchuah eorum poſteros collocavit poſt annos quadraginta: cujus ſpecie David reliquam eſſe aliam requiem populo Dei figuravit. Heb. 4.8. & 9.

## Psalmus XCVI.

*Pſaltes Eccleſiam gentium cum Judæis hortatur ad laudationem Dei; tum creationis & adminiſtrationis potentiſſimæ nomine, tum regni ſempiterni, in cujus poſſeſſionem miſſus eſt adventu ſuo filius per voluntatem patris.*

1 ‖ [1] CAnite Jehovæ canticum novum, ca-
nite Jehovæ tota terra.
2 Canite Jehovæ, benedicite nomini ejus;
prædicate de die in diem ſalutem ejus.
3 Narrate in gentibus honorem ejus, in
omnibus populis mirabilia ejus opera:
4 Magnum Jehovam & laudatum valdè,

‖ 1. *Chron.* 16.23. 1 Canticum eſt Davidis προτρεπτικὸν, continens primum exhortationem ad laudes Dei, verſibus quatuor: deinde argumenta laudis tum à præſentibus beneficiis, à verſ. 5. ad 10. tum à futuris, quæ propheticè de regno Chriſti prædixit David. Hoc autem canticum cecinerunt Jiſraelitæ paucis vocibus immutatis, quum arca inferretur Jeruſchalaima, 1. Chron. 16. quod pſaltes univerſè ad omnes gentes accommodat, poſtquam ad regnum Chriſti vocatæ ſunt. 2. ut ſuprà 33.3.

reveren-

reverendum eſſe ſupra omnes Deos.

5 Nam omnes dii populorum *ſunt* idola, Jehova verò cælos fecit.

6 Gloria & decor coram eo, robur & ornatus in ſanctuario ejus *ſunt*.

7 Cedite Jehovæ familiæ populorum, cedite Jehovæ honorem & [3] laudem.

8 Cedite Jehovæ honorem nominis ejus; afferte munus,& venite ad atria ejus.

9 Incurvate vos Jehovæ *honorem exhibentes* in decore ſanctitatis, formidate à conſpectu ejus tota terra.

10 Dicite in gentibus,Jehova regnat,etiam ſtabilietur orbis habitabilis, ne dimoveatur: judicaturus eſt populos *a* rectiſſimè.

11 Lætabuntur cæli & exſultabit terra;perſtrepet mare, & *b* quæ ipſum implent.

12 Exſultabit ager & quicquid *eſt* in eo, tunc cantabunt omnes arbores ſilvæ:

13 Ante [4] faciem Jehovæ quum venerit, nam venit [5] ad judicandum terram: judicaturus eſt orbem habitabilem per juſtitiam, & populos per fidem ſuam.

3 vide in Pſal. 8.3.

a Heb.in rectitudinibus.
b Heb.plenitudo ejus.

4 Chriſti veniētis in mundum.
5 i.adminiſtrandum, & judicis partes defungendum in ea.

## Psalmus XCVII.

*David prophetans regnum Chriſti, magnificentiam illius explicat, everſionem idololatriæ,lætitiamq; fidelium obſequentium Deo: quos idcircò ad obſequium & laudem Dei provocat.*

1 Jehova [1] regnat,exſultet terra,lætentur regiones [2] plurimæ.

2 [3] Nubes & caligo circumſtant eum, [4] juſtitia & judicium locum ſolii ejus.

3 Ignis ante eum procedit, & inflammat circumquaque hoſtes ejus.

4 [5] Perluſtrant fulgura ejus orbem habitabilem,videns formidat terra.

5 Montes ut cera liqueſiunt à præſentia Jehovæ,à præſentia domini totius terræ.

6 [6] Indicant cæli juſtitiam ejus, adeò ut videant omnes populi honorem ejus.

7 [7] Pudore ſuffundantur omnes colentes ſculptile,qui ſe jactant de [8] idolis; [9] incurvanto ſe *honorem exhibentes* ei omnes angeli;

8 [10] Audiens lætatur [11] Tzijon ; exſultantq; filiæ Jehudæ, propter judicia tua, ô Jehova.

9 Tu enim es Jehova, excelſus ſupra omnem terram, valdè [12] elatus es [13] ſupra omnes angelos.

10 [14] Amantes Jehovæ, odio habere malum : [15] ſervans animas ſuorū quos benignitate proſequitur, è manu improborū eripit eos.

11 [16] Lux [17] ſata eſt juſto, & rectis *a* animo lætitia.

12 Lætamini juſti in Jehova, & celebrate memoriam ſanctitatis ejus:

1 Pſalmus eſt propheticus de regno Chriſti in quo primùm amplitudo & magnificentia regni deſcribitur, uſque ad ℣. 7. deinde uſus illius exponitur tum contra regnum ſatanæ, tum erga Eccleſiam Dei, uſque ad verſum 10. & poſtremò concluditur exhortatione fidelium ad obſequium & laudem, reliquis verſibus. Eſt enim hic Jehova Chriſtus, ad cujus exſpectationem Eccleſia vetus his pſalmis excitata eſt: ut primus verſus ſummatim docet.
2 i.omnes, quibus imperaturus eſt Chriſtus; ſynecdoche.
3 deſcriptio regni Chriſti, cujus meminerat pſaltes in principio verſus primi. Eſt autem deſcriptio tota figurata qua oſtendit pſaltes nihil eſſe in terra aut in cælo quod non obſequatur & teſtimonium exhibeat regnanti Chriſto, idque longè glorioſius quàm olim factum ſit,quum lex traderetur,Exodi.19.& Deut.4 5.Ait enim,*nubes & caligo*,id eſt,inacceſſus eſt & incomprehenſibilis præ gloria. 4 i.juſtiſſimus eſt in ſuos.& in adverſarios,verſu ſequente. 5 id eſt,potentiſſimus eſt, adeò ut nihil,quamvis firmum, coram eo poſſit conſiſtere, duobus, verſibus. 6 id eſt, glorioſiſſimus eſt, cujus gloriæ & juſtitiæ ſpecula evidentiſſima relucent in cælis,& omnium populorum oculis ſunt expoſita,ut fiant inexcuſabiles; ut Pſalm. 19.1. 7 altera pars pſalmi, de uſu magnificentiſſimi illius regni quod modò prædicavit pſaltes ; primum quidem in idololatras, & idola ipſa, adverſus quæ glorioſa apoſtrophe propheta utitur,hoc verſu;deinde in Angelos & Eccleſiam Dei,ſequentibus. 8 vide Levit.19.4.
9 ſecundus uſus regni Chriſti in ſpiritibus & hominibus ſanctis:ſpiritibus quidē cæleſtibus & Angelis, hoc verſu:hominibus verò ſequentibus. 10 alter locus de uſu regni Chriſti in Eccleſia : eſt autem duplex : primus, pax & gaudium in ſpiritu per auditionem verbi ; ſecundus, agnitio judiciorum & juſtiſſimæ adminiſtrationis ejus.
11 id eſt,Eccleſia à te recreatur verbo & opere:ſic Pſalm.48 12.
12 judiciis tuis,de quibus verſ.8. 13 ut Epheſ.1.20. & ſequente.
14 concluſio hortatoria ad ſectandum bonum, fugiendum malum, & Deum auctorem boni celebrandum. 15 ætiologia ſuperioris documenti à promiſſionibus vitæ præſentis & futuræ,duobus verſ. 16 vide Eſther.8.15.
17 i.repoſita,& latens velut ſemen mandatum terræ ; ſed ſuo tempore proditura. a Heb.corde.

## Psalmus XCVIII.

*Pſaltes Judæos,gentes & res omnes creatas hortatur, ut gratulentur Chriſto de inimicis triumphanti.*

1 [1] Pſalmus. Cantate Jehovæ [2] canticum novum,quia opera mirabilia fecit : [3] ſalutem attulit ei dextera ipſius, & brachium ſanctitatis ipſius.

2 [4] Notam fecit Jehova ſalutem ſuam, ante oculos ipſorum gentium revelavit juſtitiam ſuam.

3 [5] Recordatus eſt benignitatis ſuæ,& fidei erga domum Jiſraelis : vident omnes fines terræ ſalutem Dei noſtri.

4 [6] Clangite Jehovæ tota terra ; *a* fragore edito cantate & pſallite.

5 Pſallite Jehovæ cithara, cithara & *b* pſalmodia.

6 Tubis & ſono buccinæ clangite coram rege Jehova.

7 Perſtrepat mare, & quæ *c* implent ipſum; orbis habitabilis & habitantes in eo.

8 Flumina complodant manus, pariter montes cantent;

9 Coram Jehova, quia advenit [7] ad judicandum terram; judicaturus eſt orbem habitabilem *d* juſtè, & populos *e* rectiſſimè.

1 Pſalmus eſt propheticus de Chriſto rege, qui de victa carne, mundo, peccato, morte, & ſatana triumphavit. Eſt autē ἐπαφετικός, conſtans primùm narratione magnificentiæ ejus, verſ.2.3. deinde hortatione, ut res omnes creatæ applaudant triumphanti Chriſto,à ver.4. ad finem ; quæ duo ſummatim proponuntur verſ.1.
2 ut ſup.33.3.
3 id eſt, vicit inimicos ſuos virtute ſua : humanitus dictum, vide Jeſchah.59.16.& 63.5.
4 i.ſalutem ſuam omnibus gentibus gratioſè promulgavit.
5 id eſt, demonſtravit ſe recordari promiſſionis factæ Abrahamo Geneſ.22.18.ut Gen 8.1. 6 altera pars pſalmi,hortatio ad laudem,ſcatens hyperbolis& allegoriis ad amplitudinem gaudii adumbrandam. a Heb.fragorem edite & cantate. b Heb.voce pſalmi.
c Heb.plenitudo ipſius:ut ſupra 69.35. 7 ut ſupra 96.13.
d Heb.in juſtitia. e Heb.in rectitudinibus,ut ſup.96 10.

## Psalmus XCIX.

*Pſaltes potentiam Chriſti regis noſtri, juſtitiam & gratiam in omnes prædicat:ab exemplo majorum conſtantem fore docet:omneſque hortatur ad colendum & prædicandum regem.*

1 Jehova [1] regnat, [2] commoveantur populi: [3] inſidens Cerubinis *regnat*, [4] nutet terra.

2 *Regnat* Jehova Tzijone magnus, etiam altus *eſt* ſupra omnes populos.

3 [6] Celebrent nomen tuum magnum & reverendum ſanctum eſſe.

4 [7] *Tu* quoque *a* [8] robuſtiſſime rex, judicium amans:tu,*inquam*, conſtituis *b* quod eſt rectiſſimum : judicium & juſtitiam [9] in Jahakobo tu perficis.

5 Exaltate Jehovam Deum noſtrum, & incurvate vos *honorem exhibentes* ad [10] ſcabellum pedum ejus;quia ſanctus eſt.

6 [11] ‖ Moſchem & Aharonem cum ſacerdotibus ipſius, ‖ Schemuelemque cum invocantibus nomen ipſius ; inclamantes Jehovam,ipſe illicò exaudivit eos:

7 In columna nubis alloquutus eſt eos: obſervantes teſtimonia ipſius, & ſtatutum *quod* dederat eis.

1 Ode eſt,ἐπαφετική.continens hortationem ad laudes Dei, Amœbæis tribus clauſulis repetitam, à tribus argumentis:primū eſt, ab amplitudine & potentia infinita regni, tribus primis verſibus ; ſecundum, à beneficentia, juſtitia, & gratia in populum Dei collata per Chriſtū duobus verſibus; tertium, ab exēplo majorum, inde ad finem uſque.
2 id eſt, ſerio timore perculſi comparentur ad Chriſtum regem ſuum agnoſcendum.
3 i.Ille ipſe Deus qui Jiſraelitis præſentem ſe aſpectabilem fecit ; & reſponſa dedit, Exod.25.22. ſic prolepticè hoc verſ.comprehendit pſaltes duo ſequentia documenta. 4 i. contremiſcat à præſentia ejus: q.d.res omnes creatæ, animatæ atque inanimæ,perculſæ præſentia ejus,exhibeant ei ſummam reverentiam.
5 i.nunc demum Chriſtus demonſtrat ſe tam Gentium quam Judæorum regem eſſe. 6 putà omnes populi,quos nominavit proximè. 7 ſecundus locus à beneficentia, ut dictum eſt in verſ.primum. a Heb.robur regis: hypallage.
8 id eſt, qui es robur ipſiſſimum, & de tuo regibus ſerviſque tuis ſuppeditas robur. b Hebr.rectitudines. 9 id eſt,in Eccleſia tua,quæ olim definiebatur Jahakobi ſive Jiſraelis nomine. 10 id eſt, ad ſolum uſque vel pavimentum templi, cui dicuntur eſſe tamquam impoſiti pedes Jehovæ inſidentis Cerubinis; ut 1.Chron. 28.2. 11 tertius locus ab exemplo ; quo oſtendit pſaltes merito ab Eccleſia Catholica Chriſtum regem prædicandum eſſe per comparationem minoris, hoc modo:ſi intercedente Moſche & Sacerdotio Levitico Deus populum Jiſraelis proſequutus eſt ſummis beneficiis,exaudiens eos, alloquens, cōdonans,& parcens in graviſſimis offenſionibus:quantò magis prædicandum eſt regnum Chriſti filii & hæredis in domo Dei,qui Sacerdotio æterno nos cōciliavit patri? Hoc autem genus argumentationis in Epiſtola ad Hebræos copioſè exponitur. ‖ Exod.29.35.Numer.17.11.
‖ Schem.12.20.

[11] emphatica apoſtrophe ad Deum, qua propheta oſtẽdit eũ populi miſertũ eſſe pro veritate federis ſui, mera ſua gratia, ac proinde porrò in Chriſto miſertũ eum eſſe ex Evãgelio.

8 [11] Jehova Deus noſter, tu exaudiviſti eos:
*Deus* fortis condonans fuiſti eis, etiam quum
ultionem ſumeres de actionibus eorum.
9 Exaltate Jehovam Deum noſtrum, & in-
curvate vos *honorem exhibentes* ad montem
ſanctitatis ejus: quia ſanctus *eſt* Jehova Deus
noſter.

## PSALMUS C.

*Pſaltes Eccleſiam ad laudes Dei hortatur propter gratuitam electionem, vocationem, & beneficentiam conſtantem ipſius.*

1 PSalmus [1] pro gratiarum actione: Clangi-
te Jehovæ [2] omnes *incolæ* terræ.
2 Colite Jehovam cum lætitia, venite in
conſpectum ejus cum cantu.
3 Agnoſcite Jehovam [3] eſſe Deum, ipſum
effeciſſe nos ([4] non autem nos *ipſos*) populum
ſuum & gregem paſtus ſui.
4 Ingredimini portas ejus cum gratiarum
actione, atria ejus cum laude: gratias agite ei,
benedicite nomini ejus.
5 Nam bonus *eſt* Jehova, in ſeculum *eſt* be-
nignitas ejus; & uſque ad *a* generationem
quamque [5] fides ejus.

[1] Pſalmus hic euchariſticus hortatur Eccleſiam ad colendum & prædicundum Deum, duobus argumẽtis: unũ eſt gratuita electio & vocatio noſtra in cõmunionẽ federis cũ Deo, uſque ad verſ. 3. alterum eſt perpetuus & conſtans beneficiorum fructus, ex quo vocationis divinæ facti ſumus participes, verſ. 4. & 5. [2] tam Gentes, quam Judæi: ut interpretatur Apoſtolus ad Rom. 15. [3] id eſt, auctorem federis & dominum noſtrum.

[4] id eſt, nos nulla juſtitia noſtra, aut recto animo dignitatem hanc nobis comparaſſe; ſed ex gratuita ipſius benevolentia factum eſſe ut ſimus ipſi filii. vide Deut. 7. 7. & 9. 4. & ſequentibus. [a] *Hebr. generationem & generationem.*

[5] id eſt, conſtantia ad bonitatem & benignitatem communicandam cum Eccleſia ſua.

## PSALMUS CI.

*David rex factus Deo ſpondet ſe procuraturum ſanctificationem ſuam, conſilii, comitatus ſui, totius regni, & Eccleſiæ.*

1 DAvidis [1] Pſalmus. [2] Benignitatem & jus
canam: tibi, ô Jehova, pſallam.
2 [3] Animadvertam [4] via integra, quando
[5] venturus ſis ad me: indeſinenter ambula-
bo in integritate *a* animi mei, *b* [6] intra domum
meam.
3 Non proponam mihi ab oculos rem ne-
fariam: *c* factum [7] declinantium odi, non ad-
hærebit mihi.
4 [8] Animus perverſus recedet à me; malum
non agnoſcam.
5 [9] Lingua lædentem *apud* me clàm pro-
ximum ſuum ipſum exſcindam: elatum ocu-
lis, & *d* tumentem animo, ipſum non potero
*ferre.*
6 [10] Oculi mei *attendent* ad veraces terræ, ut
conſideant mecum: ambulans via integra, is
miniſtrabit mihi.
7 Non habitabit intra domum meam fa-
ciens dolum; loquens mendacia non ſtabilie-
tur coram oculis meis.
8 [11] Singulis matutinis exſcindam omnes
improbos terræ, ad reſcindendum à civitate
Jehovæ omnes qui operam dant iniquitati.

[1] Pſalmus eſt didaſcalicus, quo David in regno conſtitutus Deo ſolenniter vovet ſe officio ſuo fideliter functurum: conſtat itaque duabus partibus; exordio, quo profitetur David ſe hoc ſolẽni cantico obſtrictum iri ad præſtandum officium ſuum, verſ. 1. deinde narratione, ſive expoſitione ſingularis officii quod promittit Deo, ad finem uſque. Videtur autem hic Pſalmus à Davide nõ ante ſuſceptum regnum cõſcriptus eſſe, ſed poſtquam rex cõfirmatus eſt: quo tempore ea conſtituit quæ ad cultum Dei & civilem adminiſtrationem pertinebant. vide ſupra in Pſalm 18. & 36. [2] id eſt, duo hæc me procuraturum ſpondeo Domino, tum ut benignitas à me popularibus meis proſit, tum ut jus adverſus improbos exerceatur: quæ duæ ſunt verorum principum laudes. vide 2. Schem. 9. 1. [3] narratio, ſive expoſitio officii quod David vovebat Domino; conſtans ex tribus partibus: prima eſt de inſtituto & vita ipſius regis à verſ. 2. ad 5. ſecunda, de inſtituto regalis conſilii, comitatus, & miniſterii, à verſ. 5. ad 8. tertia de caſtigatione improborum, & purgatione totius regni per ſeveram obſervationem diſciplinæ civilis & Eccleſiaſticæ, ver. 8. [4] id eſt, quam integerrimè potero.

[5] id eſt, me recepturus ad te ex hac vita, aut alioqui rationem exacturus adminiſtrationis meæ, quaſi dicat, ſemper attendam ad finem meum, ut cautè & religiosè ambulem. [a] *Heb cordis: ſic verſ 4. & 5.* [b] *Heb. in medio domus. ſic infra verſ. 7.* [6] id eſt, etiam clàm intra privatos parietes.

[c] *Hebr. facere: infinitivus pro nomine.* [7] à via recta cujus meminit ſuperiore verſ. [8] id eſt, dabo operam ut deponam veterem hominem cum concupiſcentiis ejus & quod ſemel depoſuero amplius non invadat me. [9] id eſt, maledicos atque maleficos depellam à me: ſecunda pars.

[10] id eſt, bonos conſiliarios atque adminiſtros ſollicite adhibebo. [d] *Heb. latum corde.* [11] tertia pars: id eſt, indeſinenter regnum, regiam, Eccleſiamque purgabo à malo.

## PSALMUS CII.

*Eccleſia in captivitate diu verſata Deum ſupplicat: ſuas calamitates proponit; ſe ipſam confirmat recordatione naturæ & promiſſionum Dei, quarum complementum prædicat fore in adventu Chriſti, & communi vocatione gentium: itaque Deum orat ut ſuæ naturæ, promiſſionis, & gloriæ recordatus Eccleſiam conſervet, eiq; benedicat in æternum.*

1 [1] ORatio [2] pro paupere; [3] quum obruitur,
& ante Jehovam effundit meditatio-
nem ſuam.
2 [4] Jehova, audi orationem meam; & voci-
feratio mea ad te perveniat.
3 Ne abſcondas faciem tuam à me, quo die
*eſt* anguſtia mihi: inclina ad me aurem tuam,
quo die inclamo; *a* feſtinanter exaudi me.
4 [5] Nam conſumuntur ut fumus dies mei,
& oſſa mea ut focus exardeſcunt:
5 Percuſſum tamquam herba exareſcit
cor meum, quia [6] obliviſcor comedere cibum
meum.
6 [7] Præ voce gemitus mei, adhæreſcit os
meum carni meæ.
7 [8] Similis ſum plateæ deſerti; ſum tam-
quam bubo vaſtitatum.
8 *b* Aſſiduè ſum ſimilis paſſeri ſolitario in
tecto.
9 Toto die probro afficiunt me inimici
mei; inſanientes contra me, [9] per me jurant.
10 Nam [10] cinerem tamquam panem com-
edo, & potiones meas cum fletu miſceo,
11 Propter indignationem tuam, & ferven-
tem iram tuam: [11] quia ſuſtuliſti me, & abjeciſti
me.
12 Dies mei ſimiles *ſunt* [12] umbræ inclina-
tæ: & ego ſicut herba exarui.
13 [13] Tu autem Jehova in ſeculum perma-
nes, & recordatio tui *c* in quamque generatio-
nem.
14 [14] Tu *d* ſurgens miſereberis Tzijonis:
quia tempus eſt faciendi gratiam ei, quia ad-
venit ſtatum tempus,
15 [15] Quo delectentur ſervi tui [16] lapidibus
ejus, & pulveri ejus [17] gratiam faciant,
16 [18] Ut revereantur gentes nomen Jeho-
væ, & omnes reges terræ honorem tuum;
17 Quum ædificans [19] Jehova Tzijonem,
apparuerit in honore ſuo,
18 Reſpexerit ad orationem [20] nudatiſſimi,
& [21] non ſpreverit orationem eorum.

[1] Hujus orationis, quam Danielem aut aliũ prophetã ſcripſiſſe ſub finem deportationis Babylonicæ veriſimile eſt, quum populus ad reverſionem ex ea ſeſe accingeret, (ut innuit verſus 24.) partes ſunt quatuor prima eſt exordium audientiam faciens, verſ. 2. & 3. ſecunda expoſtulatio ſive narratio mali quo obruebatur Jiſrael, uſque ad verſum 13. tertia, propoſitio argumentorum quibus confirmatur animus ad ſollicitandum & exſpectandum Deũ, inde uſque ad verſum 25. poſtrema, concluſio petitoria. ad finem uſque. [2] nimirum populo Jiſraelis ſolitario, nudo, vincto, & verſante in morte præſentiſſima apud Babylonios. [3] ut Pſalm. 61. 3. [4] exordium, ut modo dictum eſt. [a] *Heb feſtina exaudi.* [5] expoſtulatio, ſive narratio malorum quæ perpetiebatur populus: ſunt autẽ illiuſtres loci; primus à vanitate & imbecillitate ipſius, tribus verſibus; ſecundus, ab improbitate aliorũ miſeros perfidè deſtituẽtium, tribus alteris; tertius, ab ira & plagis inflictis à Deo à verſu 10. ad 13. [6] id eſt, tam graviter premor anguſtiis; ut non recordetur animus, ſed faſtidiat cibum.

[7] id eſt, diuturnitate malorum clamorumque emacior atque exhaurior: ſic Ijobi 19. 20. [8] id eſt, ab omnibus relictus ſum, duobus verſibus, & omnibus exoſus, verſ. 9. [b] *Heb. aſſiduus ſum ut ſim ſicut paſſer.* [9] id eſt, faciunt denomine meo juramenti & exſecrationis formulam: ſic Num. 5. 27. & Jeſchah. 65. 15.

[10] id eſt, in terram dejectus ſum miſer: hyperbole noëmatica.

[11] id eſt, graviſſimè & valentiſſimè abjeciſti me: ut quum non molli remiſſoque brachio, ſed elato aliquid vibratur aut detorquetur affligiturque in terram: metaphora. [12] i. propè eſt ut occidam, quemadmodum occidente ſole maximæ ſunt umbræ & inclinatiſſimæ. [13] tertia pars pſalmi; propoſitio argumentorum quibus fideles confirmantur & adducuntur ad invocandum Deum. Sunt autem argumenta duo; unum, à natura Dei conſtante; alterum, à gloria ejus: quæ duo prolepticè hoc verſu poſita in ſequentibus ex ordine explicantur.

[c] *Hebr. in generationem & generationem.* [14] explicatio prioris argementi à conſtante tum natura Dei qua eſt miſericors, tum promiſſionibus quas ante fecerat populo de reſtitutione poſt annos ſeptuaginta, Jirmejæ 25. & 29. 10. poſtremo à fine, innoteſcat Deus; verſ. 16. & ſequentibus.

[d] *Heb. ſurgens miſereberis.* [15] id eſt, quò populus tuus exſpectatione ſua fruatur, & terram (quæ nunc deſolata jacet) antiquo honori cultuique reſtituat.

[16] id eſt, ſtructura redintegrata: ſynecdoche.

[17] id eſt, deſertam terram, & quaſi lugentem recreent: proſopœia.

[18] finis petitionis, gloriæ Dei illuſtratio; qua tenuiter quidem effecta eſt in reſtitutione populi, ſed perfectè adventu Chriſti, vocatione gentium, & inſtauratione Eccleſiæ catholicæ abſoluta: quò ſequentia omnia pertinent.

[19] Chriſtus, ut infra verſ. 23.

[20] id eſt, deſerti ab omnibus, abjecti, & egentis populi. hanc vocem propter antecedentia & ſequentia, ipſumque vocis etymon ſic viſum eſt accipere.

[21] id eſt, acceperit, litotes.

13 [22] Con-

19 [22] Conſcribatur hoc [23] in generationem
poſteram, ut [24] populus recreatus laudet Jah:
20 Quòd proſpectaverit ex alto *loco* ſancti-
tatis ſuæ, Jehova è cælis in terram intuitus ſit,
21 Ad exaudiendum ſuſpirium vincti, ad
ſolvendum *e* eos qui jam traduntur morti;
22 Ut enarrent [25] Tzijone nomen Jeho-
væ, & laudem ejus Jeruſchalaimis:
23 [26] Congregantibus ſe populis ſimul, &
regis ad colendum [27] Jehovam.
24 [28] Affligit *quidem* in [29] hac via vires
meas, curtat dies meos:
25 [30] *Sed* dico, mi Deus fortis, [31] ne auferas
me *f* [32] mediis diebus meis: *g* [33] per generatio-
nem æternam *ſunt* anni tui:
26 [34] Antè *quam* terram fundaſſes, & opus
manuum tuarum *eſſent* cæli.
27 Iſta peritura ſunt, tu autem permanes;
iſta, inquam, omnia ut veſtimentum vetera-
ſcent, ut indumentum mutabis ea atque mu-
tabuntur:
28 Tu verò idē *es*, & anni tui non finiūtur.
29 [35] Filii ſervorum tuorum habitabunt, &
ſemen eorum ſtabilietur coram te.

[22] explicatio poſterioris argumēti à gloria Dei, quæ tenuibus illis principiis fuit in Eccleſiam Chriſti diffundēda: prout reſtitutio populi ex deportatione Babylonica figura fuit & documētum reſtitutionis per Chriſtum. [23] id eſt, ad utilitatem & documentum Eccleſiæ Chriſti, cujus dies ultimi ſive poſteri appellātur, ut Jeſchah. 2. 1. & Hebr. 1. 1. [24] i. Eccleſia inſtaurata, reſtitutaque à Chriſto. *e* *Heb. filios mortis: ut Pſalm. 79. 11.* [25] id eſt, in Eccleſia: vide Pſal. 2. 6. [26] id eſt, Eccleſia ſive cœtu fidelium ex omnibus gentibus convocato, adunatoque per Chriſtum: cujus ſanguine ex utriſque factum eſt unum corpus, Epheſ. 2. 13 & 14 [27] id eſt, Chriſtum liberatorem ſuum, de quo ver. 17. & 20. & 21. [28] tranſitio ad concluſionem. id eſt, idem nunc ad tempus auctor eſt præſentis calamitatis meæ, qua jam jam videor moriturus.
[29] id eſt, hac miſera deportatione & exſulio hoc noſtro triſtiſſimo. [30] ultima pars pſalmi, continens deprecationem præſentis mali, hoc ver. & precationem ſempiterni boni, ver ult. ducto argumento à conſtante natura Dei, de quo ſupra verſ. 14 & ſequ. [31] id eſt, ne ſinas me evaneſcere; ſed pro miſericordia tua gratiam fac mihi, ut ſup. verſ 14. ſic compellat Eccleſia Chriſtum ſervatorem ſuum. *f* *Hebr. in medio dierum meorum.* [32] id eſt, caſu præpropero & præveniente nos, antequam tempus præſtitutum promiſſionum tuarum evenerit, ut ſupra verſ. 14. *g* *Heb. & generationem & generationem.*
[33] id eſt, tu ſempiternus es, ac proinde filios in æternum gignis: humanitus dictum. [34] explicatio ſive exornatio æternitatis Dei à comparatione rerum creatarum, ſive in præteritum tempus, quo Deus omnes res creatas præceſſiſſe dicitur, hoc verſu: ſive in futurum, quo dicitur permanſurus illis pereuntibus duobus ſequentib. [35] id eſt, vera & germana Eccleſiæ tuæ membra conſervabuntur in æternum virtute tua, & tibi curæ futura ſunt.

## PSALMUS CIII.

*David ſeipſum ad benedicendum Deo excitans recenſet gratiam illius erga ſe, & erga Eccleſiam totam verbo, operibúſque teſtatam, ac poſtremò erga res omnes creatas potente ipſius regno demonſtratam: ideoque res omnes creatas in cælo & in terra invitat ad Dei laudes ſecum prædicandas.*

1 [1] ODe Davidis. [2] Benedic anima mea Je-
hovæ, & omnia inteſtina mea nomi-
ni ſanctitatis ejus.
2 Benedic anima mea Jehovæ, & ne obli-
viſcaris *a* ullius [3] beneficiorum ejus:
3 [4] Qui condonat omnes iniquitates tuas,
qui medetur omnibus morbis tuis:
4 Qui vindicat à fovea vitam tuam, qui
circumtegit te benignitate & miſerationibus.
5 [5] Quo ſatiante bonis quibuſque os tuum;
*b* ſervas te recentem tamquam aquila, *tam-
quam* [6] pueritia tua.

[1] Ode eſt ἐπαγγελτικὴ, generis (ut vocant) κωλευστικῆς continens exordiū ſive propoſitionē laudis, duobus verſibus; narrationē argumentorum ad laudem Dei pertinētium à ver. 3. ad 20. & cōcluſionē hortatoriam ad laudes Dei prædicandas, in fine. Sunt autē quatuor ſequentes pſalmi certo conſilio adjuncti, ut uno contextu haberet Eccleſia laudationum Dei argumenta, tum ordinaria erga Eccleſiam, hoc pſalmo, & res omneis creatas, Pſal. 104. tum extraordinaria, ſive erga Eccleſiam beneficiorum caſtigationumque nomine, Pſal. 105. & 106 ſive erga omneis, Pſal. 107.
[2] exordium, quo ſeipſum excitat, hortaturque propheta ad benedicendum Deo ex toto corde, toto animo, totiſque viribus *a* *Heb. omnium.*
[3] quæ totidem ſunt argumenta laudis ſequentibus expoſita: ſic tranſitur ad narrationem ſive recenſionem beneficiorum Dei. [4] narratio ſive recenſio beneficiorum Dei, primùm ſingularium erga prophetam ipſum, tribus verſibus: deinde communium erga Eccleſiam totam, à ver. 6. ad 19 poſtremò univerſalium erga res omnes creatas, verſ. 19. [5] id eſt, qui animum tuum ita alit & fovet beneficiis, ut ſemper ſit vegetus & recens, intactuſq; permaneat ab omnibus incommodis. Quamobrem hæc firma piorum conſtitutio cum vegeta aquilarum ſenectute comparatur; quæ à natura ſunt vivaciſſimæ, & amplius adhuc victuræ eſſent (adeò ſunt vegeto corpore) niſi ſuperius roſtrum illarum aduncum ſenio accreſcens curvitate ſua roſtrum inferius conſtringeret; unde fit ut aquilæ conficiantur inedia: vide Ariſtot. lib. 9. de hiſtoria animalium cap. 32. & Plinium lib. 10. cap. 1. *b* *Heb. renovas te.* [6] i. ita recentem ſervas, ut ſi de integro natus & puer factus eſſes: ſimile eſt eodem pertinens, Judic. 5. 21.

6 [7] Facit [8] *c* quæ juſta ſunt Jehovæ, & judi-
cia omnibus oppreſſis.
7 Notas fecit vias ſuas Moſchi, poſteris
Jiſraelis actiones ſuas.
8 [9] ‖ Miſericors & gratioſus Jehova, longa-
nimis, & multus benignitate,
9 [10] Non in æternum litigat; neque in ſecu-
lum [11] *iram* aſſervat:
10 Non ſecundùm peccata noſtra facit no-
bis, neque ſecundùm iniquitates noſtras re-
fert nobis;
11 Sed [12] quàm alti ſunt cæli ſupra terram,
prævalet benignitas ejus erga timentes eum:
12 Quàm longè abeſt oriens ab occidente,
longè amovet à nobis defectiones noſtras.
13 [13] Ut miſeretur pater filiorum, miſeretur
Jehova timentium ipſum.
14 [14] Nam ipſe novit [15] figmentum noſtrum,
memor pulverem nos eſſe.
15 Ipſius mortalis ſimiles fœno dies eſſe;
ſicut flos agri, ſic florere *ipſum.*
16 Quum ventus pervadit ipſum, mox non
eſſe; [16] *d* neque agnoſci ipſum ampliùs à loco
ſuo.
17 ‖ At benignitas Jehovæ inde à ſeculo
uſque in ſeculum *eſt* erga timentes ipſum, &
juſtitia ejus erga *e* nepotes;
18 Erga obſervantes fedus ipſius, & erga
memores mandatorum ejus ad faciendum ea.
19 [17] Jehova in cælis ſtabilivit ſolium ſuum,
& regnum ipſius homin bus præſidet. omnibus
20 [18] Benedicite Jehovæ, angeli ejus; valen-
tiſſimi robore, efficientes verbum ejus, auſcul-
tantes voci verbi ejus.
21 Benedicite Jehovæ omnes [19] exercitus
ejus, [20] miniſtri ejus facientes placitum ejus.
22 Benedicite Jehovæ [21] omnia opera ejus
in omnibus locis dominationis ejus; benedic
anima mea Jehovæ.

[7] alter locus beneficiorum communiter ad Eccleſiam pertinentium; cujus partes ſunt beneficia a hoc ver. & documenta, ſequ. ver. [8] vide ſupra Pſalm. 97. 3 *c* *Heb. juſtitias.* [9] explicatio actionum Dei quas modo nominavit; maximè verò gratiæ & miſericordiæ erga Eccleſiam, qua Deus dicitur remittere iram, pœnas & peccata; & omnia nobis paternè condonare, miſertus noſtri & ſuæ gloriæ rationem habens; hæc uſque ad verſ. 19 ‖ *Exod. 34. 6. Nechem. 9. 17. & Pſal. 86. 15.* [10] explicatio gratiæ Dei, quā ſuperiore verſ. dixerat. [11] ſimilem loquutionē vide Levit. 19. 18. & Nachum 1. 2. [12] elegantes ſimilitudines duę à rebus aſpectabilibus ſumtæ, ad amplificandum Dei gratiā & miſericordiam, quaſi dicat, altior eſt illa, latior, & profundior quàm totus mundus, qua ſuos bonis cumulat & abarcet mala. [13] explicatio miſericordiæ, quam nominaverat pſaltes verſ. 8 à comparatione patris. [14] ætiologia miſericordiæ Dei erga nos, continens cauſas duas; notitiam miſeriæ noſtræ, tribus verſibus & conſtantem ipſius naturam in benignitate, juſtitiaque conferenda ex federe cum Eccleſia initio per Chriſtum verſ 17. & 18. [15] id eſt, quaſi figulinam & fragilem conſtitutionem noſtram ut ſequentibus exponitur. [16] ut Ijobi 7. 10. *Heb. neque agnoſcit ipſum amplius locus ſuus: nos paſſiva voce fugimus amphiboliam.* ‖ *Deut. 7. 9.* *e* *Heb. filios filiorum.* [17] tertium argumentorum genus ad laudem Dei pertinentium nimirum dominatus ejus vniuerſalis in cœlo & in terra.
[18] Concluſio qua provocat ad laudes Dei primùm res omnes creatas duobus verſibus; deinde omnia facta ejus; & poſtremo ſuum ipſius animum, verſ. vltimo. [19] vt Gen. 2. 1. [20] id eſt, quæcumque res creatæ vos comparatis ad placita ejus exſequenda, ſive animatæ, ſive inanimatæ, ut Pſalm. ſequente, verſ. 4. [21] id eſt, perſonæ, res, facta, quæcumque creavit aut facit, omnia Dei laudes veſtris modis & facultatibus teſtatas facite.

## PSALMUS CIV.

*Pſaltes ſeipſum ad Deum laudandum concitans narrat argumenta laudis ejus à rebus creatis: itaque ordinem creationis, & diſpoſitionem attingens; adminiſtrationem rerum diſpoſitarum a Deo, uſum earum in aere, terra, & mari, omniumque conſervationem à Deo factam exponit: poſtremò omnia ſecum ad Dei laudes hortatur, & contra venientibus malè precatur.*

1 [1] BEnedic [1] anima mea Jehovæ. Jehova De-
us mi, magnus es valdè; decorem & ma-
jeſtatem [2] induiſti,

[1] Ode eſt ἐπαινετικὴ, quam non dubitamus à Davide conſcriptam eſſe, & ſuperiori odæ de induſtria conjunctam, velut cohærentem argumento. Conſtat autem ex tribus ſummatim partibus: prima eſt exordium ſive propoſitio totius argumenti, verſ. 1. ſecunda narratio argumentorum ad laudem Dei pertinentium à naturæ conſtitutione & conſervatione, à verſ. 2. ad 31. tertia, concluſio à benedictione Dei, inde ad finem uſque. Sunt autem hujus exordii membra duo, unum, quo ſeipſum comparat pſaltes, alterum, quo orationem ad Deum dirigit, & proponit magnificentiam ejus ab operibus, quibus quaſi ſpecioſis ornamentis dicitur circumveſtiri Deus.
[2] humanitus dictum: ut ſequentia ferè omnia attributa Deo.

8 [12] Jehova Deus noſter, tu exaudiviſti eos:
*Deus* fortis condonans fuiſti eis, etiam quum
ultionem ſumeres de actionibus eorum.
9 Exaltate Jehovam Deum noſtrum, & in-
curvate vos *honorem exhibentes* ad montem
ſanctitatis ejus: quia ſanctus *eſt* Jehova Deus
noſter.

[12] emphatica apoſtrophe ad Deum, qua propheta oſtẽdit eũ populi miſertũ eſſe pro veritate federis ſui, mera ſua gratia, ac proinde porrò in Chriſto miſertũ eum eſſe ex Evãgelio.

## PSALMUS C.

*Pſaltes Eccleſiam ad laudes Dei hortatur propter gratuitam electionem, vocationem, & beneficentiam conſtantem ipſius.*

1 PSalmus [1] pro gratiarum actione: Clangi-
te Jehovæ [2] omnes *incolæ* terræ.
2 Colite Jehovam cum lætitia, venite in
conſpectum ejus cum cantu.
3 Agnoſcite Jehovam [3] eſſe Deum, ipſum
effeciſſe nos ([4] non autem nos *ipſos*) populum
ſuum & gregem paſtus ſui.
4 Ingredimini portas ejus cum gratiarum
actione, atria ejus cum laude: gratias agite ei,
benedicite nomini ejus.
5 Nam bonus *eſt* Jehova, in ſeculum *eſt* be-
nignitas ejus; & uſque ad *a* generationem
quamque [5] fides ejus.

[1] Pſalmus hic euchariſticus hortatur Eccleſiam ad colendum & prædicundum Deum, duobus argumẽtis: unũ eſt gratuita electio & vocatio noſtra in cõmunionẽ federis cũ Deo, uſque ad ver. 3. alterum eſt perpetuus & conſtans beneficiorum fructus, ex quo vocationis divinæ facti ſumus participes, verſ. 4. & 5. [2] tam Gentes, quam Judæi: ut interpretatur Apoſtolus ad Rom. 15. [3] id eſt, auctorem federis & dominum noſtrum.
[4] id eſt, nos nulla juſtitia noſtra, aut recto animo dignitatem hanc nobis comparaſſe; ſed ex gratuita ipſius benevolentia factum eſſe ut ſimus ipſi filii. vide Deut. 7. 7. & 9. 4. & ſequentibus. [a] *Hebr. generationem & generationem.*
[5] id eſt, conſtantia ad bonitatem & benignitatem communicandam cum Eccleſia ſua.

## PSALMUS CI.

*David rex factus Deo ſpondet ſe procuraturum ſanctificationem ſuam, conſilii, comitatus ſui, totius regni, & Eccleſiæ.*

1 DAvidis [1] Pſalmus. [2] Benignitatem & jus
canam: tibi, ô Jehova, pſallam.
2 [3] Animadvertam [4] via integra, quando
[5] venturus ſis ad me: indeſinenter ambula-
bo in integritate *a* animi mei, *b* [6] intra domum
meam.
3 Non proponam mihi ab oculos rem ne-
fariam: *c* factum [7] declinantium odi, non ad-
hærebit mihi.
4 [8] Animus perverſus recedet à me; malum
non agnoſcam.
5 [9] Lingua lædentem *apud* me clàm pro-
ximum ſuum ipſum exſcindam: elatum ocu-
lis, & *d* tumentem animo, ipſum non potero
*ferre*.
6 [10] Oculi mei *attendent* ad veraces terræ, ut
conſideant mecum: ambulans via integra, is
miniſtrabit mihi.
7 Non habitabit intra domum meam fa-
ciens dolum; loquens mendacia non ſtabilie-
tur coram oculis meis.
8 [11] Singulis matutinis exſcindam omnes
improbos terræ, ad reſcindendum à civitate
Jehovæ omnes qui operam dant iniquitati.

[1] Pſalmus eſt didaſcalicus, quo David in regno conſtitutus Deo ſolenniter vovet ſe officio ſuo fideliter defuncturum: conſtat itaque duabus partibus; exordio, quo profitetur David ſe hoc ſolẽni cantico obſtrictum iri ad præſtandum officium ſuum, verſ. 1. deinde narratione, ſive expoſitione ſingularis officii quod promittit Deo, ad finem uſque. Videtur autem hic Pſalmus à Davide nõ ante ſuſceptum regnum cõſcriptus eſſe; ſed poſtquam rex cõfirmatus eſt: quo tempore ea conſtituit quæ ad cultum Dei & civilem adminiſtrationem pertinebant. vide ſupra in Pſalm 18. & 36. [2] id eſt, duo hæc me procuraturum ſpondeo Domino, tum ut benignitas à me popularibus meis proſit, tum ut jus adverſus improbos exerceatur: quæ duæ ſunt verorum principum laudes. vide 2. Schem. 9. 1. [3] narratio, ſive expoſitio officii quod David vovebat Domino; conſtans ex tribus partibus: prima eſt de inſtituto & vita ipſius regis à verſ. 2. ad 5. ſecunda, de inſtituto regalis conſilii, comitatus, & miniſterii, à verſ. 5. ad 8 tertia de caſtigatione improborum, & purgatione totius regni per ſeveram obſervationem diſciplinæ civilis & Eccleſiaſticæ, ver. 8. [4] id eſt, quam integerrimè potero.
[5] id eſt, me recepturus ad te ex hac vita, aut alioqui rationem exacturus adminiſtrationis meæ, quaſi dicat, ſemper attendam ad finem meum, ut cautè & religioſè ambulem. [a] *Heb cordis: ſic verſ 4. & 5.* [b] *Heb. in medio domus. ſic infra verſ. 7.* [6] id eſt, etiam clàm intra privatos parietes.
[c] *Hebr. facere: infinitivus pro nomine.* [7] à via recta cujus meminit ſuperiore verſ. [8] id eſt, dabo operam ut deponam veterem hominem cum concupiſcentiis ejus & quod ſemel depoſuero amplius non invadat me. [9] id eſt, maledicos atque maleficos depellam à me: ſecunda pars.
[10] id eſt, bonos conſiliarios atque adminiſtros ſollicite adhibebo. [d] *Heb. latum corde.* [11] tertia pars: id eſt, indeſinenter regnum, regiam, Eccleſiamque purgabo à malo.

## PSALMUS CII.

*Eccleſia in captivitate diu verſata Deum ſupplicat: ſuas calamitates proponit; ſe ipſam confirmat recordatione naturæ & promiſſionum Dei, quarum complementum prædicat fore in adventu Chriſti, & communi vocatione gentium: itaque Deum orat ut ſuæ naturæ, promiſſionis, & gloriæ recordatus Eccleſiam conſervet, eique benedicat in æternum.*

1 [1] ORatio [2] pro paupere; [3] quum obruitur,
& ante Jehovam effundit meditatio-
nem ſuam.
2 [4] Jehova, audi orationem meam; & voci-
feratio mea ad te perveniat.
3 Ne abſcondas faciem tuam à me, quo die
*eſt* anguſtia mihi: inclina ad me aurem tuam,
quo die inclamo; *a* feſtinanter exaudi me.
4 [5] Nam conſumuntur ut fumus dies mei,
& oſſa mea ut focus exardeſcunt:
5 Percuſſum tamquam herba exareſcit
cor meum, quia [6] obliviſcor comedere cibum
meum.
6 [7] Præ voce gemitus mei, adhæreſcit os
meum carni meæ.
7 [8] Similis ſum plateæ deſerti; ſum tam-
quam bubo vaſtitatum.
8 *b* Aſſiduè ſum ſimilis paſſeri ſolitario in
tecto.
9 Toto die probro afficiunt me inimici
mei; inſanientes contra me, [9] per me jurant.
10 Nam [10] cinerem tamquam panem com-
edo, & potiones meas cum fletu miſceo,
11 Propter indignationem tuam, & ferven-
tem iram tuam: [11] quia ſuſtuliſti me, & abjeciſti
me.
12 Dies mei ſimiles *ſunt* [12] umbræ inclina-
tæ: & ego ſicut herba exarui.
13 [13] Tu autem Jehova in ſeculum perma-
nes, & recordatio tui *c* in quamque generatio-
nem.
14 [14] Tu *d* ſurgens miſereberis Tzijonis:
quia tempus eſt faciendi gratiam ei, quia ad-
venit ſtatum tempus,
15 [15] Quo delectentur ſervi tui [16] lapidibus
ejus, & pulveri ejus [17] gratiam faciant,
16 [18] Uut revereantur gentes nomen Jeho-
væ, & omnes reges terræ honorem tuum;
17 Quum ædificans [19] Jehova Tzijonem,
apparuerit in honore ſuo,
18 Reſpexerit ad orationem [20] nudatiſſimi,
& [21] non ſpreverit orationem eorum.

[1] Hujus orationis, quam Danielem aut aliũ prophetã ſcripſiſſe ſub finem deportationis Babylonicæ veriſimile eſt, quum populus ad reverſionem ex ea ſeſe accingeret, (ut innuit verſus 24.) partes ſunt quatuor: prima eſt exordium audientiam faciens, verſ. 2. & 3. ſecunda expoſtulatio ſive narratio mali quo obruebatur Jiſrael, uſque ad verſum 13. tertia, propoſitio argumentorum quibus confirmatur animus ad ſollicitandum & exſpectandum Deũ, inde uſque ad verſum 25. poſtrema, concluſio petitoria, ad finem uſque.
[2] nimirum populo Jiſraelis ſolitario, nudo, vincto, & verſãte in morte præſentiſſima apud Babylonios.
[3] ut Pſalm. 61. 3.
[4] exordium, ut modo dictum eſt.
[a] *Heb feſtina exaudi.*
[5] expoſtulatio, ſive narratio malorum quæ perpetiebatur populus: ſunt autẽ illius tres loci; primus à vanitate & imbecillitate ipſius, tribus verſibus; ſecundus, ab improbitate aliorũ miſeros perfidè deſtituẽtium, tribus alteris; tertius, ab ira & plagis inflictis à Deo à verſu 10. ad 13. [6] id eſt, tam graviter premor anguſtiis; ut non recordetur animus, ſed faſtidiat cibum.
[7] id eſt, diuturnitate malorum clamorumque emacior atque exhaurior: ſic Ijobi 19. 20. [8] id eſt, ab omnibus relictus ſum, duobus verſibus, & omnibus exoſus, verſ. 9. [b] *Heb. aſſiduus ſum ut ſim ſicut paſſer.* [9] id eſt, faciunt de nomine meo juramenti & exſecrationis formulam: ſic Num. 5. 27. & Jeſchah. 65. 15.
[10] id eſt, in terram dejectus ſum miſer: hyperbole noëmatica.
[11] id eſt, graviſſimè & valentiſſimè abjeciſti me: ut quum non molli remiſſoque brachio, ſed elato aliquid vibratur aut detorquetur affligiturque in terram: metaphora. [12] i. propè eſt ut occidam, quemadmodum occidente ſole maximæ ſunt umbræ & inclinatiſſimæ. [13] tertia pars pſalmi; propoſitio argumentorum quibus fideles confirmantur & adducuntur ad invocandum Deum. Sunt autem argumenta duo; unum, à natura Dei conſtante; alterum, à gloria ejus: quæ duo proleptice hoc verſu poſita in ſequentibus ex ordine explicantur.
[c] *Hebr. in generationem & generationem.* [14] explicatio prioris argementi à conſtante tum natura Dei qua eſt miſericors, tum promiſſionibus quas ante fecerat populo de reſtitutione poſt annos ſeptuaginta, Jirmejæ 25. & 29. 10. poſtremo à fine, innoteſcat Deus; verſ. 16. & ſequentibus.
[d] *Heb. ſurgens miſereberis.* [15] id eſt, quò populus tuus exſpectatione ſua fruatur, & terram (quæ nunc deſolata jacet) antiquo honori cultuique reſtituat.
[16] id eſt, ſtructura redintegrata: ſynecdoche.
[17] id eſt, deſertam terram, & quaſi lugentem recreent: proſopœia.
[18] finis petitionis, gloriæ Dei illuſtratio; qua tenuiter quidem effecta eſt in reſtitutione populi, ſed perfecte adventu Chriſti, vocatione gentium, & inſtauratione Eccleſiæ catholicæ abſoluta: quò ſequentia omnia pertinent.
[19] Chriſtus, ut infra verſ. 23.
[20] id eſt, deſerti ab omnibus, abjecti, & egentis populi. hanc vocem propter antecedentia & ſequentia, ipſumque vocis etymon ſic viſum eſt accipere.
[21] Id eſt, acceperit, litotes.

19 [22] Conſcribatur hoc [23] in generationem
poſteram, ut [24] populus recreatus laudet Jah:
20 Quòd proſpectaverit ex alto *loco* ſancti-
tatis ſuæ, Jehova è cælis in terram intuitus ſit,
21 Ad exaudiendum ſuſpirium vincti, ad
ſolvendum *e* eos qui jam traduntur morti;
22 Ut enarrent [25] Tzijone nomen Jeho-
væ, & laudem ejus Jeruſchalaimis:
23 [26] Congregantibus ſe populis ſimul, &
regis ad colendum [27] Jehovam.
24 [28] Affligit *quidem* in [29] hac via vires
meas, curtat dies meos:
25 [30] *Sed* dico, mi Deus fortis, [31] ne auferas
me *f* [32] mediis diebus meis: *g* [33] per generatio-
nem æternam *ſunt* anni tui:
26 [34] Antè *quam* terram fundaſſes, & opus
manuum tuarum *eſſent* cæli.
27 Iſta peritura ſunt, tu autem permanes;
iſta, inquam, omnia ut veſtimentum vetera-
ſcent, ut indumentum mutabis ea atque mu-
tabuntur:
28 Tu verò idē *es*, & anni tui non finiūtur.
29 [35] Filii ſervorum tuorum habitabunt, &
ſemen eorum ſtabilietur coram te.

[22] explicatio poſterioris argumēti à gloria Dei, quæ tenuibus illis principiis fuit in Eccleſiam Chriſti diffundēda: prout reſtitutio populi ex deportatione Babylonica figura fuit & documētum reſtitutionis per Chriſtum. [23] id eſt, ad utilitatem & documentum Eccleſię Chriſti, cujus dies ultimi ſive poſteri appellātur, ut Jeſchah. 2. 1. & Hebr. 1. 1. [24] i. Eccleſia inſtaurata, reſtitutaque à Chriſto. *e* *Heb. filios mortis: ut Pſalm. 79. 11.* [25] id eſt, in Eccleſia: vide Pſal. 2. 6. [26] id eſt, Eccleſia ſive cœtu fidelium ex omnibus gentibus convocato, adunatoque per Chriſtum: cujus ſanguine ex utriſque factum eſt unum corpus, Epheſ. 2. 13. & 14 [27] id eſt, Chriſtum liberatorem ſuum, de quo ver. 17. & 20. & 21. [28] tranſitio ad concluſionem. id eſt; idem nunc ad tempus auctor eſt præſentis calamitatis meæ, qua jam jam videor moriturus.
[29] id eſt, hac miſera deportatione & exſulio hoc noſtro triſtiſſimo. [30] ultima pars pſalmi, continens deprecationem præſentis mali, hoc ver. & precationem ſempiterni boni, ver. ult. ducto argumento à conſtante natura Dei, de quo ſupra verſ. 14. & ſequ. [31] id eſt, ne ſinas me evaneſcere; ſed pro miſericordia tua gratiam fac mihi, ut ſup. verſ. 14. ſic compellat Eccleſia Chriſtum ſervatorem ſuum. *f* *Hebr. in medio dierum meorum.* [32] id eſt, caſu præpropero & præveniente nos, antequam tempus præſtitutum promiſſionum tuarum evenerit, ut ſupra verſ. 14. *g* *Heb. & generationem & generationem.*
[33] id eſt, tu ſempiternus es, ac proinde filios in æternum gignis: humanitus dictum. [34] explicatio ſive exornatio æternitatis Dei à comparatione rerum creatarum, ſive in præteritum tempus, quo Deus omnes res creatas præceſſiſſe dicitur, hoc verſu: ſive in futurum, quo dicitur permanſurus illis pereuntibus duobus ſequentib. [35] id eſt, vera & germana Eccleſiæ tuæ membra conſervabuntur in æternum virtute tua, & tibi curæ futura ſunt.

## Psalmus CIII.

*David ſeipſum ad benedicendum Deo excitans recenſet gratiam illius erga ſe, & erga Eccleſiam totam verbo, operibúſque teſtatam, ac poſtremo erga res omnes creatas potente ipſius regno demonſtratam: ideoque res omnes creatas in cælo & in terra invitat ad Dei laudes ſecum prædicandas.*

1 [1] ODe Davidis. [2] Benedic anima mea Je-
hovæ, & omnia inteſtina mea nómi-
ni ſanctitatis ejus.
2 Benedic anima mea Jehovæ, & ne obli-
viſcaris *a* ullius [3] beneficiorum ejus:
3 [4] Qui condonat omnes iniquitates tuas,
qui medetur omnibus morbis tuis:
4 Qui vindicat à fovea vitam tuam, qui
circumtegit te benignitate & miſerationibus.
5 [5] Quo ſatiante bonis quibuſque os tuum;
*b* ſervas te recentem tamquam aquila, *tam-
quam* [6] pueritia tua.

[1] Ode eſt ἐπαγγελτικὴ, generis (ut vocant) κυκλοειδοῦς continens exordiū ſive propoſitionē laudis, duobus verſibus; narrationē argumentorum ad laudem Dei pertinētium à ver. 3. ad 20. & cōcluſionē hortatoriam ad laudes Dei prædicandas, in fine. Sunt autē quatuor ſequentes pſalmi certo conſilio adjuncti, ut uno contextu haberet Eccleſia laudationum Dei argumenta, tum ordinaria erga Eccleſiam, hoc pſalmo, & res omneis creatas, Pſal. 104. tum extraordinaria, ſive erga Eccleſiam beneficiorum caſtigationumque nomine, Pſal. 105. & 106 ſive erga omneis, Pſal. 107.
[2] exordium, quo ſeipſum excitat, hortaturque propheta ad benedicendum Deo ex toto corde, toto animo, totiſque viribus *a* *Heb. omnium.*
[3] quæ totidem ſunt argumenta laudis ſequentibus expoſita: ſic tranſitur ad narrationem ſive recenſionem beneficiorum Dei. [4] narratio ſive recenſio beneficiorum Dei, primùm ſingularium erga prophetam ipſum, tribus verſibus: deinde communium erga Eccleſiam totam, à ver. 6. ad 19 poſtremò univerſalium erga res omnes creatas, verſ. 19. [5] id eſt, qui animum tuum ita alit & fovet beneficiis, ut ſemper ſit vegetus & recens, intactuſq; permaneat ab omnibus incommodis. Quamobrem hæc firma piorum conſtitutio cum vegeta aquilarum ſenectute comparatur; quæ à natura ſunt vivaciſſimæ, & amplius adhuc victuræ eſſent (adeò ſunt vegeto corpore) niſi ſuperius roſtrum illarum aduncum ſenio ſuccreſcens curvitate ſua roſtrum inferius conſtringeret; unde fit ut aquilæ conficiantur inedia: vide Ariſtot. lib. 9. de hiſtoria animalium cap. 32. & Plinium lib. 10. cap. 1. *b* *Heb. renovas te.* [6] i. ita recentem ſervas, ut ſi de integro natus & puer factus eſſes: ſimile eſt eodem pertinens, Judic. 5. 21.

6 [7] Facit [8] *c* quæ juſta ſunt Jehovæ, & judi-
cia omnibus oppreſſis.
7 Notas fecit vias ſuas Moſchi, poſteris
Jiſraelis actiones ſuas.
8 [9] ‖ Miſericors & gratioſus Jehova, longa-
nimis, & multus benignitate,
9 [10] Non in æternum litigat; neque in ſecu-
lum [11] *iram* aſſervat:
10 Non ſecundùm peccata noſtra facit no-
bis, neque ſecundùm iniquitates noſtras re-
fert nobis;
11 *Sed* [12] quàm alti ſunt cæli ſupra terram,
prævalet benignitas ejus erga timentes eum:
12 Quàm longè abeſt oriens ab occidente,
longè amovet à nobis defectiones noſtras.
13 [13] Ut miſeretur pater filiorum, miſeretur
Jehova timentium ipſum.
14 [14] Nam ipſe novit [15] figmentum noſtrum,
memor pulverem nos eſſe.
15 Ipſius mortalis ſimiles fœno dies eſſe;
ſicut flos agri, ſic florere *ipſum*.
16 Quum ventus pervadit ipſum, mox non
eſſe; [16] *d* neque agnoſci ipſum ampliùs à loco
ſuo.
17 ‖ At benignitas Jehovæ inde à ſeculo
uſque in ſeculum *eſt* erga timentes ipſum, &
juſtitia ejus erga *e* nepotes;
18 Erga obſervantes fedus ipſius, & erga
memores mandatorum ejus ad faciendum ea.
19 [17] Jehova in cælis ſtabilivit ſolium ſuum,
& regnum ipſius hominibus præſidet. omnibus
20 [18] Benedicite Jehovæ, angeli ejus; valen-
tiſſimi robore, efficientes verbum ejus, auſcul-
tantes voci verbi ejus.
21 Benedicite Jehovæ omnes [19] exercitus
ejus, [20] miniſtri ejus facientes placitum ejus.
22 Benedicite Jehovæ [21] omnia opera ejus
in omnibus locis dominationis ejus; benedic
anima mea Jehovæ.

[7] alter locus beneficiorum cōmuniter ad Eccleſiam pertinentium; cujus partes ſunt beneficia hoc ver. & documenta, ſequ. ver. [8] vide ſupra Pſalm. 97. 3 *c* *Heb. juſtitias.* [9] explicatio actionum Dei quas modo nominavit; maximè verò gratiæ & miſericordiæ erga Eccleſiam, quia Deus dicitur remittere iram, pœnas, & peccata; & omnia nobis paternè condonare, miſertus noſtri & ſuæ gloriæ rationem habens; hæc uſque ad verſ. 19 ‖ *Exod. 34. 6. Nehem. 9. 17. & Pſal. 86. 15.* [10] explicatio gratiæ Dei, quā ſuperiore verſ. dixerat. [11] ſimilem loquutionē vide Levit. 19. 18. & Nachum 1. 2. [12] elegantes ſimilitudines duę à rebus aſpectabilibus ſumtæ, ad amplificandum Dei gratiā & miſericordiam, quaſi dicat, altior eſt illa, latior, & profundior quàm totus mundus, qua ſuos bonis cumulat & abarcet mala. [13] explicatio miſericordiæ, quam nominaverat pſaltes verſ. 8 à comparatione patris. [14] ætiologia miſericordiæ Dei erga nos, continens cauſas duas; notitiam miſeriæ noſtræ, tribus verſibus & conſtantem ipſius naturam in benignitate, juſtitiaque conferenda ex federe cum Eccleſia initio per Chriſtum verſ. 17. & 18. [15] id eſt, quaſi figulinam & fragilem conſtitutionem noſtram ut ſequentibus exponitur. [16] ut Ijobi 7. 10. *Heb. neque agnoſcit ipſum amplius locus ſuus: nos paſſiva voce fugimus amphiboliam.* ‖ *Deut. 7. 9.* *e* *Heb. filios filiorum.* [17] tertium argumentorum genus ad laudem Dei pertinentium nimirum dominatus ejus univerſalis in cœlo & in terra.
[18] Concluſio qua provocat ad laudes Dei primùm res omnes creatas duobus verſibus; deinde omnia facta ejus; & poſtremo ſuum ipſius animum, verſ. ultimo. [19] ut Gen. 2. 1. [20] id eſt, quæcumque res creatæ vos comparatis ad placita ejus exſequenda, ſive animatæ, ſive inanimatæ, ut Pſalm. ſequente, verſ. 4. [21] id eſt, perſonæ, res, facta, quæcumque creavit aut facit, omnia Dei laudes veſtris modis & facultatibus teſtatas facite.

## Psalmus CIV.

*Pſaltes ſeipſum ad Deum laudandum concitans narrat argumenta laudis ejus à rebus creatis: itaque ordinem creationis, & diſpoſitionem attingens; adminiſtrationem rerum diſpoſitarum a Deo, uſum earum in aere, terra, & mari, omniumque conſervationem à Deo factam exponit: poſtremò omnia ſecum ad Dei laudes hortatur, & contra venientibus malè precatur.*

1 BEnedic [1] anima mea Jehovæ. Jehova De-
us mi, magnus es valdè; decorem & ma-
jeſtatem [2] induiſti,

[1] Ode eſt ἐπαινετική, quam non dubitamus à Davide conſcriptam eſſe, & ſuperiori odæ de induſtria conjunctam, velut cohærentem argumento. Conſtat autem ex tribus ſummatim partibus: prima eſt exordium ſive propoſitio totius argumenti, verſ. 1. ſecunda narratio argumentorum ad laudem Dei pertinentium à naturæ conſtitutione & conſervatione, à verſ. 2. ad 31. tertia, concluſio à benedictione Dei, inde ad finem uſque. Sunt autem hujus exordii membra duo, unum, quo ſeipſum comparat pſaltes, alterum, quo orationem ad Deum dirigit, & proponit magnificentiam ejus ab operibus, quibus quaſi ſpecioſis ornamentis dicitur circumveſtiti Deus.
[2] humanitus dictum: ut ſequentia ferè omnia attributa Deo.

2 [3] Amiciens te luce tamquam panno, ‖extendens cælos tamquam aulæum.
3 ‖ Qui contignat in aquas [4] cœnacula ſua;
qui diſponit denſas nubes *in* vehiculũ ſuum,
qui itat ſuper [5] alas venti.
4 [6] ‖ Qui facit angelos ſuos ventos, miniſtros ſuos [7] ignem flammantem.
5 Fundavit terram ſuper baſes ejus, ne dimoveretur [8] in ſeculum & perpetuum.
6 ‖ Abyſſo ut indumento operueras eam,
ſupra montes ſtantibus aquis:
7 ‖ Ex [9] increpatione tua diffugerunt, à voce tonitru tui accelerarunt *fugam*.
8 [10] Conſcenderunt *per* montes, deſcenderunt *per* convalles; in locum quem fundaveras ipſis.
9 [11] Terminum oppoſuiſti, ne tranſeant; ne revertantur ad operiendum terram.
10 [12] Qui emittis fontes per valles, *ut* inter montes ambulent,
11 Potum præbeant omnibus animantibus agri, frangant onagri ſitim ſuam,
12 Juxta illos volatilia cæli habitent, è medio frondium edentia vocem.
13 [13] Qui irrigat montes è [14] cœnaculis ſuis,
[15] ut à fructu operum tuorum ſatietur terra.
14 Faciens ut germinet fœnum ad jumentum, & herba ad hominis *a* uſum, ut depromant cibum è terra:
15 [16] Qui vino lætificat cor mortalis, *b* nitidam efficit faciem oleo; & cibo cor mortalis fulcit:
16 [17] Satiantur arbores Jehovæ, cedri Libani quas plantavit:
17 (Ubi aviculæ nidificent) [18] abietes domicilia ciconiæ,
18 [19] Montes excelſiſſimi *c* rupicaprarum,
petræ [20] *d* montanorum murium perfugium.
19 [21] *e* Statuit lunam [22] in ſtata tempora, Solem agnoſcentem occaſum ſuum.
20 Diſponis tenebras, ut ſit nox: qua erepunt omnia animantia ſilvæ;
21 Juvenes leones [23] rugientes ad prædam,
& quidem quærendo à *Deo* forti eſcam ſuam.
22 Exorto ſole recipiunt ſe, & in luſtris ſuis recubant:
23 Prodit homo ad opus ſuum, & ad culturam ſuam uſque ad veſperam.
24 [24] Quam ampla ſunt opera tua, ô Jehova! *quam* ea omnia *f* ſapienter feciſti! quàm plena eſt terra [25] poſſeſſione tua!
25 [26] *In* ipſo mari magno & *g* ſpatioſo; illic reptilia *ſunt* atque innumera, animantia parva cum magnis.
26 Illic naves ambulant; [27] balæna quam formaſti, ludendo in eo.
27 [28] Omnia iſta in te exſpectationem habent, ut des eſcam ipſorum tempore ſuo:
28 Te dante ipſis colligunt, aperiente manum tuam ſatiantur bono:
29 Abſcondente faciem tuam conturbantur; recipiente ſpiritum eorum exſpirant, & in pulverem ſuum revertuntur:
30 Emittente ſpiritum tuum [29] recreantur: denique renovas faciem terræ.
31 [30] Sit honor Jehovæ in ſeculum, [31] lætetur Jehova in operibus ſuis:
32 Quo intuente in terram, tremit illa; attingente ipſos montes, fumant.
33 Canam Jehovæ in vita mea, pſallam, Deo meo quantiſper ero.
34 [32] Suavis erit de eo meditatio mea, ego lætabor in Jehova.
35 Deficiant peccatores à terra, & improbi ampliùs non ſint: benedic anima mea Jehovæ, [33] halelu-Jah.

[3] narratio naturalium argumentorum ad Dei laudes pertinentium, non ſigillatim quidẽ omnia explicãs, ſed generatim & certis exemplis complectẽ: documẽta gloriæ Dei. Sunt autem ea aut creationis, cujus exponuntur opera tribus primis diebus effecta à Deo, uſque ad verſum 10. aut ordinariæ adminiſtrationis in cælo, terra, & mari, inde uſque ad verſum 27. aut denique cõſervationis, uſque ad verſ. 31. In operibus porro creationis recenſentur primùm res ſuperiores, uſque ad verſ. 5. deinde inferiores, de terra & aqua, uſque ad 10. quibus omnibus ornati Deus dicitur humanitus, tamquam rex magnificus intus & foris omnibus inſtructus quæ ad cultum regalem pertinent, & ſtipatus valentiſſimo ſatellitio. ‖ Gen. 1. 1. ‖ *Ibid. verſ.* 6. [4] id eſt, regionem aëris, velut in cœnacula nubibus diſtinctam. [5] ut ſupra Pſal. 18. 11. & Jeſchah. 19. 1. [6] id eſt Angelis utitur nunciis, adminiſtriſque volũtatis & judiciorum ſuorum, adeò commodè ut ventis & igne uti ſolet. ‖ Hebr. 1. 7. [7] id eſt, coruſcationes, fulgura, & ſimilia æthetea, atque meteora. [8] i. tantiſper dum ſeculum duraturum eſt, immota maneat; quum alia levitate ſua huc illuc deferantur. ‖ *Gen.* 1. 2. ‖ *Ibid.* *v.* 6. [9] i. mandato Dei velut intonante, quod habetur Gen. 16. [10] i. dictum ac factum eſt: quum primùm mandavit Deus præcipites aquæ in ſuas ſtationes devenerunt, neque obſtiterunt adverſi montes, convalles, aut aliud quidquam, quin mãdato Dei confeſtim obtẽperarent. [11] ut Ijobi 38. 10. & Jirmejæ 5. 23. hoc autem de ordine naturæ accipiendum eſt: nam diluvium extra ordinem accidit: Gen. 6. & 7. [12] tranſitio ad ſecundum narrationis locum, de adminiſtratione ordinaria Dei: ubi agitur de uſu primùm aquarum inferiorum & ſuperiorum, uſque ad ver. 19. deinde diei & noctis, à ver. 19. ad 25. & poſtremò maris, ver. 25. & 26. [13] hactenus de aqua fontana: nunc de aqua pluvia, & nubium deſtillatione. [14] de quibus ſupra ver. 3. [15] id eſt, ut homines & animalia ſingula comedant, de fructibus terræ; quos tuum opus ſuppeditat: metonymia. ſic accipiendum eſſe ſequentes verſus commonſtrant, in quibus primùm de voluntariis & inſativis plantis, verſ. 14. poſteà de ſativis & cultura hominis provenientibus, verſ. 15. denique de omnibus universè agitur, uſque ad verſ. 19. *a* *Heb. miniſterium.* [16] id eſt, qui gratioſè largitur hominibus non tantùm vitam, ſed etiam ſubſidia vitæ quælibet: ſive neceſſaria, ut panis eſt; ſive utilia, ut vinum; ſive jucunda & ad ornatum voluptatemque pertinentia, ut ſunt unguenta ex oleo. *b* *Heb. nitidam efficiendo.*
[17] i. cujus opere aluntur abunde inſativæ plantæ, non ab hominibus, ſed à Deo poſitæ & cultæ: quod genus plantarum eas fere ſuperat amplitudine quæ ſeruntur arte. [18] Hebraicam hyſteroſin & pleonaſmum relativi cum antecedente in hoc ſermone frequentiſſimum evidentiæ cauſa ſuſtulimus.
[19] id eſt, cujus opere etiam aſperrima & horrentia loca ſatiantur.
*c* *Hebr. rupicapris.* [22] vide in Levit. 11. 5. *d* *Heb. montanis muribus.* [21] id eſt, lunam & ſolem diſponit, ut noctis & diei inſtrumenta eſſent: quorum uſus in ſequentibus explicatur, uſque ad ver. 25.
*e* *Hebr. facit.* [22] de quibus Geneſ. 1. 14. [23] id eſt, rugitu ſuo tamquam voce eſcam exoptantes à Deo: quod ſequens epexegeſis oſtendit.
[24] exclamatio conjuncta admirationi; in quam propheta irrumpit, poſtquam obſervavit uſus tam mirificos adminiſtrationis Dei. Eam autem commendat tribus nominibus, à potentia maxima, ſapientia & innumerabilitate operum Dei,

*f* *Hebr. in ſapientia.* [25] id eſt, rebus quas poſſides & regis, ut poſſeſſor juſtus. [26] tertia pars adminiſtrationis Dei, ſpectans mare & quæ ſũt in eo: ut obſervatum eſt ſupra ver. 10. *g* *Heb. lato ſpatiis.* [27] vide Jiobi 41. [28] terreſtria, aëria & aquatilia: tertius narrationis locus de rerum conſervatione, ut dictum eſt in verſ. 10. [29] id eſt, propagatione ſeminis quaſi de integro creantur, & renovantur rerũ creatarum formæ. [30] concluſio à laudatione Dei, cujus tria ſunt membra; primũ eſt, generalis provocatio rerũ creatarum ad laudem tribuẽdum Deo, duobus verſ. ſecundum, ſingularis profeſſio laudis quam ſuo nomine pſaltes attribuit Deo, ver. 33. & 34. ultimum, improborum excidium, eorumque omnium qui Dei laudibus adverſantur, ver. ult. quæ tria clauduntur hortatione eadem quæ habetur in principio Pſalmi. [31] id eſt, res omnes creatæ ita laborent in promovendo honore Dei, ut ipſis delectetur Deus: & revereantur potentiam ejus, quæ alioqui ſolo intuitu vel contactu perderet etiam valentiſſimas ipſarum, niſi honorarent Deum: ſequente verſu. [32] id eſt, ex animo lætiſſimo & alacerrimo honorem ei tribuam, adductus ſuavitate ipſius & beneficiorum quæ ab ipſo accipimus: ad hanc interpretationem nos adducit ſequentis membri comparatio.
[33] i. laudate Jah: ſed Hebræas voces, quia olim in vetere Eccleſia & Apoſtolorum ſcriptis ſervatæ ſunt, ſimiliter ſervare placuit: ut Apocalyp. 19. ver. 1. 3. & ſequentibus:

## PLALMUS CV.

*David hortatur Eccleſiam Dei ad celebrandum & colendum ipſum, tum propter gratuitum fedus cum ipſis initum, tum propter ſingularia Dei beneficia quæ populus accepit inde à federe. Quamobrem illis ſummatim expoſitis docet omnia accepta eſſe ferenda gratuitæ promiſſioni Dei, & agnoſcenda fideli obſequio.*

1 ‖ [1] CElebrate Jehovam, proclamate nomen ejus; notas facite in populis actiones ejus.
2 Canite ei, pſallite ei; confabulamini de omnibus mirabilibus eius operibus.
3 Laudibus vos efferte in nomine *a* ſancto ejus, lætetur *b* animus quærentium Jehovam.
4 Requirite Jehovam & robur ejus; quærite faciem ejus jugiter.
5 Recordamini [2] mirabilium ejus operum quæ fecit: prodigiorum ejus, & judiciorum oris ejus,
6 O ſemen Abrahami ſervi ejus, ô electi ejus filii Jahakobi.
7 [3] Hic *eſt* Jehova Deus noſter, in tota terra judicia ejus *ſunt*.
8 Recordatur in ſeculum federis ſui; verbi *quod* præcepit, in mille generationes,
9 Quod pepigit cum Abrahamo, & ‖juramenti ſui *præſtiti* Jitzchako.
10 ‖ Quod præſtitit Jahakobo in ſtatutum; Jiſraeli *in* fedus *c* perpetuum:
11 Dicendo, tibi daturus ſum terram Cenahanis: [4] funiculum poſſeſſionis veſtræ.

‖ *Chron.* 16. 1. [1] Ode eſt ἐπιφώνημα, continẽs exordium, ſive propoſitionem hortatoriam ad celebrãdum & colendum Deũ, uſque ad ver. 7. deinde narrationem cauſarum ſingulari modo ad Eccleſiam pertinentium: Quamobrẽ hic pſalmus à Davide appoſitè duobus præcedentibus adjunctus eſt, apparet ex 1. Chron. 10. *a* *Heb. ſanctitatis ejus.* *b* *Heb. cor.* [2] propleſis, id eſt, propoſitio ſumma ſequentis narrationis. [3] narratio cauſarũ, ex quibus Eccleſia provocatur ad laudandum & colendum Deũ. Sunt autem in universum duæ; una eſt, fedus ipſius gratuitum cum Eccleſia; altera, mirabilis adminiſtratio ex federe: quæ duo ſummatim hoc verſic. poſita ex ordine poſtea tractantur: fedus quidem à ver. 8. ad 12. adminiſtratio verò, inde ad finem uſque. ‖ *Gen.* 26. 3. ‖ *Gen.* 28. 13 *&* 35. 11. *c* *Heb. ſeculi.* [4] vide Deut. 32. 9.

12 [5] Quamvis eſſent ‖ homines *d* pauci,
planè pauci & inquilini in ea,
13 Itarentque à gente in gentem, à regno
in populum alium:
14 Non permiſit *e* cuiquam opprimere
eos, etiam reprehendit propter eos reges,
15 Ne attingitote (*inquiens*) unctos meos,
& prophetas meos ne afficitote malo.
16 ‖ Quum [6] advocans famem ſuper ter-
ram, omnem ſcipionem panis fregit;
17 Miſerat ante eos ‖ virum præſtantem;
*qui f* ad ſervitutem ‖ venditus erat, Joſephum:
18 Cujus pedes afflixerunt [8] compede, fer-
rum ſubivit *g* ipſe,
19 Uſque ad tempus quo erat adventu-
rum [9] verbum ipſius: [10] ſermo Jehovæ proba-
vit eum.
20 ‖ Mittens rex expediri juſſit eum; &
dominator populorum idem ſolvit eum:
21 ‖ Præpoſuit eum dominũ familiæ ſuæ,
& dominatorem in totam poſſeſſionẽ ſuam:
22 [11] Ut vinciret principes ejus ex animo
ſuo, & ſeniores ejus [12] informaret.
23 ‖ Deinde venit Jiſrael in Ægyptũ, & Ja-
hakob peregrinatus eſt in regione [13] Chami.
24 ‖ Ubi quum feciſſet *Deus* ut fœtificaret
populus ſuus valdè, & potentiorem eum effe-
ciſſet hoſtibus ſuis;
25 [14] Mutavit *h* animum illorum ut odio
haberent populum ſuum; ut machinarentur
contra ſervos ſuos.
26 ‖ Miſit Moſchem ſervum ſuum, Aharo-
nem quem elegerat:
27 *Qui* expoſuerunt [15] apud eos verba ſi-
gnorum ejus, & prodigiorum in regione Cha-
mi.
28 ‖ Miſit tenebras, & obtenebrârunt eam;
[17] neq; rebellârunt *ſigna* contra verbum ejus.
29 ‖ Mutaverat aquas illorum in ſangui-
nem, & morte affecerat piſces eorum.
30 ‖ Abundè produxerat terra illorum ra-
nas, invadentes penetralia [17] regum illorum.
31 Simulac edixit, ‖ advenerat colluuies *a-
nimalium*: pediculi in totum terminũ eorum.
32 ‖ Reddiderat pluvias eorum grandi-
nem, ignem *i* maximè flammantem in regio-
ne illorum:
33 Quibus percuſſit vites illorum, & ficus
illorum; confregitq; arbores termini illorum.
34 Simulac edixit, ‖ advenerat locuſta; &
melolontha, eaque innumera.
35 Quæ comedit omnem herbam regio-
nis eorum, comeditque fructum terræ illo-
rum.
36 ‖ Tandem percuſſit omne primogeni-
tum in regione illorum, [18] principium omnis
potentiæ illorum.
37 ‖ Tum eduxit eos cum argento & auro,
[19] ‖ nec fuit in tribubus ejus qui labaret.
38 Lætati ſunt AEgyptii quum exirent hi,
quia irruerat pavor horum ſuper ipſos.
39 ‖ Expandit nubem pro tegumento, &
ignem ad illuſtrandum noctem.
40 Petente *populo*, ‖ adduxit coturnices; &
pane cælorum ſatiavit eos.

[5] altera pars narrationis de mirifica adminiſtratione Dei, ad quam tranſit propheta per occupationem hanc, duobus verſibus. Sunt autem tres narrationis partes: prima, de rebus mirificè à Deo geſtis ante profectionem in Ægyptum, uſque ad verſ. 16. ſecunda, de rebus in Ægypto geſtis, inde uſque ad verſum 37. poſtrema, de rebus geſtis poſt exitũ ex Ægypto. ‖ *Geneſ.* 13.1. & 15.7. d *Heb. numeri*: *ut Geneſ.* 34.30. e *Heb. homini.* ‖ *Gen.* 13. & 26. & 31. [6] i. efficiens potenti verbo: numaticus dictum, ut 2. Reg. 8.1. ſecunda pars narrationis, ut dictum eſt in verſum 12. 7 ut Levit. 26. 26. ‖ *Geneſ.* 42. f *Heb. in ſervum.* ‖ *Gen.* 37. & 41. 5 & 7. & 39. 20. [8] tamquam criminis capitalis fuiſſet reus: vide Gen. 39. 2. g *Hebr. anima ipſius.* [9] Dei videlicet, qui Joſepho per ſomnia revelaverat ea quæ ipſi erant eventura Gen. 37. 7. & 9. [10] i. Jehova ex conſilio arcano & voluntate ſua exploravit his modis fidem ejus in ſervitute & carcere, ut metalla in catino probari ſolent: hypallage. ‖ *Gen.* 41. 14. ‖ *ibid. verſ.* 40. [11] i. ut ſummus in regno eſſet, & ſecundus à rege regiam poteſtatem obtinens, Gen. 41. 40. & 44. [12] ut factum eſt Geneſ. 41. 33. & ſequentibus. ‖ *Gen.* 46. [13] ut ſupra 78. 51. & infr. verſ. 27. ‖ *Exod.* 1. 7. & *ſeqq.* [14] id eſt, fecit ut rex & Ægyptii novi exſiſterent, qui non agnoſcerent Joſephum: de hoc autem loquendi genere vide Exod. 4. 19. h *Heb. cor.* ‖ *Exod.* 3. & 4. [15] tum Jiſraelitas, tum Ægyptios, Exod. 5. & ſequentibus. ‖ *Exod.* 10. 21.

[16] id eſt, non fuerunt irrita, ſed planè ut Moſche dicebat effecta ſunt. ‖ *Exod.* 7. 23. ‖ *Exod* 8. 6. [17] id eſt, regis, & procerum regni. ‖ *Exod.* 8. 17. & 24. ‖ *Exod.* 9. 23. i *Heb. flammarum.* ‖ *Exod.* 10. 13. ‖ *Exod.* 12. 29. [18] ut Geneſ. 49. 3. & Pſalm. 78. 51. *Exod.* 12. 35. [19] q. d. omnes incolumes ex Ægypto egreſſi ſunt, liberi ab omnibus non tantùm externis, ſed etiam internis impedimentis; quemadmodum Deus promiſſione ſua declaraverat Exod. 11. 7. quò etiam pertinent verba promiſſionis quæ poſteà redintegrata eſt ad fontes amaros: Exod. 15. 26. ‖ *Exod.* 11. 8. & 12. 38. & *ſeq.* ‖ *Exod.* 13. 21. ‖ *Exod.* 16.

41 ‖ Aperuit rupem, & effluxerunt aquæ;
ambulantes [20] per ſiticuloſa *loca, ut* fluvius.
42 Quia recordabatur verbi ſanctitatis
ſuæ, ‖ cum Abrahamo ſervo ſuo *habiti*;
43 Ideò eduxit populum ſuum ‖ cum gau-
dio, cum cantu electos ſuos.
44 Deditq; eis regiones gentium & [21] labo-
rem nationum poſſident hæreditario jure:
45 ‖ Ut obſervent ſtatuta ejus, & leges ejus
cuſtodiant. Halelu Jah.

‖ *Exod.* 17. 6. & *Num.* 20. 11. [20] id eſt per deſerta Sinis & Tzinis. ‖ *Gen.* 15. 14. ‖ *Exod.* 15. & *Num.* 33. 3. [21] ut promittitur Deut. 10. & 11. ‖ *Num.* 19. & 20. *Deut.* 31. 12. & *ſequent.*

## Psalmus CVI.

*Eccleſia ad Deum laudandum omneis excitans, ſe confitetur non tantùm imparem eſſe celebrando Deo verbis & operibus, ſed etiam peccatis ſuis gloriam Dei convellere: quapropter confeſſa peccata ſua majorum exempla adducit, quibus multa contra fedus iniquè perpetrata Deus ſemper condonavit: & ſalutem precata, benedicit Deo.*

1 HAlelu-Jah [1] Celebrate Jehovam, quia
bonus *eſt*; quia in ſeculum benignitas
ejus.
2 [2] Quis eloquatur *a* ſummam potentiam
Jehovæ? *b* efferat totam laudem ejus?
3 O beatos qui obſervarent [3] rationem
*hanc*, qui [4] exerceret juſtitiã quovis tempore.
4 [5] Recordare mei Jehova, [6] pro *c* benevo-
lentia qua proſequeris populum tuum; [7] viſi-
ta me ſalute tua:
5 *d* Ut fruar bono electorum tuorum, ut
læter lætitia gentis tuæ; ut me laudibus effe-
ram cum poſſeſſione tua.
6 Peccavimus cum majoribus noſtris; ini-
què fecimus, improbe egimus.
7 [8] Majores noſtri in Ægypto non intelle-
xerant [9] mirabilia tua opera, non recordati
fuerant amplitudinis [10] benignitatum tuarum;
ſed [11] occaſionem dederant mutandi *eas* ad
mare, *e* ingreſſuri mare algoſum.
8 Attamen ſervavit eos propter nomen
ſuum, ut notam faceret potentiam ſuam.
9 Nam ipſo increpante mare algoſum, ex-
ſiccatum eſt; & deduxit eos [12] per abyſſos ejus,
quaſi *per* deſertum.
10 Ita ſervans eos *d* manu oſoris, vindicavit
eos à manu inimici;
11 ‖ Operuerunt verò aquæ hoſtes eorum,
unus ex illis non eſt relictus *ſuperſtes*.
12 [13] Quamvis crediſſent verbis ejus, ceci-
niſſent laudem ejus;
13 ‖ *f* Feſtinanter obliti ſunt operum ejus, [14]
non perdurârunt ad conſilium ejus;

[1] Ode eſt ἐπαγγελτική, quemadmodum hoc principium oſtẽdit. Conſtat autẽ ex partibus quatuor: prima eſt, exordium hortans ad celebrãdum Deum, ℣. 1. ſecunda, propoſitio imbecillitatis humanæ, quæ neque verbis neque operibus Deum pro merito celebrare poteſt; ſed Deum glorificat confeſſione infirmitatis ſuæ, ut loquitur Apoſtolus, 2. Corint. 12. 9. Hanc rationem pſaltes ſervat à verſ. 2. ad 7. tertia eſt, narratio indigniſſimorum facinorum quæ maiores perpetraverant, & beneficentiæ Dei erga homines ingratos, à verſ. 7. uſq; ad 47. quarta, concluſio poſtulatoria & laudativa, duobus ultimis verſibus. [2] propoſitio, ac velut correctio ſuperioris exhortationis. quaſi dicat pſaltes, quid ergo? an Deus ab homine convenienter laudari poteſt? eſſent profectò beati, ſi qui præſtarent; ſed eheu, plurimùm abſumus ab eo convenienter celebrando; qui neque lingua valemus, neque vitæ integritate comparati ſumus ad eum condignè celebrandum; verſ. 2. & 3. Quamobrem nullum melius celebrandi eum argumentum datur, quàm ſi imploremus miſericordiam ejus, ver. 4. & 5. & confiteamur peccata noſtra. verſ. 6.

a *Heb potentias.* b *Heb. faciat, ut audiatur.* [3] ore prædicandi & celebrandi Deum. [4] id eſt, vitam ſuam componeret, velut ſpectatum aliquod ſimulacrum & documentum laudis ejus conſtans atque perpetuum. [5] ut Geneſ. 8. 1. [6] id eſt, gratuita miſericordia, qua duceris in populum tuum, & antehac in majores noſtros ductus es, prout ſequens narratio explicat: ſimile argumentum eſt ſupra pſalmo 85. 2. c *H. b. benevolentia populi tui.* [7] ut Gen. 21. 1. d *Heb. ut videam bonum: ut pſalm.* 34. 13. [8] narratio, explicans alteram confeſſionis partem de peccatis majorum, & miſericordia Dei condonante peccata, juſtoſque beneficiis proſequente. Sunt autem hujus narrationis exempla multa; è quibus hoc primum eſt de rebellione in deſerto & tranſitu maris rubri, uſque ad verſ. 12. [9] opera quæ inde à creatione Deum feciſſe audiverant. [10] quas inde à tempore vocati Abrahami exercueras in populum tuum, ac nominatim in Ægypto coram oculis ipſorum: de quibus actum eſt ſuperiore pſalmo. [11] i. quantum in ipſis erat ſalutem cœptam indignitate ſua abruperant, vide Exod. 14. 10. & ſequentib. e *Heb. in mare alga ituri.* [12] i. inter duas aquarum congeries, quæ Jiſraelitis ceſſerunt, ac ſi locus à natura ſiticuloſus fuiſſet: vide Exod. 15. 5. ‖ *Exod.* 14. 31. & *Exod.* 15. [13] tranſitio ad alia exempla indignitatis Jiſraelitarum, quæ per congeriem exponuntur ad illuſtrandam beneficentiam conſtantem Dei.
‖ *Exod.* 15. 24.
f *Heb feſtinarunt, obliti ſunt.*
[14] ſed obmurmurarunt ei re adhuc recentiſſima, Exod. 15. 24.

14 ‖ Sed ducti concupiſcentia in deſerto,
tentaverunt *Deum* fortem in ſolitudine:
15 Adeò ut tradens illis *g* quod petebant;
[15] immitteret maciem *h* in illos ipſos.
16 Poſtea invidentibus Moſchi in caſtris,
Aharoni [16] ſancto Jehovæ;
17 ‖ Aperiens ſe terra deglutivit Datha-
nem,& operuit cœtum Abirami:
18 Exardeſcenſque ignis [17] in cœtum illo-
rum,flamma incendit improbos.
19 ‖ Fecerunt vitulum Chorebi,& incur-
vaverunt ſe *exhibentes honorem* fuſili:
20 Et mutantes [18] honorem ſuum in *i* for-
mam bovis comedentis herbam.
21 Obliti ſunt Dei fortis ſervatoris ipſo-
rum; qui fecerat *res* magnas in Ægypto,
22 Mirabilia opera [19] in regione Chami,
terribilia ad mare algoſum.
23 Quamobrem dixerat ſe perditurũ eos;
niſi Moſche electus ipſius [20] conſtitiſſet in ir-
ruptione illa coram ipſo, ad avertendum ex-
candeſcentiam ipſius,ne perderet.
24 Spreverunt quoque [21] terram deſide-
rabilem,non credentes verbo ejus:
25 ‖ Et murmurantes in tentoriis ſuis,non
auſcultarunt [22] voci Jehovæ.
26 Quapropter [23] ſublata manu ſua *jura-
vit* eis,ſe [24] dejecturum eos in ipſo deſerto,
27 Etiam dejecturum [25] ſemen eorum in
gentibus,& diſperſurum eos in regionibus.
28 Præterea ‖ copulaverunt ſe etiam cum
idolo Pehoris, & comederunt ſacrificia [26]
mortuorum;
29 Adeò provocantes *Deum* ad indigna-
tionem factis ſuis,ut irrumperet in eos plaga;
30 Donec conſiſtente Pinchaſo & judi-
cium exercente; coercita eſſet plaga illa:
31 Quod reputatum eſt ei ad juſtitiam,per
*l* quamque generationem uſque in ſeculum.
32 ‖ Item ferventem iram concitarunt ad
aquas contentionis;ita ut [27] malè fuerit Moſ-
chi propter ipſos:

‖ Num 11. g Heb.petitionem eorum. 15 id eſt, emaciaret eorum corpora qui cõcupiverant carnem, & morte afficeret: litores. h Heb.in animam eorum. 16 id eſt, quem ſanctificavit Deus ad obeundum ſacerdotiũ ſuum, & ſanctũ eſſe re ipſa demõſtravit:Num. 16.5.& 7. ‖ Num.16. 17 Korachi,& aliorum qui admoverant thus: Num. 16.35. & 17.10. ‖ Exod.32. 18 id eſt, Deum, quo nudati omnem ignominiam apud inimicos fuerant ſubituri: Exod. 32.25. i Heb. ſtructuram. 19 ut ſupra 78. 51. 20 id eſt, interceſſiſſet deprecans iram Dei, & populum labefactatum reconciliaſſet Deo: metaphora à re caſtrenſi. ſic Jechez.13.5. & infra verſ.30. 21 ſpiritualium benedictionum temporaliumq; nomine,Deut.8. 7.& 11.10. k Hebr. deſiderii. ‖ Num.13.& 14. 22 i.mandato ejus, quod habetur, Deuteron.1. 21. 23 ut Gen. 14.22. 24 ut factum eſſe legimus Deut. 2.15. & ſequente. 25 id eſt, filios erroribus, captivitate, & cædibus afflictum, Num.14.33. & Jechez-kelis 20.23.quomodo completum eſſe legimus Numer.14.45.& 21.1. & Deut.1.44.& 2.15. ‖ Num.25. 26 id eſt,Deorum vita carentium,Num.25.2. l Heb generationem & generationem. ‖ Num.20. 27 id eſt,eorum occaſione ab ingreſſu terræ promiſſæ excluſus ſit Moſche,ut ipſe conqueritur Deuteronom.1.37.& 4.21.

33 Quum exacerbantibus illis ſpiritum [28]
ipſius,pronunciaſſet labiis ſuis *exacerbationem
ſuam.*
34 ‖ Non perdiderunt populos illos, de
quibus [29] edixerat Jehova ipſis:
35 ‖ Sed commiſcentes ſe cum illis gentibus,
didicerunt opera earum;
36 Coluerunt que [30] terricula earum, quæ
ipſis fuerunt [31] in tendiculam.
37 Nam [32] ſacrificaverunt filios ſuos,filias-
que ſuas [33] dæmonibus:
38 Et effuderunt ſanguinem innoxium,
ſanguinem filiorum ſuorum, filiarumq; ſua-
rum quas ſacrificabant,terriculis Cenahanæo-
rum; adeò ut [34] contaminata eſſet terra *m* cæ-
dibus iſtorum.
39 Et polluerunt ſe operibus ſuis;actioni-
bus ſuis, [35] ſcortantes.
40 Quapropter accenſus ira Jehova in po-
pulum ſuũ; abominatus eſt poſſeſſionẽ ſuam:
41 Adeò ut traderet eos in manum gen-
tium,ut dominarentur in eos oſores eorum:
42 Et opprimentibus ipſos inimicis ſuis,
deprimerent ſe ſub manu eorum.
43 ‖ Multoties eripuit eos; [36] quamvis ipſi
exacerbaſſent eum conſilio ſuo, & attenuati
eſſent propter iniquitatem ſuam;
44 Reſpiciens ad anguſtiam *n* eorum,au-
dito clamore eorum.
45 Et recordantem pro eis [37] federis ſui;
[38] pœnituit ipſum pro amplitudine benigni-
tatum ſuarum:
46 Adeò ut *o* conciliaret illis miſericordiã,
coram omnibus qui captivos detinebant eos.
47 [39] Serva nos Jehova, Deus noſter, &
congrega nos [40] ex iſtis gẽtibus; ad celebran-
dum nomen ſanctum tuum,& laudationibus
commendandum nos in laude tua.
48 Benedictus Jehova Deus Jiſraelis inde
à ſeculo uſque in ſeculum: & dicat totus po-
pulus,amen,halelu jah.

28 Moſchis indignatione abrepti. Num. 20.10. Eſt autem hic ellipſis conjugati, ut Gen. 18.21. ‖ Jud.1. inde à verſ.21. 29 Deut.7.2. & & ſeq. ‖ Jud.2.& 3. 30 ut 1.Shem. 31.9. 31 ut prænunciaverat Deus Exod 23.33. 32 contra quam præceperat De⁹ Levit.20.2. & Deut.12.31. & 18.10. 33 ut Deut.32.17. 34 prout ſanguine contaminari dicitur, Numer. 35.33. m Heb. ſanguinibus. 35 id eſt, miſſo conjugali erga Deum officio, quidvis aliud potius quam Deum pro libito animi ſui amplectentes: quod vetuerat Deus. Num.15.39. ‖ Judic.11.14.& Jud.3.& ſeq. 36 occupatio duarum objectionum: atqui impii erant, & ad paucitatem redacti attenuatique ab hoſtibus: quibus reſpondet pſaltes; liberatio igitur ipſorum non ab ipſis, ſed à Deo noſtro eſt. n Hebr.eu. 37 id eſt, duobus nominibus benefecit populo,propter miſericordiam ſuam infinitam, & propter fidem veritatemq; promiſſionum ſuarum ex federe. 38 ut Gen.6.6. humanitus dictum. o Heb daret eos miſericordia: hypallage: ſic Gen 43.14 & 1.Chron.16.35. 39 concluſio continens partes duas, petitionem beneficentiæ Dei gratioſæ à majorum exemplo,hoc verſu;& laudationem Dei ſolennem in Eccleſia,ỳ.48. 40 apud quas multi Jiſraelitarum profugi,captivi aut inquilini fuerant,donec regnum ad Davidem pervenit: ut factum fuiſſe conſtat ex hiſtoria Judicum, & Schaulis:nam hos verſus Davidis eſſe oſtenditur 1.Chron.16.

# QVINTVS LIBER PSALMORVM.

## Psalm. CVII.

*Pſaltes bonitatem & benignitatem Dei celebrat ab exemplis exſulum in regionibus exteris errantium,captivorum,ægrotantium,eorum qui in mari jactantur, denique mutationum omnium quæ ſingulis regionibus & perſonis uſu veniunt providentia ejus: & omnes ad laudes Dei hortatur, hominum vecordiam admiratur magnifica Dei opera non animadvertentium.*

1 Celebrate [1] Jehovam,quo-
niam bonus *eſt*; quoniam in ſe-
culum benignitas ejus.
2 [2] Prædicent redemti Jeho-
væ,quos redemit *a* ab anguſtia.
3 *Quos* ex regionibus cõgregavit;ab orien-
te,& ab occidente:ab aquilone,& [3] à mari:
4 *Qui* errarunt per deſertum,per [4] ſolitu-
dinem viæ; civitatem *b* habitabilem non in-
venientes:
5 Famelici,etiam ſitibundi; in quibus ani-
mus ipſorum ſeſe [5] obruebat:
6 Quum clamantes ad Jehovam in op-
preſſione ipſorum; ex anguſtiis ipſorum eri-
puerit ipſos.
7 Et deduxerit ipſos per viam rectam, ut
pervenirent ad civitatem habitabilem:
8 Celebrent [6] apud Jehovam benignita-
tem ejus;& opera mirabilia ejus [7] apud filios
hominum;
9 [8] Eum ſatiare animam appetentem, &
animam famelicam explere bono.
10 [9] Qui deſident in tenebris & lethali um-
bra,vincti afflictione & ferro.
11 [10] Quia dederunt occaſionem mutandi

1 Ode eſt ἐπαινετικὴ, conſtans ex propoſitione laudis, ỳ.1. narrationibus quinque ad laudis argumenta pertinentibus, quas Amœbæi verſus ferè terminant,à verſ.2.ad 41. & cõcluſione, duobus verſibus vltimis. Eſt autem hic Pſalmus quatuor ſuperioribus nominatim adjunctus, ut extraordinarium genus operum, quæ Deus exercet in omnes homines,ad laudem ipſius facere cognoſcatur; ut dictum eſt ſupra in Pſalm.103. 2 prima narratio de vagis, & in regione extera cum ſummo vitæ diſcrimine peregrinantibus,uſque ad verſum 10. a Heb.à manu anguſtia.

3 i.à meridiano tractu,ubi ſitum eſt mare rubrũ, & ſinus Avalites. 4 i.in viam ubi ſemita nulla eſt. b Heb. habitationis.ſic deinceps. 5 ut Pſalm.77.4. 6 i. privatim ex animo ſuo. 7 i.palam & publicè. 8 i.theſin ſive doctrinam vniverſalem de beneficentia Dei in calamitoſos profiteantur, ab hypotheſi vel ſingulari exemplo & experientia ſua: ſic deinceps. 9 ſecunda narratio de captivis quos aliena vincula conſtringunt, ut ſuorum peccatorum pœnæ inflictæ à Deo. 10 i.quia fuerunt immorigeri Deo,ac proinde benignitatẽ ipſius à ſe averterunt;cujus promiſſiones ad pios & obſequentes pertinent.

ſermones *Dei* fortis; & [11] conſilium excelſi ſpreverunt;

12 Quorum deprimit iſtâ moleſtiâ animum, *qui* labant, nemine adjuvante:

13 Quum clamantes ad Jehovam in oppreſſione ipſorum, ab anguſtiis ipſorum ſervaverit ipſos,

14 Eduxerit ipſos ex tenebris & umbra lethali, vincula ipſorum diruperit:

15 Celebrent apud Jehovam benignitatẽ ej⁹, & opera mirabilia ejus apud filios hominũ;

16 [12] Eum frangere valvas chalybeas, & vectes ferreos ſuccidere.

17 [13] Stulti *qui* propter viam defectionis ſuæ; & propter iniquitates ſuas afflictantur,

18 Quorum animus omnẽ cibum abominatur, qui pertingunt uſq; ad [14] portas mortis:

19 Quum clamantes ad Jehovam in oppreſſione ipſorum, ab anguſtiis ipſorum ſervaverit ipſos,

20 [15] Mittens verbum ſuum curaverit ipſos, & [16] liberaverit à foveis ipſorum:

21 Celebrent apud Jehovam benignitatem ejus, & opera mirabilia ejus apud filios hominum;

22 Et ſacrificantes ſacrificia gratiarum actionis, enarrent opera ejus cum cantu.

23 [17] Qui deſcendunt *in* mare navibus, exercentes artem in aquis amplis.

24 Ipſi *qui* vident opera Jehovæ, & mirabilia ejus in profundo:

25 Quemadmodũ edicens conſtituat ventum procelloſum, qui attollat fluctus illius: *&c.*

26 *Quemadmodum* [18] aſcendant *ad* cælos, deſcendant *ad* abyſſos; [19] anima ipſorum malo ſeipſam diſſolvat,

27 *c* Titubent, ſeſe moveant tamquam ebrius; & tota peritia eorum [20] abſorbeatur:

28 Quum clamãtes ad Jehovam in oppreſſione ipſorũ, ex anguſtiis ipſorũ eduxerit ipſos,

29 Reſtituerit procellam *d* malaciæ, ſilentibus fluctibus illarum *aquarum*, *&c.*

30 Et lætantes ipſos, poſtquam conticuerunt *fluctus*; deduxerit ad portum *e* optatum:

31 Celebrent apud Jehovam benignitatẽ ejus, & opera mirabilia ej⁹ apud filios hominũ,

32 Exaltentque eum in congregatione populi, & in conſeſſu ſeniorum laudent eum.

33 [21] Redigit [22] flumina in deſertum, & proceſſus aquarum in ſiticuloſum ſolum:

32 Terram *f* fructuoſam in ſalſuginoſam, propter malitiam habitantium in ea.

35 [23] Redigit deſertũ in ſtagnum aquarum, & terram ſiccaneam in proceſſus aquarum;

36 Efficiens ut habitent ibi famelici, & conſtituant civitatem habitabilem.

37 Et conſitis agris ac plantatis vineis, comparent *g* proventum fructuoſum.

38 Qui ita benedicit eis, ut multiplicentur valdè, & jumenta eorum [24] non minuit.

39 Ut [25] *contrà* minuuntur atq; incurvantur, præ coarctatione mali & mœrore;

40 Quum effundens contemtum ſuper ingenuos, facit ut errent per inanitatem aviam:

41 Collocátque in edito egentem ab afflictione, & [26] diſponit tamquam gregem familias.

42 [27] Videant recti & lætentur, omnis verò [28] nequitia obdat os ſuum.

43 Quoties quiſque ſapiens eſt, qui obſervet iſta; ut animadvertantur benignitates Jehovæ.

[11] de ipſis beneficio proſequendis, ſi morem gererent. [12] id eſt, ab arctiſſimis vinculis & carceribus ſonticis liberationem dare. [13] tertia narratio, de iis qui decumbunt graviſſimè propter peccata ſua. [14] ut pſal. 9.14. [15] i. ſuo juſſu. [16] id eſt, morte præſentiſſima & ſepulcro ipſis jã comparato: ſic enim accipiendum eſſe evincit contextus hujus hyperboles: quomodo accipitur Lament. 4.20. [17] quarta narratio de nautis, vectoribus & omnibus per mare negotiantibus. [18] tum fluctus maris, tum navigantes ipſi qui jactantur fluctibus graviſſimæ hyperbolæ. [19] i. nauſea & jactatione adeò vomant, ut animâ illicò acturi videantur, quaſi cum vomitione liqueſcens profunderetur. c Heb. *tripudient.* [20] i. exhauriatur, neſciant quid amplius facto ſit opus, & omnibus tentatis de modo ſalutis deſperent humanitùs. d Heb. *quieti, vel ſilentio.* e Heb. *oblectationis vel deſiderii ipſorum.* [21] quinto narratio de agrorum & perſonarum mutationibus effectis à Deo; quæ per antitheſin illuſtratæ ſunt ſingulæ. [22] i. agros irriguos in ſteriles & ſiccos, duobus verſibus. f Heb. *fructus.* [23] i. contrà ex agris ſterilibus efficit uberrimos & habitationi commodiſſimos, ✠ ſeq. g Heb. *fructum proventus: hypallage.* [24] i. auget: litotes. [25] ſupple quum maledicit eis: nam ellipſis eſt contrarii, ut Gen. 18.18. [26] i. multiplicat familias egentium, & fœcundat tamquam greges. [27] concluſio pſalmi, cujus partes ſunt duæ; una, de officio omnium quibus cernenda proponuntur opera Dei magnifica; tum bonorum, ut iis recreentur; tum improborum, ut confundantur & obſtupeſcant illis, hoc verſ. altera verò, brevis expoſtulatio de ſtupore & oſcitantia omnium hominum vel ſapientiſſimorum qui in tot, tantis, & tam frequentibus miraculis, documentiſque bonitatis & benignitatis Dei dicuntur cæcutire, ſeq. verſ.

[28] ut Jobi 5.16.

## PSALMVS CVIII.

*David ingreſſus adminiſtrationẽ regni & de hoſtibus debellandis cogitans, Deo gloriam ipſius commendat in benignitate & fide præſtanda; promiſſiones ejus commemorat, auxilium implorat, & ſe eodem duce ad opus accingit.*

1 [1] CAnticum & pſalmus Davidis.

2 ‖ Erecto *a* animo meo, ô Deus; canam & pſallam, etiam [2] gloria mea.

3 Evigila nablium & cithara: expergiſcar *inde ab* aurora:

4 Celebrabo te in populis, Jehova; & pſallam tibi in nationibus:

5 Magnam eſſe ſuprà cælos benignitatem tuam, & ad ſuperiores uſque nubes veritatem tuam.

6 Exaltare ſupra cælos, ô Deus; & ſuper totam terram gloria tua:

7 ‖ Ut liberentur dilecti tui; ſerva dexterâ tuâ, & exaudi me.

8 Deus loquutus eſt per ſanctitatem ſuam; exſultabo, in partem obtineo Schecemum, & convallam Succotharum metior:

9 Meus Gilhad, meus Menaſche, & Ephrajim robur capitis mei, Jehuda legiſlator meus *eſt*.

10 Moab pollubrum meum; ſuprà Edomæum projiciam calceum meum; contra Palæſtinam [3] clangentem agam.

11 Quis deduceret me *in* civitate munitam? quis duceret me Edomæam uſque.

12 An non *tu*, ô Deus, rejeceras nos: ut non procederes, ô Deus, inter exercitus noſtros?

13 Cedò nobis auxilium *tuum* ab hoſte; alioquin vanitas *eſt* auxiliatio humana.

14 In Deo faciamus ſtrenuè, & ipſe proculcabit hoſtes noſtros.

[1] Pſalmus eſt ὀλιγτικός, continens partẽ pſal. 57. partemque 60. Cõſtat autem exordio votivo, quo ſpondet pſaltes ſe celebraturũ Deum, uſque ad verſ. 6. & 7. tertiò confirmatione à promiſſionibus Dei, à verſ. 8. ad 11. poſtremò cõcluſione petitoria, inde ad finem uſque. ‖ Pſal. 57.8. a Heb. *corde.* [2] vide in pſal. 16.8. ‖ Pſal. 60.7. [3] i. triumphabo victor: quod altero pſalmo per ſarcaſmum Peliſchthæis exprobraverat.

## PSALMVS CIX.

*David improbiſſimis malevolorum calumniis traductus apud regem, expoſtulat cum Deo illarum nomine: calumniatoribus, eorum familiis, nomini, & ſaluti male precatur propter obfirmatam illorum malitiam: Deum orat pro ſalute ſua ad gloriam ipſius: qua accepta, ſe benignitatem Dei celebraturum profitetur.*

1 MAgiſtro ſymphoniæ, [1] Davidis pſalmus. O Deus laudis meæ, [3] ne ſurdũ agas.

2 Nam [4] os improbi & os *a* doloſum contra me aperuerunt ſe, obloquuta ſunt mihi lingua mendace:

3 Et verbis *b* odioſis circumvenerunt me, oppugnantia me immeritò.

4 Adverſati ſunt mihi loco dilectionis meæ: [5] qua eram in oratione;

5 Reponentes mihi malum pro bono, & odium pro dilectione mea.

6 [6] Præfice illi improbum, qui adverſans [7] inſiſtat ad dexteram illius.

[1] Pſalmus eſt ὀλιγτικός quem videtur David Deo ceciniſſe, quum ſub finem regni Schaulis animadverteret omnia eſſe perditiſſima: ut conſimilibus verbis utitur Schaulem alloquens 1. Schem. 26.19. Sunt autẽ hujus pſalmi partes quatuor; prima eſt exordium ſive propoſitio ſumma totius cauſæ, uſque ad verſ. 6. ſecunda, imprecatio in adverſarios ab omni pietate & humanitate alieniſſimos, inde uſq; ad verſ. 21. tertia, precatio ſupplicis pro ſalute ſua, uſque ad verſ. 26. poſtrema, cõcluſio, reliquis verſib. [2] exordium audientiam faciens à perſona Dei, in quo laudem ſuam totam conſiſtere exponit pſaltes, hoc verſu, à perſona adverſariorum & ſua, quatuor ſeq. [3] ut pſalm. 28.1. [4] vide 1. Sche. 24.10. & 26.19. a Heb. *doli.* b Heb. *odii.* [5] i. pro ipſis concipiebam preces, ut pſalm. 35.13. [6] ſecundus locus, imprecatio, qua male precatur David tum ipſi adverſario, tribus verſibus; tum familiæ, duobus verſ. tum etiam bonis, honoribus, & nomini illorum omnium coram hominibus, verſ. 11. 12. & 13. & ſaluti coram Deo, verſ. 14. & 15. de quo orationum genere vide pſalm. 28. 4. & 5. ſenſus autem eſt, durisſimi dominatus atque tyrannici eum ſervum effice. [7] i. indeſinenter obſervet, urgeat, coerceat.

7 c Quum in jus venerit, abeat d damna-
tus; & oratio illius [8] illi ſit e crimini:
8 Sint dies illius [9] pauci, curationem illius
accipiat alter:
9 Sint filii illius pupilli, & uxor illius vidua:
10 Et indeſinenter f vagantes filii illius,
mendicent, quærantque *ſtipem* [10] è locis de-
ſolatis ſuis:
11 [11] Illaqueet fœnerator quicquid *eſt* illi, &
diripiant extranei laborem illius:
12 Ne ſit illi [12] qui protendat benignitatẽ,
neque ſit qui gratiam faciat pupillis illius:
13 Sit poſteritas illius g excidio *addicta*, in
generatione altera deleatur nomen eorum.
14 [13] In memoria ſit iniquitas majorum il-
lius apud Jehovam, & peccatum matris illius
ne deleatur:
15 Sint coram Jehova jugiter, ut exſcindat
è terra memoriam eorum.
16 [14] Propterea quòd [15] non eſt recordatus
exercere benignitatem; ſed perſequutus eſt vi-
rum pauperem, egentemque, & affectum æ-
gritudine h animi, ad afficiendum morte;
17 [16] Et i optavit ut maledictio obveniret
ei; neque oblectatus eſt benedictione; ſed *ut*
procul eſſet ab eo,
18 [17] Ut indueretur maledictione velut
chlamyde ſua; & ingrederetur velut aqua intra
eum, & velut oleum in oſſa ejus:
19 [18] Adſit illi, tamquam panno amiciat ſe;
& pro zona jugiter ſe accingat ea.
20 [19] Hoc *eſto* k præmium adverſantium mi-
hi à Jehova, & obloquentium malum con-
tra animam meam.
21 [20] Tu autem, ô Jehovi Domine, exerce
*benignitatem* erga me propter nomen tuum;
quia bona *eſt* benignitas tua, eripe me.
22 [21] Nam pauper & egens ſum; & cor me-
um confoſſum eſt in medio mei:
23 [22] Ut umbra quum declinat, abire co-
gor; [23] exagitor ut locuſta.
24 Genua mea labant præ jejunio, & caro
mea emaciatur l exhauſta pinguedine:
25 Inſuper ego probro ſum illis; videntes
me [24] movent caput ſuum.
26 [25] Auxiliare mihi, ô Jehova Deus mi,
ſerva me pro benignitate tua:
27 Ut agnoſcant manum tuam hanc eſſe,
te Jehovam feciſſe hoc:
28 Utut maledicant ipſi, tu benedicito: qui
inſurrexerunt quum erubuerint, lætetur ſer-
vus tuus.
29 Induantur adverſarii mei ignominia, &
amiciant ſe, tamquam pallio, pudore ſuo.
30 [26] Celebrabo Jehovam valdè ore meo,
& in medio multorum laudabo eum,
31 Quòd aſſiſtat ad dexteram egentis, ut
*ipſum* cõſervet ab iis qui abjudicãt m vitã illi.

c *Heb. quum judicabitur.* d *Heb. improbus: metalepſis.* 8 id eſt, quo magis ſe crimine liberare defendẽdo aut deprecãdo conabitur, eo ſe amplius oneret. e *Heb. peccato.* 9 i. pauciores quàm ex naturæ lege; ut factum eſt in Juda, cui ſequentia verba accommodãtur Act. 1. 20. f *Heb. vagando vagentur filii ejus, & mendicent.* 10 i. everſa domo & familia ſua. 11 i. ad ſe avertat & intercipiat, velut retibus, bona eorum. 12 i. qui aut dexteram porrigat in adjumentum ipſius; aut ante porrectam adhibere pergat: metaphora. g *Heb. ad exſcindẽdum: ſimile vide Num. 24. 22.* 13 i. Deus peccata illius ſemper ſibi proponat in æternum puniendá: humanitus dictum. 14 amplificatio ſuperioris imprecationis ἐκ σύγκρισεως, id eſt, per comparationem malæ mentis, mali animi, & maleficiorũ, quibus in viros bonos certo cõſilio & deliberata malitia utebantur, cum pœnis quas ipſi infligi à Deo petit, ut pœna ſit par noxæ; uſque ad verſ. 20. 15 i. de induſtria oblitus eſt, & omiſit beneface re. h *Heb. cordis.* 16 i. toto ſtudio incubuit ut bona averterentur à viris bonis, & mala obruerent eos: ſic accipiendum eſſe hunc locum docent ipſa tempora verborum. i *Heb. amavit maledictionem ut eveniret: trajectio.* 17 i. ut in omnibus malis corporalibus & ſpiritualibus omni ex parte involutus perfunderetur, obrueretur, & ſubmergeretur: elegantiſſimæ allegoriæ. 18 maledictio videlicet quam in viros bonos procuravit, ut involvat, & conſtringat ipſum. 19 ſumma imprecationis, qua David ſui mentionem faciens tranſitum parat ad ſequentem locum.
k *Heb. operæ, id eſt operæ pretium ſive merces: metonymia.*
20 tertia pars, precatio: qua David Deum orat pro ſalute ſua, primum à natura, ſedere, & gloria ipſius, hoc verſu; deinde à perſona ſua, quatuor ſequentibus.
21 ſecunda cauſa à calamitatibus ipſius q. d. miſerrimus ſum & omni ope deſtitutus; ut ſuprà in genere dixerat, verſ. 16.
22 i. quàm velociſſimè. 23 i. diſcurſare cogor propter diligentiſſimam perveſtigationem & perſequutionem hoſtium meorum, ut locuſta diſſilit: ſic enim feciſſe Davidem docetur 1. Schem. 23. 26. l *Heb. à pinguedine.*
24 vide 2. Reg 19. 21. 25 concluſio, continens primum anacephalæoſin totius orationis præcedentis: ubi inverſo ordine David Deum orat pro ſalute ſua ad gloriam ipſius, tribus verſibus, & pro confuſione adverſariorum, verſ. 29. deinde profeſſione utitur ſui erga Deum officii & grati animi, duobus verſibus ultimis.
26 altera pars concluſionis profeſſio adminiſtrationis glorioſæ Dei, ad fidem piorum confirmandam.
m *Heb. animam illius.*

## PSALM. CX.

*David vocationem Chriſti domini noſtri ad regnum ſpirituale in Eccleſia & ad æternum ſacerdotium prophetat: potentiſſimamque victoriam de inimicis Chriſti, & triumphum ejus.*

1 DAvidis pſalmus. [2] a Dixit Jehova [3] Do-
mino meo, [4] ſede ad dexteram meam;
donec [5] diſpoſuero inimicos tuos b in ſcabel-
lum pedum tuorum.
2 [6] Scipionem c robuſtum tuum emiſſurus
eſt Jehova [7] Tzijone, *dicens* [8] dominare in me-
dio inimicorum tuorum.
3 [9] Populus tuus *populus* voluntarius [10] die
copiarum tuarum; [11] in decoris *locis* ſanctitatis
[12] inde ab utero, tibi *aderit* [13] ros juventæ tuæ e
accuratiſſimè.
4 [14] Juravit Jehova, & non pœnitebit *eum*;
tu *es* ſacerdos in ſeculum [15] ſecundùm ordi-
nem Malcitzedeki.
5 [16] Dominus, *qui ſedet* ad dexteram tuam;
[17] frangens die iræ ſuæ [18] reges.
6 Judicium exercebit in gentes, [19] com-
plens corporibus; frangens caput, in regioni-
bus [20] plurimis.
7 [21] De torrente in via bibet; idcirco [22] at-
tollet caput.

1 Pſalmus eſt propheticus de regno & ſacerdotio Chriſti; ac proinde didaſcalicus conſtãs ex duabus partibus; una eſt propoſitio officiorũ quæ Deus pater commiſit filio, uſque ad verſ. 5. altera eſt propoſitio eorum quæ Chriſtus effecturus eſt pro officio ſuo, inde ad finem uſque. 2 propoſitionis de officiis Chriſti in hoc quidẽ pſalmo membra ſunt duo: unum, de regno & prophetia ipſius, tribus verſibus; alterum de ſacerdotio, verſu 4. In regni autẽ explicatione tria proponit pſaltes: vocationem æternam à Deo patre in regiam adminiſtrationem & gloriam, hoc verſu; adminiſtrationem univerſalem & potentiſſimam per ſpiritum & prophetiam ſive doctrinam Evangelii, invitis hoſtibus, verſ. 2. & fideliſſimum ac ſtudioſiſſimum ſubditorum Chriſti cultum atque obſequium, verſ. 3. a *Heb. dictum.*
3 Meſſiæ ſive Chriſto, Deo æterno cum patre & ſpiritu ſancto, qui homo factus in temporum plenitudine, etiam Davidis ipſius eſt dominus ex creationis & redemtionis jure, Matth. 22. 43. & alibi. 4 hoc eſt ſummum à me honorem imperiumque obtine, ſupra omne imperium ac poteſtatem collocatus, &c. Epheſ. 1. 20 humanitus dictum: hoc enim ſigno reges honeſtare eos ſolent quos honoribus ſummis proſequuntur, ut 1. Reg. 2. 19 & pſal. 45. 10. 5 id eſt, ſubjecero pedibus tuis, quod explicatur copioſè 1. Cor. 15. 25. & ſequentibus.
b *Heb. ſcabellum, ad pedum tuorum: anaſtrophe.* 6 i. verbum evangelii, quod eſt potentia Dei in ſalutem omni credenti, Rom. 1. 16. & ſpiritualis armatura, divinitus valida ad ſubverſionem munitionum & omnis ſublimitatis quę extollitur adverſus cognitionem Dei, &c. 2. Cor. 10. 4. & ſeq. c *Heb. roboris tui.*
7 id eſt, in Eccleſia Judæorum per totum orbem terrarum ſceptrum regni ſui Evangelium tranſmiſſurus Jeſchah 2. & 3. & Mic. 4. 2.
8 potente verbo & ſpiritu, Eccleſiam in mediis hoſtibus alente, & in hoſtes efficaciter dominante, Heb. 4. 12. 9 i. tui ultrò ſe & res ſuas omneis, ubi addicturi & conſecraturi ſunt. d *Heb. voluntatum ſive ingenuitatum.*
10 id eſt, temporibus Evangelii; quibus tuorum aciem ducturus & inimicos debellaturus es, donec eos confeceris ſpiritu oris tui & illuſtri adventu ſuo aboleveris. His enim temporibus militans Eccleſia eſſe dicitur ex ſcripturæ teſtimonio, & documentis patrum. Etſi haud ſcio an exponi poſſit è ritu legitimo hominum qui olim turmatim ad domum Dei commeabant, ut ſuprà 84. 8.
11 i. in Eccleſia tua; quæ appellatur templum ſanctum domino allegoria ſumta à figuris veteris Eccleſiæ, ut pſal. 29. 2.
12 i. quum primùm per ſpiritum tuum ſemine incorrupto verbi regenerati fuerint in Eccleſia tua, & revelatus fuerit in ipſis Dei filius; ut loquitur Apoſtolus Galat. 1. 16. 13 i. innumera multitudo electorum comparebit in Eccleſia tua tanquam ſtillans ros è cælo, & ſub auroram depluens.
e *Heb. matutina inquiſitione.* 14 alterum propoſitionis membrum de ſacerdotio Chriſti, de quo legenda epiſtola ad Heb. inde à cap. 4.
15 i. veritatem & complementum exhibens illius ſacerdotii, quod in Malcitzedeko figuratum eſt. nam ſive hiſtoriæ formam ordinemque ſpectes; ita narratur quaſi ſine patre, ſine matre, ſine genere eſſet, ſine initio dierum & fine vitæ; ut hoc pacto ſacerdotii Chriſti repræſentaretur æternitate ſive rẽ ipſam ſpectes, non fuit ſacerdos ſecundum ordinem Aharonis, generis Levitici, ex lege mandati carnalis; ſed Abrahamum ipſum, & quodammodo Levin decimavit, figurans, ſacerdotem alium qui factus eſt ſacerdos ex vi indiſſolubilis vitæ, & jurejurando adhibito, Heb. 7.
16 altera pars pſalmi de effectis potentiſſimæ adminiſtrationis Chriſti regis noſtri; continens victoriam reportatam de omnibus inimicis: quæ allegoricè humano bello, ſtrage inimicorum, & victoriis perſequentis exſultantiſque geſtu figuratur. Enunciatur autem converſa ad Deum oratione, ad confirmandam prophetiæ hujus veritatem. Dominus autem qui ſedet, is eſt rex Chriſtus, de quo verſ. 1.
17 ut pſ. 2. 9. 18 id eſt, omnem ſublimitatem quæ extollitur adverſus cognitionem Dei, 2. Cor. 10. 5. 19 i. adverſarios omnes ad unum malè perdens; & ſatanæ adminiſtros, ſatanamque ipſum (qui mortis imperium obtinet) conterens ſub pedibus noſtris, Rom. 16. 20.
20 id eſt, omnibus: ut pſalm. 97. 1.
21 id eſt, victoriam conſtantiſſimè perſequetur: quemadmodum ſtrenui duces ne cibo quidem aut potui indulgent, quum fuſos hoſtes perſequuntur.
22 id eſt, victoriam plenam conſequutus gloriabitur atque triumphabit, quam Deus pater filio promiſerat ſup. verſ. 1.

## PSALMUS CXI.

*Pſaltes Eccleſiam ſuo exemplo hortatus ad laudationes Dei, amplitudinem operum ejus erga Jiſraelitas, & ſancti federis proponit: deinde recordatus officii quod a ſuis ſtipulatur Deus, omnes provocat ad reverentiam & laudationem ejus.*

א 1 Hale-

1 Pſalmus eſt ἐπαινετικός, conſtans exordio ſive propoſitione laudis Dei, tribus verſibus; narratione factorum ejus erga Eccleſiam, à verſ. 4 ad ultimum; & concluſione verſ. ultimo. Hic porro pſalmus & ſequens ad notandam dignitatem ipſius & levandă memoriam, ordine alphabetico conſcriptus eſt. Exordii autē partes ſunt, hortatio ad laudes Dei, qua propheta utitur ab exēplo ſuo, verſ. 1. & propoſitio ſumma rerum ad laudes ejus pertinentium, duobus ſequentibus.

1 א [1] HAlelu-Jah. Celebrabo Jehovam ex
toto *a* animo, ב [2] in conſilio recto-
rum & cœtu;
2 ג [3] Magna opera Jehovæ, ד *b* expoſita o-
mnibus qui delectantur illis.
3 ה *c* Glorioſum & decorum opus ejus, ו &
juſtitiam ejus perſtantem in æternum.
4 ז [4] Memoriam [5] comparavit mirabilibus
ſuis, ח gratioſus & miſericors Jehova.
5 ט ‖ Eſcam dedit timentibus ſe, י recorda-
tus in ſeculum federis ſui.
6 כ [6] Vim operum ſuorum indicavit popu-
lo ſuo, ל dando eis poſſeſſionem gentium.
7 מ Opera manuum ejus *ſunt* [9] veritatis &
[10] judicii; נ [11] conſtantia omnia mandata ejus:
8 ס Fulta in æternum, in ſeculum; ע facta-
*que d* fideliter & rectè.
9 פ [12] Redemtionem mittens populo ſuo,
צ præcepit in ſeculum fedus ſuum, ק ſanctum
& reverendum *haberi* nomen ſuum.
10 ר *e* [13] Caput ſapientia *eſt* reverentia Je-
hovæ, ש *f* ſucceſſus optimus omnibus [14] faci-
entibus iſta: ת laus ejus perſtat in æternum.

a Heb. ordr. [2] i. privatim & publicè in Eccleſia. [3] epitheta quatuor operum Dei laudabilium his duobus verſibus continentur: quibus ex adverſo ſigillatim reſpondent narrationis membra, ℣. 4 & 5. b *Heb. quæſita, id eſt, adeo promta ut ea quærere, amplius non ſit opus. metalepſis, ſicut Jeſchah. 65, 1.* c *Heb. gloria & decor is.* [4] altera pars pſalmi, narratio, rerum divinitus collatarum in Eccleſiam Jiſraelitarum, uſque ad verſ. 9. & reciproci Jiſraelitarum erga ipſum officii, ut laudetur & ſanctificetur Deus, verſ. 9. [5] i. memorabilia opera & judicia exercuit, quum liberaret populū ex Ægypto. ‖ *Exod. 16.* 6 i. aluit populum quadraginta annis in deſerto. Quamobrem Propheta alimentum deſerti, & portionem ſingulis attributam proprio nomine appellavit prædam. [7] i. perpetuo ad fedus ſuum reſpiciens; non ad indigniſſima illorum murmura & rebelliones, quibus provocabant ipſum. [8] quæ duobus ſequ. verſibus exponitur. 9 erga pios qui veritatem amplectuntur. [10] in adverſarios. [11] i. ſtata, firma, quæ neque ab ipſo revocantur, neque ab ullo ſubterfugi poſſunt, atque hæc per hyſteroſin ſequente verſ. exornantur. d *Heb. cum fide & recto.* [12] i. quum Jiſraelitas tam mirifice liberaret (ut ſuprà dictum eſt) hoc officium erga ſe reſtipulatus eſt Deus: ut obſervatum eſt in verſ. 4. e *Heb. principium.* [13] concluſio per ὑστέρωσιν continens duas narrationis partes; unam, de officio noſtro ut revereamur Deum, freti promiſſione Dei fore ut ſecundet nos benedictionibus; alteram, de laudibus Dei in ſempiternum prædicandis, quibus pſalmus incipitur & clauditur. Eſt autem caput ſapientię non tantùm fons aut principium, ſed primaria & ſumma ſapientia; vide Deut. 4. 6. f *Heb. ſecundatio bona: ut accipitur Prov. 3. 4. & alibi, ubi boni nomen adjunctum eſt.* 14 nimirum quæ mandavit & ſtipulatus eſt Deus, & quæ hoc Pſalmo fuerunt expoſita.

## Psalmus CXII.

*Pſaltes pios hortatur ad laudationē Dei, propter felicitatem omnimodam quam largitur bonis.*

1 Pſalmus eſt genere quidem ἐπαινετικός, ut hoc principium oſtendit: ſed tamen verſatur totus in narratione felicitatis quam pii divinitus cōſequuntur. Conſtat itaque primùm hortatione ad laudem, his duabus vocibus, deinde narratione illius felicitatis uſque ad ver. 9. ac poſtremò antitheſi infelicitatis qua conficiuntur improbi, ℣. 9. & ultim.

1 [1] HAlelu-Jah. א [2] Beatus *a* quiſquis reve-
retur Jehovam, ב in mandatis ejus de-
lectatur valdè.
2 ג [3] Potens in terra futurum eſt ſemen e-
jus, ד generationi rectorum [4] benedicitur:
3 ה Opes & divitiæ in domo ejus, ו & [5] ju-
ſtitia ejus perſtat in æternum.
4 ז *b* [6] Micat in tenebris lux juſtorum; ח gra-
tioſus *eſt*, & miſericors & juſtus.
5 ט Bonus quiſque gratioſè largitur, & mu-
tuò dat; moderatur res ſuas [7] ex officio.
9 כ [8] Quia [9] in ſeculum non dimovetur; ל in
memoria *c* perpetua *eſt* juſtus.
7 מ A *d* rumore malo non timet, נ erecto *e*
animo ſuo confiſus Jehovæ:
8 ס Fultus animo ſuo non timet, ע [10] donec
videat *malum* in hoſtibus ſuis.
9 פ ‖ [11] Diſpergit, dat egentibus, צ juſtitia e-
jus perſtat in æternum: ק [12] cornu ejus eleva-
tur honore.
10 ר Improbus autem videns indignatur,
ש dentibus ſuis frendens contabeſcit; ת [13] de-
ſiderium improborum periturum eſt.

[2] prolepſis, id eſt, propoſitio ſumma narationis, exponens notas viri boni, nimirum reverentiā Dei & verbi ipſius; deinde una voce ſummatim felicitatem denuncians, quæ in ſequentibus explicatur. a *Heb. vir: ut infr. verſ. 5.* [3] explicatio felicitatis piorum, cujus partes à Propheta tres conſtituuntur, prima eſt, felicitas totius familiæ domeſtica, duobus verſibus; ſecunda, domeſtica felicitatis cum exteris communicatio, verſ. 4. & 5. tertia, conſtans animi ſecuritas ab omni malo, ℣. 6. 7. & 8. Conſtituitur autem hæc prima felicitas in genere, honore, opibus, & vita, ut Abrahamo fuerat factum Gen. 11. 34. [4] à Deo atque hominibus [5] i. juſtæ vitæ ſanctæque præmia: metonymia. b *Heb. in tenebris lux qua eſt rectis.* [6] i. ita circumfluit domi ſecundis rebus; (quæ lucis nomine in ſcriptura ferè appellantur) ut in alios calamitatibus preſſos gratioſè, miſericorditer, & juſtè profundat de benedictionibus ſuis. 7 tunc erga domeſticos, tum erga exteros quod officium luculenter exponit Paulus 2. Cor. 8. & 9. [8] ætiologia, ſive explicatio cauſæ cur in mediis calamitatibus proſperentur ſancti; ut dictum eſt verſ. 4. qua ratione tranſitur ad tertium felicitatis locum. [9] id eſt, dimovetur quidem; ſed non in perpetuum hæret, dejiciturque calamitatibus, ut loquitur Apoſtolus 2. Cor. 4. 8. & 6. 8. & ſequent. c *Heb. ſeculi.* d *Heb. auditione mala.* e *Heb. corde: ſic verſ. ſequent.*

10 i. ne tunc quidem metuit ſibi à malo, quū impendentes undique hoſtes ipſi minitantur male; ac proinde multo minus metuit, quum illos in ſuum ipſorum malum dejectos videt: id eſt, nunquam meruit. 2. Cor 9. 9. [11] concluſio narrationis, continens hoc verſu ſummam anacephalæoſin felicitatis juſtorum quæ modò dicta eſt. & antitheſin infelicitatis improbis obventuræ, verſ. ſeq. [12] id eſt, caput, ut 1. Schem. 2. 1. [13] i. improbæ cogitationes, conſilia, labores, & conatus in bonos irriti fient à Deo: ut Pſal. 146. 4.

## Psalmus CXIII.

*David Eccleſiam Dei provocat ad laudationem ejus propter majeſtatem, providentiam, & adminiſtrationem mirificam ac glorioſam ejus.*

1 [1] HAlelu-Jah. Laudate ſervi Jehovæ, lau-
date nomen Jehovæ.
2 [2] Sit nomen Jehovæ benedictum, *a* dein-
ceps uſque in ſeculum:
3 Ab ortu ſolis uſque ad occaſum ejus, *ſit*
laudatum nomen Jehovæ.
4 [3] Elatus ſuprà omnes gentes Jehova eſt,
[4] ſupra ipſos cælos gloria illius.
5 [5] Quis *eſt* par Jehovæ Deo noſtro? *b* qui
[6] altiſſimè habitat:
6 *c* Qui demiſſiſſimè perſpicit, in cælis & in
terra;
7 [7] Erigens è pulvere tenuem, è ſterquiliniis
elevans egentem,
8 Faciendo [8] ut conſideat cum ingenuis,
cum ingenuis populi ſui:
9 Faciens ut *d* ‖ quæ ſterilis erat in familia,
ſedeat mater liberorum læta. Halelu-Jah.

1 Pſalmus eſt ἐπαινετικός, primum hortationem ad laudandum Deum. hoc verſu, deinde laudationem, duobus ſequentibus; ac poſtremò laudationis argumenta reliquis continet. Videtur autem David hunc pſalmum exaraſſe, quum divinitus regnum accepiſſet, & publicum hoc beneficium cum domeſtico in Chanaam beneficio comparans canticum hoc cum illo conformaſſe quod habetur 1. Schem. 2.

[2] laudatio Dei amplificata circumſtantiis temporis & loci. q. d. in tempus infinitum infinitis locis. a *Heb. ex nunc & uſque.* [3] laudationis argumenta duûm generum, prius, eſt ab ipſa majeſtate Dei, hoc verſu; poſterius ab operibus inde ad finem uſque. 4 id eſt, ἐπουράνιος, ſupercæleſtis eſt. [5] tranſitio ad commendationem operum Dei per interrogationem: ubi explicantur infinitas providentiæ, potentiæque ejus duobus verſibus; & operum admirabilitas, reliquis. b *Heb. qui exaltat habitando: vide Gen. 2. 8.* [6] nimirum in cælis, ℣. ſeq. c *Heb. qui infimè demittit reſpiciendo.* 7 ut 1. Schem 2. 8. vide 2. Schem. 7. 8. [8] i. ut principatum obtineat; ſynecdoche. d *Heb. ſterilis familia.* ‖ 1. *Schem. 2. 5.*

## Psalm. CXIV.

*Propheta narrat admirabilem conſternationem rerum creatarum in adventu Dei cum populo ſuo; cauſamque conſternationis petens eas reſpondentes fingit, & omnem potentiam, gloriamque Deo tribuentes.*

1 [1] EXeunte Jiſraele ex Ægypto, familia Ja-
hakobi à populo peregrini ſermonis:
2 Fuit Jehuda ſanctitatis illius, Jiſrael do-
miniorum illius.
3 ‖ Ipſum mare [3] videns profugit, ‖ ipſe Jar
den divertit retrorſum.
4 ‖ Ipſi [4] montes ſubſilierunt velut arietes,
colles ut *a* ſubrumæ pecudes.
5 [5] Quid tibi *erat* ô mare, cur fugeres; ô Jar-
den, cur diverteres retrorſum;
6 O montes; *cur* ſubſiliretis velut arietes;
colles, velut ſubrumæ pecudes?
7 [6] A præſentia Domini *b* [7] intreme terra, à
præſentia Dei Jahakobi:
8 [8] Qui mutat ipſam rupem *in* ſtagnū aqua-
rum, ſaxum adamantinū in fontem aquarum.

1 Pſalmus eſt didaſcalicus, continens narrationem, quatuor verſibus, & doctrinam, totidem verſibus, petitam ex narrationis argumento.
[2] id eſt, Jiſraelitæ fuerunt populus Dei, & ille viciſſim Jiſraelitarum Deus, Exod. 6. 6. & 19. 6.
‖ *Exod. 14.*
[3] i. ſentiens ſuo modo: proſopopœja.
‖ *Jehoſch. 3. 14.*
‖ *Exod. 19. 18.*
[4] id eſt, juga montana Sinai.

a *Hebr. filii gregis, ſicut verſ. 6.* 5 dialogiſmus, quo per proſopopœiam mare, Jardenem, monteſque interrogat Pſaltes, duobus verſibus: ad quam interrogationem reſponſionis loco doctrina ſubjicitur, duobus alteris.
[6] reſponſio proſopopœetica terræ; cujus appellatione etiam aquæ ſynecdochicè continentur. b *Heb. parturientis more indoleſce.*
[7] i. ut tum ob præſentiam ejus intremuiſti, ita ſemper ejus præſentia afficitor.
[8] i. è rupe educit ipſos fontes: hyperbole, qua amplificat David hiſtoriam quæ legitur Exod. 17. 9. & Num. 20. 11. & ſequentibus.

## Pſalm. CXV.

*Eccleſia ſervari à Deo petit propter gloriã ipſius, & idololatras perdi, ſingulos ad fidem hortatur promiſſiones accommodat, & laudes Dei in hac vita ſe prædicaturum ſpondet.*

1 [1] NOn nobis Jehova, non nobis; ſed no-
mini tuo [2] da honorem, propter beni-
gnitatem tuam, propter fidem tuam.
2 Quare [3] diceret gentes, ubi *eſt* nunc Deus
iſtorum?
3 [4] Atqui Deus noſter [5] in ipſis cælis *eſt*, quic-
quid placet facit.
4 ‖ [6] Terriculis illarum argenteis & aureis,
operi manuum humanarum,
5 Os *eſt* eis, ſed non loquuntur; oculi *ſunt*
eis, ſed non vident:
6 Aures *ſunt* eis, ſed non audiunt; naſus *eſt*
eis, ſed non odorantur:
7 Manus eis ſed non palpant: pedes eis, ſed
non ambulant, non mutiunt gutture ſuo.
8 [7] Similes illis ſunt qui faciunt illa, quiſ-
quis confidit illis.
9 [8] Jiſraël confide Jehovæ; [9] auxilium ho-
rum & ſcutum horum eſt.
10 *Vos* [10] è familia Aharonis confidite Je-
hovæ, auxilium horum & ſcutum horum eſt.
11 [11] Timentes Jehovam confidite Jehovæ,
auxilium horum & ſcutum horum eſt.
12 Jehova [12] recordatus noſtri [13] benedicet:
benedicet familiæ Jiſraelis, benedicet familiæ
Aharonis:
13 Benedices timentibus Jehovam, parvu-
lis ſimul ac magnis.
14 *a* Augebit Jehova vos, vos & filios ve-
ſtros.
15 Benedicti eritis Jehovæ, [14] qui fecit cæ-
los & terram:
16 [15] Ipſi cæli, cæli *ſunt* Jehovæ; terraque,
*quam* dedit filiis hominum.
17 [16] Nõ qui mortui ſunt laudant Jah, neq;
quicumque deſcendunt in [17] locum ſilentii:
18 [18] Sed nos benedicemus Jah, deinceps
uſque in ſeculum. Halelu-Jah.

1 Pſalmus eſt generis mixti, continens primùm petitionem, ut gloriam ſuam vindicet Deus uſque ad verſ. 9. deinde prophetica documenta, à v. 9. ad 17. ac poſtremò concluſionem laudativã. Quem Pſalmum videtur conſcripſiſſe David, quũ ſuſcepto regno hoſtes populi debellaturus eſſet, aut ſingulare aliquod periculum impendere ab idololatris videretur.
2 i. effice quicquid noviſti nomini tuo fore honorificum, nõ propter nos; ſed propter naturam tuam promiſſionemque fœderis. Eſt autem hoc loco prolepſis ſive petitionis ſumma; ut Deus ſuis benefaciat tamquam ipſorum Deus; & avertens inimicorum ludibria omnipotentia ſua, inimicos Dei & populi ſui confundat, verſ. 8.
3 nimirum ſi desereres nos & illorum manibus exponeres. quaſi dicat, ludificarentur nos & blaſphemarent te. hæc eſt explicatio ſuperioris cauſæ ex abſurdo.
4 ſubjectio ad abſurdam iſtam blaſphemamque ludificationem hoſtium qua primum Deus verus aſſeritur, hoc verſ. deinde dii falſi non cum ipſo, ſed ne cum ipſis quidem hominibus aut ullo animalculo docentur comparandi eſſe, uſque ad verſum 8. neque à cultoribus eorum ampliùs quàm ab idolis ipſis metuendum. 5 i. ſupra omnia majeſtate, potentia, & opere omni loco in omnibus efficiente placita ipſius. ‖ *Pſal.* 135. 15.
6 ut 1. Sche. 31. 9. ἀντέγκλημα ſive recriminatio & tranſlatio criminis, quod idololatræ objiciunt Deo, in idola ipſa; cujus recriminationis argumenta ſunt hæc: primum ab effectu, quòd nihil ſunt niſi dolorifica, & moleſta ſuperſtitione animos humanos torquentia, non conſolantia & ſerventia ut Deus eſt: deinde à materia, quod (ut ſint pretioſiſſima) tamen res ſunt terreſtres atque inanimæ, Deus verò incorporeus in cælis habitat: ab origine, quòd manus humanæ ea pepererunt, quum Deus æternus contrà atque increatus nutu ſuo creaverit omnia: poſtremò quòd otioſa ſunt nulla vitæ facultate prædita; ſed potius ludicra tantùm viventium ſimulacra; Deus autem quicquid placet facit.
7 q. d. enervantur, adimunturque idolorum auctoribus cultoribuſque animi & ſenſus ipſi, ne gloriæ tuæ obſiſtere aut populo nocere poſſint.
8 ſecundus locus pſalmi, quo propheta pios ad fidem & hortatur in Deũ propter promiſſiones & opera ejus, tribus verſibus, deinde promiſſiones ſigillatim populo Dei accommodat, uſque ad verſum 7. 9 nimirum confidentium Jehovæ. 10 i. Sacerdotes & Levitæ, qui ſacerdotibus donati erant. Num. 18. & ſeq. 11 ex quacumque gente ad cognitionem & cultum Dei veniatis.
12 i. qui ſemper reipſa demonſtrat ſe rationem habere noſtri ex fœdere.
13 promiſſio univerſè dicta, quæ deinceps ſingulis membris accommodatur eodem ordine qui ſervatus eſt tribus præcedentibus verſibus.
a *Heb adjiciet Jehova ſuper vos ſuper vos, &c. ſi* Deut. 1. 11.
14 i. cujus benedictio pleniſſima eſt quum idem ſit auctor; conſervator & Dominus cælorum ſuorum, & terræ quam attribuit nobis.
15 ac proinde tuti ſunt benedictionis divinæ adminiſtri, ex præcedente verſ.
16 concluſio laudativa, qua exponit Pſaltes, quòd non morimur, id gloriæ Dei tribuendum eſſe; ac proinde vitam in gloria Dei eſſe occupandam. ut pſal. 7. 6.
17 ut pſal. 94. 17. 18 viventes nimitum atque liberati, quemadmodum antè petierat.

## Pſalmus CXVI.

*David deducta arca Dei Jeruſchalaima, amorem ſuum erga Deum profitetur beneficiorum acceptorum nomine: pericula ſua, fidem, & infirmitatem narrat; ſalutem Dei prædicat, ac poſtremo petit in eadem ſalute ſervari, ut Deum amplius prædicet.*

1 [1] SAt *a* habeo, quòd Jehova exaudit vocẽ
meam, deprecationes meas.
2 Quia inclinavit aurem ſuam mihi, idcir-
cò [2] diebus meis invocabo ipſum.
3 [3] Circũdantibus me [4] doloribus mortis,
angoribuſque ſepulcri obvenientibus mihi,
anguſtiam & mœrorem inveniens,
4 Si nomen Jehovæ invoco, *dicendo*; [5] ob-
ſecro Jehova, libera animam meam:
5 [6] Gratioſus Jehova & juſtus, Deus, inquã,
noſter *b* miſericors.
6 Servans [7] ſimplices Jehova; *c* quum atte-
nuatus ſum, mihi confert ſalutem.
7 [8] Redi anima mea in requiem tuã; quum
Jehova beneficus ſit erga te.
8 [9] Quandoquidem eripuiſti *d* me ipſum à
morte; oculos meos à lacrymis, pedem meum
à lapſu:
9 [10] Indeſinenter ambulabo coram Jeho-
va, in [11] regionibus viventium.
10 [12] Credidi quum *hæc* loquuturus eſſem;
ego fatuus fueram *e* ſupra modum,
11 Ego dixeram *f* [13] accelerando, [14] omnis
homo *eſt* mendax.
12 [15] Quid rependerem Jehovæ? omnia be-
neficia ejus *g* ſuperant me.
13 [16] Poculum *h* [17] omnis ſalutis *i* acceptum
*exhibebo*, & nomen Jehovæ prædicabo.
14 Vota mea Jehovæ rependens, *k* mox [18]
coram toto populo ejus, *dicendo*:
15 [19] Pretioſa *eſt* in oculis Jehovæ, mors in-
tentata iis quos ipſe benignitate proſequitur.
16 [20] Obſecro Jehova, cùm ego *ſim* ſervus
tuus, ſim ſervus tuus [21] filius ancillæ tuæ; ſol-
veris vincula mea:
17 [22] Tibi ſacrificem ſacrificium gratiarum
actionis, & nomen Jehovæ prædicem:
18 Vota mea Jehovæ perſolvam, mox co-
ram toto populo ejus,
19 [23] In atriis domus Jehovæ, in medio ve-
ſtri, Jeruſchalaima Halelu-Jah.

1 Pſalmus eſt didaſcalicus: in quo David ad regnum evectus cõtexit primum exordium prolepticum, ℣. 1. & 2. tum narrationem fidei ſuæ & amoris erga Deũ ab exemplo anteactæ vitæ ſuæ, uſque ad verſ. 12. deinde propoſitionem conſilii ſui de omni officio ac pietate erga Deum exercenda in Eccleſia, tum præteritorum beneficiorum, tum futurorum nomine: inde ad finem uſque: quæ in exordio per prolepſin omnia proponuntur, verſ. 1. poſtremò Concluſionem ὀλικὴν, verſib. 4. ultimis. Hebræum autem verbum diligenter exponimus ſat habere, ut Græci ἀγαπᾶν dicunt, quia reſpondent hæc verba illi loco Pauli, ſufficit gratia mea, &c. 2. Corint. 12. 9.
a *Heb. diligo: nã exaudit Jehova: trajectio.*
2 afflictionis meæ; ut ſequens verſus explicat: ſic infrà pſalm. 137. 7. & Lament. 1. 21.
3 ut 2. Schem. 22. 5. & 6. pſal. 18. Eſt autem hæc narratio ſecunda pars pſalmi, qui Propheta inverſo ordine exponit ſecundum membrũ exordii, id eſt, conſtitutionem animi ſui, quum eſſet in anguſtiis. 4 ut Pſal. 18. 5. 5 Tria narrantur in hac conſtitutione, primum orationis ſumma, hoc verſu; deinde fides & fidei argumenta uſque ad verſum 10. ac poſtremo infirmitas & perturbatio humana animi, verſ. 10. & 11. 6 explicatio illius fidei certiſſimæ, qua David ad Deum orandum & ſeipſum adductus eſt: ubi primum naturam officiumque Dei erga fideles omnes & ſeipſum nominatim explicat ad confirmandum ſe, duobus verſibus; deinde animũ ſuum confirmat ab acceptis beneficiis, in ſpe ſalutis præſentis vitæ, tribus ſequẽtibus, poſtremò hanc orationem & exſpectationem, fructus eſſe fidei ſuæ oſtendit, principio ℣. 10. b *Heb. miſerans.* 7 eos qui humanis conſiliis deſtituuntur, ab iis abſtinent, animoque ſimplice ſe committunt Deo. c *Heb. in attenuare meo.* 8 i. ne amplius eſto perturbata; ſed conquieſcito in Deo propter naturam & beneficentiam ejus. 9 confirmatio beneficentiæ Dei ab anteacta experientia, quæ enunciatur per apoſtrophen ad Deum, ut ſit emphaticotera, id eſt, non tantùm mortem; verum etiam dolores & impedimenta avertiſti à me, quæ dolorem fuiſſent allatura: gradatio. d *Heb. animam meam.*
10 id eſt, non peribo ab hoc periculo; ſed pro certo habeo me ſuperſtitem evaſurum, ad gloriam Dei in hac vita procurandam.
11 id eſt, terra: periphraſis. 12 i. tum demum vigebat & triumphabat fides in animo meo, quum Deum hac ratione & meipſum his argumentis compellaturus eſſem quæ modò dicta ſunt. Sic tranſit ad tertium locum, quò confitetur infirmitatem ſuæ carnis repudiantem promiſſiones Dei, niſi ſpiritus Dei fidem ſuſtentaſſet in ſpiritu ejus. e *Heb. valde.* f *Heb in accelerare meo.*
13 i. quum præceps raperet in perturbationes carnis; ut accipitur pſal. 31. 23.
14 i. nunc demum video Schemuelem non Dei ſpiritu prophericè, ſed ſuo ſenſu humanitus ac mendaciter loquutum eſſe, quum me ad regnum Jiſraelis indicaret perventurum eſſe. ſic David ex infirmitate non Deum quidem apertè, ſed Schemuelem perſtringebat: quaſi Dei voluntatẽ non ſatis exploraſſet Schemuel & tranſſiliiſſet modum vocationis ſuæ. 15 tertia pars pſalmi, propoſitio cõſilii; cujus conſulatio hoc verſu habetur, definitio verò ſequentibus.
g *Heb. ſunt ſupra me.* 16 definitio hujus conſultationis duas partes continet: unam, officii præſentis, duobus verſibus; alteram: cauſæ, ℣. 15. Ac officii leges ponuntur, publica profeſſio nominis Dei, & prædicatio beneficiorum ejus in Eccleſia, duobus verſ. Senſus eſt, holocauſtis & euchariſticis oblatis Deo, epulum ſacrũ populo faciam ad recordationem multitariæ ſalutis quam percepi à Deo: ut narratur feciſſe 1. Chron. 16. & ſequen. h *Heb. ſalutem.*
17 i. gratiarum actionis de omni ſalute quam Deus in me contulit.
i *Heb ſumam.* k *coram mox toto:* σύγχυσις *ut v.* 8.
18 id eſt, omnibus Jiſraelitis, quos congregaverat Jeruſchalaima ad deducendum arcam Jehovæ, 1. Chron. 15. 3. 19 id eſt, Deus meo & exẽplo demonſtravit quàm ſibi ſit chara vita fidelium, qui meam toties, tot modis, tantiſq; viribus appetitam conſervavit. Μετάβασις ad concluſionẽ. 20 Concluſio ὀλικὴ, ut ſibi conſcio divinæ erga ſe gratiæ liceat ſemper in Dei cultum incumbere.
21 vide ſuprà pſal 86. 16.
22 i. agnoſcam & profitear te. 23 i. in Eccleſia.

Pſal.

## Psalmus CXVII.

*Pſaltes hortatur gentes, ut regnum Chriſti celebrent.*

1 LAudate Jehovā ‖ omnes gētes, laudationibus cōmendate eum omnes nationes:
2 Quia invaluit erga nos benignitas ejus, & fides Jehovæ in ſeculum. Halelu-jah.

1 Ode eſt [illegible] provocās omnes gentes ad agnoſcēdum regnum Chriſti, propter benignitatem, & veritatem, ac conſtantiam promiſſionum ejus, quæ ex mera ipſius benignitate profectæ ſunt. ‖ Rom. 15. 11.

## Psalmus CXVIII.

*David typus Chriſti Eccleſiā ad Dei laudes prædicandas hortatus, ſuo exemplo commendat liberationes ejus & ſuam fidem, eum tum ſuis, tum Eccleſiæ totius verbis celebrat: figurat Eccleſiā euntem in templum gratias agentem Deo, precantem in futurum, & Sacerdotes Eccleſiæ benedicentes ſacrificiáque imperantes, omnes denique Deum laudibus efferentes.*

1 [1] CElebrate Jehovam, quia bonus eſt; quia in ſeculum benignitas ejus.
2 Dicat nunc Jiſrael, eſſe in ſeculum benignitatem ejus.
3 Dicant nunc *a* qui ſunt ex [2] familia Aharonis, eſſe in ſeculum benignitatem ejus.
4 Dicant nunc timentes Jehovæ, eſſe in ſeculum benignitatem ejus.
5 [3] Ex ipſo angore invocavi Jah, reſpondēs *collocavit* me in lato Jah.
6 Jehova *adeſt* mihi, non timebo, quid faciat mihi homo.
7 [4] Jehova adeſt mihi cum auxiliatoribus meis: ideò ego [5] deſpicio oſores meos.
8 Melius *eſt* recipere ſe ad Jehovam, quàm fiduciam habere in ullo homine.
9 Melius *eſt* recipere ſe ad Jehovam, quàm fiduciam habere [6] in ingenuis.
10 [7] Omnes gentes circumdederant me; *b* ſed in nomine Jehovæ enervavi eas.
11 *c* Etiam atque etiam circumdederant me; ſed in nomine Jehovæ enervavi eas.
12 Circumdederant me [8] tamquam apes, exſtinctæ ſunt ut [9] ignis ſpinarum: nam in nomine Jehovæ enervavi eas.
13 *d* [10] Grauiter impuleras me ut caderem, ſed Jehova auxilio fuit mihi.
14 ‖ Robur meum & carmen Jah, is fuit mihi ſaluti.
15 [11] Vox cantus & ſalutis *eſt* [12] in tentoriis juſtorum; *dicens*, dextera Jehovæ agit ſtrenuè:
16 Dextera Jehovæ elata, dextera Jehovæ agit ſtrenuè.
17 [13] Non moriar, ſed vivam, ut enarrem opera Jah.
18 *e* [14] Severè caſtigavit me Jah; ſed morti non tradidit me.
19 [15] Aperite mihi [16] portas juſtitiæ, *ut* ingreſſus per eas celebrem Jah.
20 [17] Hæc ipſa porta ad Jehovam, per quam juſti intrant.
21 [18] Celebrabo te; [19] quia exaudiens me, fuiſti mihi ſaluti.
22 [20] Quem lapidem [21] ſpreverant ſtructores, is eſt in caput [22] anguli.
23 A Jehova eſt [23] hic, eſtque mirabilis in oculis noſtris.
24 Hac ipſa die [24] effecit Jehova; exſultemus & lætemur in ea.
25 Obſecro Jehova, ſerva nunc; obſecro Jehova, proſpera nunc.
26 [25] Benedictus *eſt* qui venit in nomine Jehovæ; benedicimus vobis [26] è domo Jehovæ.
27 *Dei* fortis Jehovæ, [27] qui illuſtravit nos; ligate ſacrificia feſti funibus, [28] uſque ad cornua altaris.
28 [29] *Deus* fortis meus es, ideò celebrabo te; Deus meus, exaltabo te.
29 Celebrate Jehovam, quia bonus *eſt*: quia in ſeculum benignitas ejus.

1 Ode eſt [illegible], continens exordium [illegible] ad laudes tribuendas Deo, quatuor verſibus; propoſitionem argumentorum ad laudes Dei pertinentium à ſingulari exemplo Prophetæ & communi Eccleſiæ, inde ad 19. narrationē cauſæ ex qua ad membra ſingula & univerſum Eccleſiæ corpus illa ſalus optatiſſima pervenit, inde ad verſ. 28. poſtremò cōcluſionem laudativam convenientem cum principio pſalmi, duobus ultimis. Videtur autem David Pſalmum hunc conſcripſiſſe, quum ſuperatis aliis gentibus à poſtrema ſua expeditione in Hammonitas reverteretur, 2. Sam. 12. 26. & ſequen. a Heb. *familia*. 2 vide ſuprà pſalm. 115. 10. 3 ſecunda pars, propoſitio exempli cùm ſingularis ſui, tum etiā publici. Singularis in ſumma duo ſunt loci; unus, de liberationibus perceptis, hoc verſu; alter, de fide & conſtantia Dei, ac præſtantiſſima fiducia Davidis in promiſſiones illius; qui loci per prolepſin his duobus verſ. poſiti deinceps explicantur. 4 ἐργασία ſecundi loci prolepſeos de divina fide & Prophetæ fiducia, tribus verſibus; cujuſmodi fiducia prædicatur Pſalm. 3. & 27. & alibi. 5 id eſt, ſecutus, ac non trepidus in eos reſpicio. 6 id eſt, etiam in potentibus multis: gradatio. 7 ἐργασία prioris loci prolepſeos de liberationibus à Deo acceptis, per ὑστερογον Hebræis frequentiſſimam; continens brevem narrationem impetuum quos ab hoſtibus pertulit, & victoriarum quas ipſi attulit gratioſe Deus, uſque ad verſum 15. b Heb. *in nomine Jehova ſed &c. ſic duobus verſ. ſeq. trajectio.* c Heb. *circumdederant me etiam circumdederant me.* 8 id eſt, plurimis ac confertis agminibus circumquaque, ut Deut. 1. 44. 9 id eſt, quàm ocyſſimè velut in fumum abierunt, & inanes effecti ſunt: ut Eccleſiaſt. 7. 6. d Heb. *impellendo impuleras.* 10 apoſtrophe ad hoſtem unumquemque: in qua Davidi tum jus victoriæ ſuæ explicat; quòd ab hoſtibus grauiſſimè laceſſitus eſſet, tum ſalutem Dei opponit irritis omnium conatibus. ‖ Exod. 15. 2. 11 alterum propoſitionis membrum de publico Eccleſiæ officio, ut antè diximus in verſum 1. & 5. 12 id eſt, in urbe populi Dei, & habitationibus Jiſraelitarum gratulantium Deo & regi. 13 ut conſpirauerant hoſtes; quemadmodum ipſe de Peliſchthæis docet pſalmo 9. 7. e Heb. *caſtigando caſtigavit.* 14 q. d. Dei quidem conſilium fuit, ut me inimicorum opera caſtigaret; ſed inimicorum contra ut profligarent me, quod non permiſit Deus, ſic Jeſchah. 10. 6. & 7. Zecar. 1. 14.

15 tertia pars dialogiſtica narratio cauſæ qua ſalus ad Eccleſiā pertinet: cujus partes ſunt, aditus in domum Dei, duob. verſibus; oratio Eccleſiæ ad Deum, uſque ad verſ. 26. & poſtremò oratio Dei ad regem & populum per ſacerdotes ſuos, verſ. 27 & 28. 16 ſ. domus Dei, quam ſoli ingrediuntur juſti Dei juſtiſſimum adeuntes, ut ſequens verſus exponit. Eſt autem hic ſermo populi quærentis aditum in domum Dei, cui reſponſionē ſubjicit Deus ſequente verſu. 17 Chriſtus adūbratus porta, Joan. 10. 18 oratio populi conſtans ex prædicatione beneficiorum Dei, tribus verſibus, & precatione, verſ. 25. 19 primum beneficium ſingulare ut ſup verſ. 5. 20 ſecundum beneficium publicum pertinens ad regem, hoc verſu; totumque regnum, ſequen. quod typice in Davidis perſona ſtabilitum, perfectè, & abſolutè inſtitutū eſt in Chriſto & in Eccleſia: ut ipſe Chriſtus accommodat, Matth. 21. 42. & alibi. Lapis enim eſt typicus David, cui vetus Eccleſia tamquam lapidi diatono ſive frontato incubuit: verus autem lapis Chriſtus, in quo totum ædificium congruenter coagmentatum creſcit, ut ſit templum ſanctum domino, Ephes. 2. 20. 21 i. proceres in populo Dei, tum Schaulis temporibus, tum etiam Iſchboſcheti, ſi Davidem reſpiciamus: ſin autem Chriſtum; ſacerdotes & alii omnes, qui ex officio exſtruere Eccleſiam, non deſtruere debuerunt. 22 i firmamentum ſive fundamentū totius Eccleſiæ coagmentatæ in Chriſto, prout figurate Juda & Jiſrael coaluerant in Davide. 23 videlicet angulus, i. conſtructio & coagmentatio Eccleſiæ. 24 nimirum ſalutem regi & regno, ut coaleſcerent & firme conſtringerentur. 25 tertia pars gratulationis, ut obſervatū eſt in verſum 19. continēs ſacerdotum verba omnibus benedicentium ex officio Deut. 10 8 & ſacrificia imperantium. 26 i. à Jehova, quem veſtro nomine accedimus, & cujus nomine benedictionē vobis denunciamus depromtam ex theſauro ipſius, Num. 6 27. 27 i. perfudit nos hac proſpera & glorioſa victoria: ſic enim lux apud Hebræos proſperitatem & lætitiam ſonat: ut Eſther 8 16. 28 i. in toto atrio confertim; nam ulteriùs tranſire populo nefas erat. 29 concluſio à laudatione Dei ſingulari & publica, quæ adhibebatur quum iſta euchariſteria offerrentur Deo.

## Psalmus CXIX.

*David in graviſſimo ſuo exſulio ſe ipſū hoc Pſalmo conſolans, felicitatem piorum in ſtudio, fide, & obſequio voluntatis Dei poſitā eſſe docet: idcoque in notitia illius, ſtudio, fide, & obſequio informari à Deo petit; & ab omnibus impedimentis ſuæ carnis, peccati, mundi, ſatanæ hoſtiumque omnium conſervari: ac poſtremò ſibi de tota anteacta vita, & æquitate cauſæ bene conſcius, Deo ſeipſum & reliquæ vitæ ſuæ adminiſtrationem commendat ad gloriam ipſius & ſalutem ſuam.*

### Aleph

1 [1] BEati integri [2] viâ, qui ambulant in lege Jehovæ:
2 Beati cuſtodientes teſtimonia ejus, ex toto *a* animo quærentes eum:
3 *Qui* etiam non operantur iniquitatem, *ſed* in viis ejus ambulant.
4 [3] Tu præcepiſti mandata tua, obſervari valdè:
5 Utinam [4] comparentur viæ meæ, ad obſervandum ſtatuta tua:
6 Tunc non erubeſcam, quum [5] intuebor in omnia præcepta tua.
7 *Sed* celebrabo te *b* recto animo, diſcendo jura juſtitiæ tuæ:

1 Pſalmus eſt generis mixti, continēs promiſcua documenta & preces in ſingulis ogdoadibus; quæ ordine alphabetico à Davide conſcriptæ ſunt ad inſignem Pſalmi doctrinam notandam, & facilius memoria complectēdam: ut obſervatum eſt ſup. Pſalm. 111. 1. Continet autem hæc prima ogdoas, integrum totius pſalmi argumētum, nimirum theſin ſive propoſitionem generalem de felicitate b notum obſequentium Deo, tribus verſibus; deinde hypotheſin ſive accommodationem ſingularem ad perſonam ſupplicis, quinque cæteris. 2 i. inſtituto vitæ, quum illa præceptis Dei conformatur, tum animo, ſeq. verſu, tum factis verſ. 3. ſic etiam infrà iter & ſemita appellatur. a Heb. *corde. ſic deinc.* 3 tranſitio ad hypotheſin; in qua Pſaltes primum voto ſe commendat Deo, ſeq. verſu, dein de conſtantiam, gratias, obſequium ſpondet, ſeq. 4 i. providentia tua diſponantur omnia quæ ad vitam meam bene inſtituendam pertinent, hoc verſu; & ego ipſe cōſerver à te ℣. 8 5 i. recognoſcam & tenebo illa, edoctus à te. b Heb. *rectitudine cordis.*

8 Statuta tua obſervabo,[6] ne derelinquas me [7] admodum.

[6] id eſt, adſis & cuſtodias; ut dictum eſt in verſ. 5. litotes. [7] id eſt, adeò ut à te deſertus maneam.

## Beth

9 [1] *a* Quomodo [2] purificabit [3] puer ſemitam ſuam? obſervando *eam* ſecundùm verbum tuum.

10 [4] Ex toto animo meo [5] quæro te, ne ſinas me errare [6] à præceptis tuis.

11 In animo meo recondo ſermonem tuum, ut non peccem *b* in te.

12 Tu benedicte Jehova, doce me ſtatuta tua.

13 [7] Labiis meis recenſeo omnia jura oris tui.

14 De via teſtimoniorum tuorum gaudeo, ut ſuperiorum omnibus opibus:

15 De mandatis tuis meditor, & intueor ſemitas tuas:

16 In ſtatutis tuis me ipſum oblecto, non obliviſcor verbi tui.

[1] hac ſecunda ogdoade primū διαλογισμῷ: Propheta exponit ſummam ſuperioris theſis, ỷ. 9. deinde rationes vitæ ſuæ cōparat cum hac regula, & committit Deo. a Heb. in quo. [2] i. vitam beneficio Dei purgatam per remiſſionem peccatorum, vindicare à novis peccati ſordibus & puram ſervare poterit. [3] i. filius & ſervus Dei, quiſquis eſt. [4] propoſitio inſtituti ſingularis, quo propheta uſus eſt in animo ſuo informando; quòd beatorum attributum eſt, ſup. ỷ. 2. Duo itaque continet; petitionem à Deo ut ſervi ſui ſtudia promoveat, & narrationem ſtudii ſui. [5] ſecundum verbum tuum, quod partim accepi & recondi in animo meo, verſ. 11. partim ampliùs doceri peto, verſ. 12. [6] quâ viâ tu quærēdus & cōſequēdus es. b Heb. tibi. [7] altera pars ogdoadis; expoſitio ſtudii, qua David oſtēdit ſe boni & fidelis diſcipuli officiū facere.

## Gimmel

17 [1] Beneficium confer in ſervum tuum; *ut* dum vivo, obſervem verbum tuum.

18 Retege oculos [2] meos, ut intuear mirabilia ex lege tua.

19 [3] Peregrinante me in hac terra, ne abſcondas à me præcepta tua.

20 *Nam a* comminuor ipſe, ob deſiderium erga jura tua omni tempore.

21 *Tu qui* [4] perdis ſuperbos, maledictos; qui errant à præceptis tuis;

22 Devolve à me opprobrium & contemtum, [5] quia teſtimonia tua cuſtodio:

23 [6] Tum conſidentibus principibus, de me ſermones frequētantibus; ſervus tuus meditatur [7] de ſtatutis tuis:

24 Tum teſtimonia tua oblectationes meæ *ſunt*, *b* conſiliarii mei.

[1] tertia ogdoas eſt δεκτική, in qua per prolepſin beneficētia Dei imploratur, verſ. 17. deinde partes ejus duæ nominatim petuntur; una, ut Deus ipſum ab infirmitatibus & impedimentis naturę inhærentibus liberet, tribus verſibus; altera, ut liberet ab adventitiis malis, quibus piorum animos oppugnat mundus, quatuor verſibus. [2] i. mentis meæ, q. d. explica me ex ignoratione mea. [3] i. quādiu vivo peregre à Domino, 2. Cor. 5. 6. a Heb. comminuitur anima mea. [4] altera pars ogdoadis. petitio ut Deus ſeruum ſuum à contumelioſis liberet, & adverſus mundi impetus confirmet: quam petitionem confirmat Pſaltes argumento à juſtitiâ Dei, hoc verſu. q. d. tu ſemper juſtè peſſum dediſti ſuperbos & tibi conſtas in judiciis tuis; iam itaque mihi hoc ipſum beneficium præſta. [5] i. quibus eo nomine ab iſtis afficior, quia teſtimonia tua &c. [6] amplificatio ſuperioris petitionis à conſtante ipſius officio erga legem Dei. [7] nimirum neglecto fortiter ipſorum probro & contemtu. b Heb. homines conſilii mei.

## Daleth

25 [1] Adhæret pulveri *a* vita mea: vivum ſerva me ſecundùm verbum tuum.

26 [2] Vias meas recenſentem exaudiviſti me; doce me ſtatuta tua.

27 Fac ut viam mandatorum tuorum intelligam ut mediter de mirabilibus tuis.

28 [3] Stillat anima mea præ mœſtitia, erige me ſecundùm verbum tuum.

29 [4] Viam falſitatis amove à me, & legem tuam gratioſè largire mihi.

30 Viam veritatis eligo, judiciorum tuorum propono *mihi*.

31 Inhæreo teſtimoniis tuis Jehova, [5] ne ſinas me erubeſcere.

32 Viam præceptorum tuorum percurram, quum [6] dilataveris animum meum.

[1] i. dejectus & proſtratus ſum calamitatibus: metaphora. Eſt autem quarta ogdoas δεκτική, qua Pſaltes primùm precatur ſe illuſtrari & regi verbo Dei, quatuor verſ. deinde adverſantia verbo Dei deprecatur. Precatur autem argumentis ſumtis à præſente malo, hoc verſu; à præcedentibus Dei beneficiis, ſequente; poſtremò à ſtudio animi ſui flagrātiſſimo; verſu 27. & 28. a Heb. anima mea. [2] id eſt, quum me, calamitates meas, animum meum, & vitæ inſtitutum exponens, tuæ fidei committerem. [3] i. velut liquefacta contabeſcit, adeo in lacrymas effundor: hyperbole. [4] i. ignorationem veræ doctrinæ quæ mihi à natura hæret, lege tua per gratiam adime, his duobus verſibus, & libera infirmitate vitæ, ut in veræ doctrinæ fide & prompto obſequio ambulem; duobus aliis. [5] id eſt, eo infirmitatis projabi atque decidere, ut mihi probroſa ſit vita mea. [6] i. anguſtum & tenuem ſpiritum meum ampliaveris & donorum tuorum capacem effeceris, propter quorum tenuitatem nunc mœrore conficitur: ſic vocatur amplitudo animi, 1. Reg. 4. 28.

## He

33 [1] Doce me; Jehova, viam ſtatutorum tuorum; quam cuſtodiam [2] in finem *uſque*.

34 Fac ut intelligam, ut cuſtodiam legem tuam; obſervemque eam ex toto animo.

35 Fac ut incedam itinere præceptorum tuorum; nam eo delector.

36 Flecte animum meum ad ſtatuta tua, [3] neque *ſinas deflecti* ad quæſtum.

37 [4] Averte oculos meos, ne [5] reſpiciant vanum; in viis tuis fac ut vivam.

38 Præſta ſervo tuo ſermonem tuum, qui *addictus eſt* reverentiæ tui.

39 Averte [6] opprobrium meum, quod reformido; quia jura tua bona *ſunt*.

40 [7] Ecce deſidero mandata tua, in juſtitia tua fac ut vivam.

[1] quinta ogdoas in ſuperiore petitione pergens; qua primùm inſtitui & informari petit in bono, quatuor verſibus; deinde impedimenta deprecatur, reliquis quatuor. [2] i. tota vita; ſic infra verſ. 112. [3] tranſitio ad deprecationem ſequentē, propoſita una ſpecie quæ maximè familiaris eſt, ut conſcendatur ad genus proxime ſequente verſu. [4] i. ſtudia animi mei avoca ab iis rebus quæ hominibus videntur expetendæ & ſuſpiciendæ, duobus verſibus, & ab omni maleficio libera. quaſi dicat, rege & confirma animum, vitamque meā. [5] i. ad res vanas ſe convertant, abducti à voluntate tua. [6] i. malum quod bono juri tuo adverſatur, ac proinde jam metuo; deinceps verò probroſum mihi futurum eſſet: ut ſup. dixit verſ. 31. [7] concluſio ſumma petitionis, qua tranſitur ad votum ſequentis ogdoadis.

## Vau

41 [1] Quumq; obvenerint mihi [2] benignitates tuæ, Jehova; ſalus tua ſecundùm ſermonem tuum:

42 Reſpondebo probro afficienti me [3] rem; quia fiduciam habeo in verbo tuo.

43 Sed ne abripe ab ore meo verbū [4] *a* verum admodū: quādoquidē jura tua exſpecto:

44 Et obſervabo legem tuam jugiter, in ſeculum & ſempiternum:

45 Indeſinenterque ambulabo [5] in ipſa latitudine, quia mandata tua quæro:

46 Et loquar de teſtimoniis tuis coram regibus, neque erubeſcam:

47 Et me oblectans in præceptis tuis, quæ diligo,

48 [6] Attollam manus meas ad præcepta tua quæ diligo, & meditabor de ſtatutis tuis.

[1] ſexta ogdoas εὐαγγελική, id eſt, promiſſionē continens ſive votū grati animi erga Deum, acceptorum beneficiorum nomine. Conſtat autem profeſſio hæc primùm libera declaratione apud adverſarios per ſpiritum Dei, verſ. 41. & 42. deinde vitæ integritate & proteſtatione apud omnes, tribus ſequent. ac poſtremo ſancto ac pio uſu apud Deum cum animo ſuo v. 47. & 48. [2] quas ego ſupra petii, & tu promiſiſti. [3] i. non diſſimulabo; ſed ita planè ut ſe res habuerit eloquar. [4] id eſt, veriſſimum: periphraſis. a Heb. veritatis admodum. [5] i. magna, & regia ſive conſulari via: metaphora. [6] i. avidè manum admovens excipiam evolvam & perveſtigabo mandata tuā: metaphora.

## Zajin

49 [1] Recordare verbi cum ſervo tuo *habiti*, de quo ſpem feciſti mihi.

50 [2] Hæc *eſt* conſolatio mea in afflictione mea: ſermonem tuum vivificare me;

51 Superbis deridentibus me admodum, à lege tua me non declinare:

52 Recordari judiciorum tuorum inde à ſeculo, Jehova; & meipſum conſolari:

53 [3] Procella prehendente me ab improbis deſertoribus legis tuæ.

54 Pſallendi argumenta eſſe mihi ſtatuta tua, [4] in loco peregrinationum mearum;

55 Recordari me noctu nominis tui Jehova, & obſervare legem tuam.

56 Hæc *conſolatio* eſt mihi, me mandata tua cuſtodire.

[1] Septima ogdoas primum petitionē gratiæ Dei continet, ỷ. 49. deinde documentum & expoſitionē animi ſui conſtantis. 7. reliquis. De hoc autem recordādi verbo vide Gen. 8. 1. [2] narratio animi conſolationem percipientis tum ex promiſſionibus Dei pios confirmantibus, conſolantibus, & recreantibus. 6. verſibus, tum ex teſtimonio bonæ conſcientiæ. [3] puta celertima graviſſimáque procella; metaphora: vide pſalm. 11. 6. [4] i. ubicumque locorum verſer in terra; periphraſis terræ: vide Gen. 47. 9.

## Cheth

57 [1] Portio mea *es* Jehova; [2] dico; ut obſervem

[1] octava hæc ogdoas tertium conſolationis locum explicat; nimirum orationem animi freti promiſſionibus Dei, & ad ipſius gratiam in ſua infirmitate confugientis. Continet itaque primum petitionem gratiæ fundatam promiſſione Dei, & ſeq. verſ. deinde explicationem & accommodationem duarum partium quæ promiſſione continentur, nimirum profeſſionem officii quod à nobis ſtipulatur Deus, à ỷ. 59. ad 64. & petitionem beneficii promiſſi, ỷ. 64. [2] recolens nempe te dixiſſe, ego ſum Deus tuus; continenter ambula coram me; &c. Geneſ. 17. 1.

ſervem

ſervem verba tua.

58 [4] Deprecor faciem tuam ex toto animo, gratiam fac mihi ſecundùm ſermonē tuum.

59 [5] Reputo vias meas, ut [6] referam pedes meos ad teſtimonia tua.

60 Feſtino ac non cunctor, obſervare mandata tua.

61 Turbis improborū diſpoliantibus me; legis tuæ non obliviſcor.

62 Media nocte ſurgo ad celebrandum te, propter jura juſtitiæ tuæ.

63 Socius ſum omnibus qui reverentur te, & obſervantibus mandata tua.

64 [7] Benignitatis tuæ, ô Jehova, plena eſt terra; ſtatuta tua doce me.

[3] conſcius videlicet imbecillitatis meæ. [4] i. præſta promiſſionem propter verbum tuum in Chriſto, non habita ratione infirmitatis meæ. [5] i. contendo ad præſtandā ſtipulationē tuam pro tenuitate mea: ſic explicatur ſecunda pars verſus primi, verſibus quinque. [6] id eſt, redeam ad obſequium tuum, abs quo natura defeceram; deponámq; veterem hominem cum concupiſcentiis ejus; & novum induam. [7] petitio, ut Deus tenuitatis miſertus promiſſionem præſtet; ad quam adhibetur argumentum à beneficentia Dei in res omnes creatas.

## Tet

65 [1] Bono affeciſti ſervum tuum Jehova, ſecundùm verbum tuum.

66 Præſtantiam rationis & ſcientiæ doce me: nam præceptis tuis credo.

67 [2] Quum nondum loquerer, ego errabam: nunc autem ſermonem tuum [3] obſervo.

68 Bonus es & beneficus, doce me ſtatuta tua.

69 [4] Concinnantibus contra me falſitatem ſuperbis, ego ex toto animo cuſtodio mandata tua.

70 [5] Obeſatur quaſi adipe cor illorum, ego lege tua oblecto me.

71 Bono mihi fuit me affligi, ut diſcerem ſtatuta tua.

72 Melior eſt mihi lex oris tui, multis millibus *nummûm* aureorum & argenteorum.

[1] nona ogdoas ſimiliter ἀκέφαλος: cōtinet petitionem documentorum Dei, primū ab anteacta ipſius beneficentia erga ſupplicem, hoc ℣. deinde à perſona ſupplicis fidem offerentis & indignitatem ſuā confitentis, duobus ſeq. tertio à natura Dei, ℣. 68. poſtremò à bona cōſcientia, reliquis verſib. [2] i. inde ab ortu meo ſum peccator, alienus à lege tua, & filius iræ; ſed fide teneo promiſſiones tuas in animo meo: ſic Pſalm. 51. 7. [3] nimirum animo; ut Gen. 37. 11. [4] explicatio bonæ conſcientiæ, quæ non tantùm immota eſt à calamitatibus, hoc & ſequente verſ. verùm etiam per illas augeſcit in notitia & ſtudio voluntatis Dei, duobus reliquis. [5] i. magis ac magis in dies induratur, metaphora ſic Jeſchah. 6. 10.

## Jod

73 [1] Manus tuæ fecerunt me & aptaverunt me: redde me intelligentem, ut diſcam præcepta tua.

74 Timentes tui videant me & lætentur, quod in verbo tuo exſpectationem habeam.

75 Agnoſco Jehova, *a* juſta eſſe judicia tua: & te [2] in fide afflixiſſe me.

76 Adſit jam benignitas tua, ut conſoletur me, ſecundùm ſermonem tuum *habitum* cum ſervo tuo.

77 Obveniant mihi miſericordiæ tuæ ut vivam: quia lex *eſt* *b* omnis oblectatio mea.

78 Erubeſcant ſuperbi, quòd *c* falſis de cauſis pervertant me; meditante me de mandatis tuis.

79 [3] Convertantur ad me timentes tui, & cognoſcentes teſtimonia tua.

80 Erit animus meus integer in ſtatutis tuis, ut [4] non erubeſcam.

[1] decima ogdoade ſimiliter ἀκέφαλος David inſtitui à Deo petit, primum propter gloriā Dei, quæ tum in ſalute creaturæ illuſtris futura eſt coram omnibus bonis, duobus ℣. tum in præſtatione promiſſionum ejus; ℣. 75. & 76. ſecundò à perſona ſua, ℣. 77. tertio à perſona adverſariorū, ℣. 78. poſtremò à perſona bonorum, v. 79. quæ omnia deinde promiſſione animi grati concluduntur. *a* Heb. *juſtitiam.* [2] id eſt, juſtè, ac non præter verbum tuum. *b* Heb. *oblectationes meæ. ſic* ℣. 92. *c* Heb. *falſitate: ſic infr.* ℣. 86. [3] id eſt, adjungāt ſe mihi, cognita & demōſtrata per judicia tua æquitate cauſæ meæ: ſic Ijobi 6. 29. [4] quod eveniret, ſi à ſtatutis tuis recederem: ut ſupra ver. 31. & Pſalm. 44. 12.

## Caph

81 [1] Conſumitur *deſiderio* ſalutis tuæ anima mea, in verbo tuo exſpectationem habeo.

82 Conſumuntur oculi mei *deſiderio* ſermonis tui; dicendo, Quando cōſolaberis me?

83 Quamvis ſim [2] ſimilis utri ad fumum; ſtatutorum tuorum non oblitus ſum.

84 Quanti *erunt* [3] dies ſervi tui? quando exercebis in perſequentes me judicium?

85 Fodiunt mihi ſuperbi foſſas, *a* qui ſe non conformant legi tuæ.

86 Omnia præcepta tua *ſunt ipſa* veritas: falſis de cauſis perſequuntur me, auxiliare mihi.

87 Propemodum conſumſerunt me *d* jectum in terram: ego verò non dereliqui mandata tua.

88 Pro benignitate tua vivum ſerva me, ut obſervem teſtimonium oris tui.

[1] undecima ogdoade David opem Dei & ſalutem petit, primū à perſona ſua, tribus ver. deinde à perſona Dei & adverſariorū, quorum improbitatem cum juſtitia Dei & innocentia ſua cōparat, verſib. 4. poſtremò à voto grati animi, v. 88. [2] i. arefactus, exhauſtus viriditate, & quaſi confectus, atque in rugas abiens. [3] i. hoc tempus calamitoſum quo premitur ſervus tuus, quādiu eſt duraturum? vide ſup. Pſal. 116. 2. *a* Heb. *qui non ſecundum legem tuam ſunt.*

## Lamed

89 [1] In ſeculum ô Jehova, verbum tuum [2] conſiſtit in cælis:

90 *a* In unaquaque generatione fides tua: quum ſtatueres terram, illa conſtabat.

91 Ad [3] judicia tua perſtant hodie, quia illa omnia *ſunt* ſervi tui.

92 Niſi lex tua *eſſet* omnis oblectatio mea, *b* jam diu periiſſem in afflictione mea.

93 In ſeculum non obliviſcar mandatorum tuorum: nam illis vivum conſervas me.

94 [4] Tuus ſum, conſerva me; quia mandata tua quæro.

95 [5] Me exſpectantibus improbis ad perdendum me, teſtimonia tua conſidero.

96 Omni [6] perfectioni video eſſe finem: [7] latum *verò eſſe* mandatum tuum valdè.

[1] duodecima ogdoade David ſapientem à Deo petit duobus argumentis: prius eſt à natura Dei, conſtantiáque & efficacitate verbi ejus, uſque ad ℣. 94. poſterius, à perſona ſua, reliquis. Efficacitatem verbi Dei explicat primū univerſè, à generali cæli & terræ creatione, & adminiſtratione, hoc & ſequ. ver. deinde à ſingulari & extraordinari, v. 91. poſtremò à ſuæ ipſius experientia. [2] id eſt, conſtans & firmum permanet. *b* Heb. *in generatione & generatione.* [3] præſtanda nimirum atque exſequenda. *b* Heb. *tunc.* [4] ſecundus locus ſive argumentatio petitionis: ut dictum eſt in verſum 89. [5] i. ita conſtanter quæro atque conſidero, ut nullis inimicorum tentamentis avocer, adductus majeſtate verbi tui: in quo omnia inveni ampliſſima & perfectionis infinitæ quantumvis gravibus premar anguſtiis, verſ. ſequente. [6] videlicet rerū creatarum. [7] ita ut finis illius videri non poſſit, id eſt, infinitum; ἀπέραντος.

## Mem

97 [1] Quàm diligo legem tuam! toto die eſt meditatio mea;

98 Inimicis meis ſapientiorem [2] me reddit præceptis tuis: nam in ſeculum adeſt mihi.

99 Omnibus doctoribus meis intelligētior fio, quia teſtimonia tua meditatio mea *ſunt*.

100 Senibus prudentior ſum, quia mandata tua cuſtodio.

101 Ab omni [3] ſemita mali cohibeo pedes meos, ut obſervem verbum tuum.

102 A judiciis tuis non recedo, quia tu doces me.

103 Quàm ſuavia ſunt palato meo *judicia* ſermonis tui! ſuaviora melle ori meo.

104 Mandatis tuis prudens ſum: idcircò odi omnem ſemitam falſitatis.

[1] decimatertia ogdoade, David occaſione ſumta ab amplitudine verbi quā modò commēdaverat, rapitur in duas exclamationes; quibus celebrat amorem ſuum erga verbū Dei, primum propter præſtantiā ſcientiæ & intelligentiæ quam ſupra omnes eſt conſequutus ex meditatione & ſtudio illius, quatuor verſibus; deinde propter præſtātiam uſus quem percepit ex verbo, cæteris. [2] lex tua informans in præceptis tuis. [3] ut ſup. verſ. ..

## Nun

105 [1] Lucerna pedi meo verbum tuum *eſt*, & lux itineri meo.

106 Juravi quod præſtabo, me obſervaturum jura juſtitiæ tuæ.

107 Afflictus ſum admodum; Jehova, vivum conſerva me ſecundùm verbum tuum.

108 [2] Voluntarias oblationes oris mei accepta quæſo Jehova, & jura tua doce me.

109 [3] Anima mea in manu mea jugiter *verſante*, tamen legis tuæ non obliviſcor:

110 Potentibus improbis laqueum mihi, à mandatis tuis non aberro:

[1] decimaquarta ogdoade, David ad petitionem regreditur ſalutis & gratiæ, ver. 107. & ſeq. ad quam conſequēdam adhibet argumenta tria: unum, promiſſionis Dei & efficacitatis per ſpiritum, demonſtratæ verbo, hoc verſu; alterum, ſtudii ſui & animi conſtantiſſimi ad obſequēdum Deo, ſequent. verſ. tertium, miſeriæ ſuæ, verſ. 107. qui loci deinde copioſiùs exponuntur, verſ. 109. & ſequentibus. [2] id eſt, orationes meas & gratiarum actiones, q. d. ſerva me propter laudem tuam, quam ſalute accepta celebrabo: ſyllepſis, ſive noēma. [3] id eſt, quamvis ego verſer in præſentiſſimis periculis: ſic 1. Schem. 28. 21. & Ijobi 13. 14.

111 Poſſideo teſtimonia tua in ſeculum:
quia gaudium animi mei ſunt.
112 Inclino animum meum ad faciendum
ſtatuta tua; in ſeculum, [4] *in* finem *uſque*.

4 vide ſup. v. 33.

## Samec

113 [1] Cogitationes *alias* odi, legem autem
tuam diligo.
114 Latebra mea & ſcutum meum es, in
verbo tuo exſpectationem habeo.
115 Recedite à me malefici, ut cuſtodiam
præcepta Dei mei.
116 Suſtenta me ſecundùm ſermonem
tuum, ut vivam; neque pudefacias me ab ex-
ſpectatione mea.
117 Suffulci me ut ſalvus ſim, & reſpiciam
ad ſtatuta tua jugiter.
118 Conculcas omnes errantes à ſtatutis
tuis: quia [2] falſus *eſt* dolus eorum.
119 [3] *Tamqua* ſcoriæ facis ut ceſſent omnes
improbi terræ; [4] idcircò diligo teſtimonia tua.
120 Horret pavore tui caro mea; adeò à
judiciis tuis [5] timeo.

1 decimaquinta ogdoade David pergens, in petitione, opem Dei ſalutemque implorat, ℣. 116. & ſequente: ideoq; primùm ſtudiũ ſuum exponit Deo, & adverſariis objicit, tribus primis verſ. deinde ſe ipſum confirmat à judiciis Dei; ſeveris quidẽ in malitioſos, gratioſis verò erga eos qui ſe ipſos dijudicant, ne cum mundo condemnentur tribus ultimis ver. ogdoadis.
2 hoc eſt, inanis, vana eſt hypocriſis, quæ ſuos ipſius concinnatores fruſtratur. 3 i. verbo tuo, & afflictionibus, judiciiſq; tamquam igne, conſumis & abjicis: ſic Jeſcha. 1. 25. & Maleaci 3. 3. 4 quia latebra & ſcutum es diligentibus te, improborum verò juſtus judex. 5 q. d. non quidem à præſentia tua metuo, ut Adam. Gen. 3. nam contra illam mihi adeſſe expeto; ſed ab infirmitate mea, ne provocem judicia tua: ſic ponitur elegans ἐπανόρθωσις eorum quæ ſupra dixerat; *Horret pavore tui*.

## Hajin

121 [1] Exerceo [2] judicium & juſtitiam: ne
permittas me oppreſſoribus meis.
122 [3] Obi vadimonium pro ſervo tuo in
bonum; ne opprimant me ſuperbi:
123 Oculi mei conſumuntur *deſiderio* ſa-
lutis tuæ, & ſermonis *a* juſti tui.
124 Fac erga ſervum tuum ſecundùm be-
nignitatem tuam, & ſtatuta tua doce me.
125 Servus tuus ſum, prudentem me red-
de; ut cognoſcam teſtimonia tua.
126 Tempus eſt ut faciat Jehova; [4] irritam
faciunt legem tuam.
127 [5] Propterea ampliùs diligo præcepta
tua, quã aurum & *quidem* aurũ purgatiſſimũ:
128 Propterea *quod* omnia mãdata de omni-
b. *b* recta agnoſco, omnẽ ſemitã falſitatis odi.

1 decimaſexta ogdoade quæ tota eſt δυκτική. David poſtulat primum ſervari à malo, duobus ℣. deinde affici bonis & inſtitui verbo, tribus ſequent. idq; tum à perſona ſua, cujus obſequiũ, fidem; & ſtudiũ explicat ſparſim, tum à perſona Dei & adverſariorum, v. 126.
2 i. æquo & bono faciendo operando: quo teſtimonio confirmatur animus meus de electione & vocatione mea.
3 i. compare, & teipſum ſiſte coram adverſariis meis, ſuſcipiens cauſam meam: metaphora ab uſu forenſi. a Heb. *juſtitiæ tuæ*. 4 eò audaciæ proruperunt adverſarii mei, ut non tantùm contra me, ſed verbũ ipſum tuum apertè veniant, & illud labefactare tentent. 5 ætiologia cur David informari petat in cognitione legis: nimirum quòd legem bonam & ſanctam eſſe novit, ſe autem ultrò diligere bonum, & malum odiſſe profitetur. b Heb. *rectifico*.

## Pe

129 [1] Mirabilia *ſunt* teſtimonia tua: idcircò
cuſtodit ea anima mea
130 *a* Aditus verborum tuorum illuminat,
prudentiâ inſtruit ſimplices.
131 [2] Os meum diſtendo, & anhelo: quia
præceptorum tuorum cupidus ſum.
132 [3] Reſpice ad me, & gratiam fac mihi;
prout *eſt* jus erga amantes nomen tuum.
133 [4] Pedes meos inſtitue in ſermone tuo,
& [5] ne ſinas dominari in me ullam iniquitatẽ.
134 Redime me ab oppreſſione hominum
ut obſervem mandata tua.
135 Fac ut præluceat facies tua ſervo tuo, &
doce me ſtatuta tua.
136 [6] Rivi aquarum deſcendunt *ex* oculis
meis, propter *eos qui* nõ obſervant legem tuã.

1 decimaſeptima ogdoas continet primùm profeſſionẽ ſtudii erga doctrinam Dei tribus verſ. deinde petitionẽ, quatuor ver. poſtremò expoſtulationẽ de adverſariis cõtra legem venientibus, verſ. 136. ſtudii autem cauſę afferuntur duæ; una, admirabilitas legis: altera, efficacitas, de qua Pſal. 19.
a Heb. *janua*.
2 id eſt, omnibus nervis contendo ut aſſequar: metaphora ab anhelis feſſis viatoribus. 3 petitio gratiæ hoc ℣. cujus triplex effectus ſequentibus demonſtratur; informatio vitæ, verſ. ſequ. liberatio ab anguſtiis verſ. 134. & documenta verbi per ſpiritum, verſ. 135. 4 i. rationem vitæ meæ: metaphora. 5 i. me à viis tuis abducendo in me eam dominium obtinere: etſi volentibus nobis facere bonum adjacet malum, & peccatum habitat in carne noſtra; vide Rom. 7. 6 effundor in lacrymas, non tantùm mea, ſed etiam improborum cauſa, quorum miſereor, ut infr. 139. & omnium maximè legis tuæ cauſa, quam violari fero indigniſſimè.

## Tzade

137 [1] Juſtus eſt Jehova, & rectus judiciis tuis.
138 Præcepiſti *a* juſta teſtimonia tua, & fi-
delia valdè.
139 Conficit me zelus meus, quòd [2] obli-
viſcantur verbi tui [3] hoſtes mei.
140 Purgatus *eſt* ſermo tuus valdè, qua
propter ſervus tuus diligit ipſum:
141 Parvus ego & contemtus, mandato-
rum tuorum non obliviſcor,
142 Juſtitiæ tuæ, juſtitiæ *b* perpetuæ; &
legis tuæ *c* veracis.
143 Oppreſſione & anguſtia obveniẽtibus
mihi, præcepta tua *ſunt* oblectationes meæ.
144 Juſtitia teſtimoniorum tuorum *eſt* in
ſeculum: prudentem me effice ut vivam.

1 decimaoctava ogdoade David viam vitæ ex verbo doceri petit, à juſtitia, integritate, fide, cõſtantia & utilitate verbi.
a Heb. *juſtitiam teſtimoniorum tuorum & fidem: hypallage*.
2 i. non agnoſcant.
3 rex Schaul, proceres & magnates regni qui buſcum ſe ut parvum, tenuẽ, & contemtum comparat. duobus verſibus ſeq.
b Heb. *in ſeculũ*.
c Heb. *veritatis*.

## Koph

145 [1] Invocantem ex toto animo exaudi me,
Jehova; *ut* ſtatuta tua cuſtodiam.
146 Invocantem te ſerva me, *ut* obſervem
teſtimonia tua.
147 Veniens ante *te* in ipſo crepuſculo ut
vociferer, in verbo tuo ſpem habeo.
148 Præveniunt oculi mei excubias, ad
meditandum de ſermone tuo.
149 Voci meæ auſculta ſecundùm beni-
gnitatem tuam, Jehova: ſecundùm judicia tua
vivum conſerva me.
150 Appropinquantibus ſectatoribus ſce-
leris, *qui* à lege tua longè abſunt;
151 Propinquus es Jehova, & omnia præ-
cepta tua *ſunt* veritas.
152 Pridem novi de teſtimoniis tuis, te [2] in
ſeculum fundaſſe ea.

1 decima nona ogdoade David ſalutem à Deo petit, primùm à perſona ſua, quæ obſequium ſpõdet, duobus ver. & præſens ſtudium explicat. duobus alteris deinde à perſona Dei benigniſſima, præſentiſſima, conſtantiſſimaque in verbo ſuo verſib. 4. reliquis.
2 i. conſtituiſſe ut ſint æterna: nã hic verſus exegeticè finem ſuperioris explicat.

## Resch

153 [1] Reſpice afflictionem meam, & libera
me: quia legis tuæ non obliviſcor.
154 *a* Suſcipe cauſam meam, & vindica
me: pro ſermone tuo vivum conſerva me,
155 *Ita ut b* procul ſit ab [2] improbis ſalus:
quia ſtatuta tua non quærunt.
156 Miſerationes tuæ amplæ *ſunt* Jehova,
ſecundùm judicia tua vivum conſerva me.
157 Ut multi ſint perſequentes me & ho-
ſtes mei, à teſtimoniis tuis non declino.
158 Simul ac video perfidè agentes, faſti-
dio me ipſum torqueo; quòd ſermonem tuum
non obſervent.
159 Vide me mandata tua diligere, Jeho-
va; ſecundùm benignitatem tuam vivum con-
ſerva me.
160 *c* Præſtantiſſimum verbum tuum *eſt*; [3]
ipſa veritas: & in ſeculum *eſt* quodque judi-
cium *d* juſtum tuum.

1 vigeſima ogdoade David ſalutem petit. primum à perſona ſua, æquitate cauſæ, & æquitatis ſtudio, duobus verſibus, quę cauſa amplificatur per comparationem adverſariorum, ℣. 155. deinde à perſona Dei, cujus miſericordia, benignitate, & fide judiciorum fretus, ſe conſtãter ſalutem exſpectare teſtatur, quinq; reliquis.
a Heb. *contende contentionẽ meam*.
b Heb. *procul abeſſendo ab improbis ſalutem*.
2 i. adverſariis cauſam iniquã agentibus. c Heb. *caput ſive præſtantiæ verbi tui: hypallage, ut Exod. 20. 23.*
3 i. certiſſimum eſt, fideliſſimum; & conſtantiſſimum: ut ſequentia explicant.
d Heb. *juſtitia tua*.

## Schin

161 [1] Principibus perſequentibus me im-
meritò, [2] à verbo tuo pavet animus meus.
162 Gaudeo de ſermone tuo, ut qui inve-
nit prædam amplam:
163 Falſitatem odi & abominor, legem
tuam diligo.
164 [3] Septies quotidie laudo te, [4] de judi-
ciis juſtis tuis:
165 Pacem multam eſſe diligentibus legem
tuam, neque eſſe eis [5] offendiculum.
166 Exſpecto ſalutem tuam Jehova, &
præcepta tua facio.

1 vigeſimaprima ogdoade David primum cõſtitutionem animi ſui erga Deũ & verbum ejus explicat, qua cõtinentur metus, oblectatio, amor, laus, & exſpectatio, ſex verſibus; deinde vitæ confirmationem atque obſequium.
2 non autem à principibus abſterretur.
3 i. ſæpenumerò: numerus finitus pro infinito, ut Lev. 26. 18. 4 quorum ſumma ſeq. v. continetur. 5 quod ipſis pacem adimat.

167 Obſer-

167 Obſervat anima mea teſtimonia tua,
diligoque ea valdè.
168 Obſervo mandata tua ac teſtimonia
tua, quia [6] omnes viæ meæ coram te ſunt.

THAU

169 [1] Appropinquet clamor meus ante fa-
ciem tuam, Jehova; ſecundùm verbum tuum
prudentem redde me.
170 Perveniat deprecatio mea ante faciem
tuam; ſecundùm ſermonem tuum eripe me.
171 Eructabunt labia mea laudem; quum
docueris me ſtatuta tua.
172 Cantabit lingua mea ſermonem tuum,
omnia præcepta tua *a* juſtiſſima eſſe.
173 Adſit manus tuas ad auxiliandum mi-
hi; quia mandata tua [2] eligo:
174 Deſidero ſalutem tuam Jehova, & lex
tua *eſt b* omnis oblectatio mea.
175 Vivat anima mea, ut laudet te; & judi-
cia tua auxilientur mihi.
176 [3] Erro ut pecus [4] quæ perit. [5] require ſer-
vum tuum: nam [6] præceptorum tuorum non
obliviſcor.

[6] i. tu vides, agnoſcis, inſtituis & curas vitam meam.

[1] ultima ogdoade David doceri, juvari, & ſervari à Deo petit, primum propter gloriá Dei, uſque ad ṽ. 173. deinde propter fidem ſuam in promiſſiones Dei, v. 173. & ſequent. poſtremò concludit pſalmum generali petitione opis Dei ad gloriam ipſius & ſalutem ſuam, duobus ṽ. ultimis.

a *Heb. juſtitiam* [2] nimirum piæ rebus omnibus. b *Hebr. oblectationes meæ.* [3] i. incerta ſede huc & illuc vagari cogor. [4] i. quæ procul à grege & paſtore ſuo vagatur errabunda, ut ſequentia verba oſtendunt. [5] ut paſtor amiſſam pecudem: ut Luc. 15. 4.
[6] i. audio vocem tuam, ut ovis tua; Jonan. 10. 5. & ſequentibus.

## PSALMUS CXX.

*David rex narrat liberationem divinitùs à ſuis calamitatibus: orationemque commemorat quæ apud Deum queſtus eſt de calumniis, perſequutionibus & exilio ſuo.*

1 [1] CAnticum *a* excellentiſſimum. Ad Jeho-
vam in maxima anguſtia mea clamavi,
& exaudivit me.
2 [2] Jehova, eripe *b* me [3] à labio *c* falſo, à lin-
gua doloſa.
3 [4] Quid datura eſt tibi, quidve adjectura
tibi lingua doloſa?
4 *Verba* [5] *ſimilia* ſagittis robuſti acutis, com-
paranda [6] prunis juniperorum?
5 [7] Hei mihi, quia peregrinor *d* tam diu, [8]
habito *e* tamquam ſcenitæ [9] Kedareni.
6 Plurimùm *f* habitaſſe videtur ſibi anima
mea, apud [10] oſorem pacis.
7 [11] Ego pacem *diligo*: at quum loquor, ipſi
ad bellum *conclamant*.

[1] Canticum eſt generis διηγητικὸν continens narrationem, v. 1. & orationem, ſequentibus. Narrat autem David quomodo cõflictans cum graviſſimis difficultatibus in exſulio ſuo Deũ inclamaverit, & fuerit exauditus: ex quo apparet Pſalmum hunc à Davide jam evecto ad regnum conſcriptum eſſe.

a *Hebr. excellentiarum: ſic Pſalmis 14. ſequent.*
[2] hujus orationis partes ſunt, petitio ad Deum, hoc verſ. reprehenſio adverſariorum Davidem calumniis obruentium, duobus ſequentibus, & poſtremò flebilis expoſtulatio, tribus ultimis. b *Hebr. animam meam.* [3] i. ſermonibus improborum Davidem apud regem Schaulem traducentium; ut ipſe cum Schaule expoſtulat, 1. Sche. 24. & 26. c *Hebr falſitatis.* [4] i. quid proderit tibi: apoſtrophe. [5] i. maximè lethalia, & præſentiſſimam mortem afferentia, adeoque obvium quicquid eſt conflagrantia. [6] quæ dicuntur eſſe ardentiſſimæ: quemadmodum Hieronymus ſcribit Fabiolæ manſione decima quinta, ſed quid ſi ad ſimilitudinem doli accommodes? odorata ſunt in ſpeciem verba tua, prout eſt odora juniperus: ſed non eo minùs urunt, quin potiùs magis fallunt imprudentem.
[7] expoſtulatio de ingrata habitatione, quòd extra regionem promiſſam habitare cogeretur, hoc ver. & de intolerantia eorum ad quos ſe recipiebat, ſive in Cenahanæa, ſive in regionibus exteris, duobus ſequent. d *Heb. protractionis peregrinationis, i. tam longe & continente exſulio.* [8] i. indeſinenter vagari & errare cogor, ut incolæ Arabiæ deſertæ & Petræ faciunt: ſic autem accipere propoſitionem Cum, magis, placuit; tum quia nuſquam legitur David in tantis, tam frequentibus & variis enarrationibus ad regiones illas profugiſſe, tum quia ſic accipitur aliis locis: ut Jobi 3. 15. & Pſal 143. 7. e *Heb cum tentoriis Kedaru: hypallage.* [9] ſic Lampridius vocat, Plinius Kedræos in Arabia Petreâ, à Kedaro Jiſchmaelis filio, cujus fit mentio Gen. 25. 13. f *Heb. habitavit ſibi. pleonaſmus: ut Gen. 11. 33.* [10] i. homines infenſos mihi: enallage numeri. [11] exegeſi ſuperioris verſ.

## PSALMUS CXXI.

*David conflictum animi ſui in periculis exponens ad Deum converſa oratione ſe committit ei, & confirmat in fide promiſſionum ejus.*

1 [1] CAnticum *a* excellentiſſimum.
2 Attollerem oculos meos ad iſtos
montes? [3] unde veniret auxilium meum?
2 [4] Auxilium meum *ſit* à Jehova, qui fecit
cælos & terram.
3 [5] Ne permittat *b* [6] dimoveri pedem tuum,
ne [7] dormitet [8] cuſtos tuus.
4 [9] Ecce non dormitat, neque dormit cu-
ſtos Jiſraelis.
5 Jehova cuſtos tuus; Jehova umbra tua [10]
*eſt* ad manum dexteram tuam.
9 Interdiu ſol non percutiet te, aut luna
noctu.
7 Jehova ſervabit te ab omni malo, ſerva-
bit animam tuam.
8 Jehova ſervabit *c* [11] proceſſum tuũ & re-
ditum tuum, ex hoc tempore uſque in ſeculũ.

[1] Canticum eſt didaſcalicum, continens propoſitiones tres: prima eſt diſceptatio animi conflictantis cum multis calamitatibus ver. 1. ſecunda, oratio animi ex diſceptatione ſua emergẽtis, & ad fidem in Deum ſeſe erigentis, ver. 2 & 3. tertia eſt confirmatio erecto animi à promiſſionibus Dei, ver. 4. & ſequentibus. a *Heb. excellentiarum: ut Pſal præcedente* [2] i. fruſtrà huc illuc circumſpectarem ad conſequendam opem: nam rationem habet Cenahanææ, quæ montoſa eſt; ut dictum eſt Exod. 15. 17.

[3] q. d quocunque me converterò, nulla ex parte niſi à Deo ſalutem conſequuturus ſum. [4] oratio ſuperantis certamen animi; qua David ſe committit Deo propter naturam, opera & officium ejus e gratuita promiſſione in Chriſto. [5] explicatio auxilii divini, quod David per apoſtrophen precatione ſibi accommodat. b *Heb. dimotioni*
[6] i. titubare, labi, vel corruere te: ſynecdoche. [7] i. tantillum ceſſet ab auxilio tuo: humanitùs dictum, ut ſequentia [8] Deus, ex promiſſione ad quam tranſitur ſeq. ver. [9] promiſſionis Dei explicatio: qua docetur primùm præſentiſſima illius efficacitas, duobus verſibus deinde conſtantiſſima, reliquis. [10] ut Pſal. 16. 8.
c *Heb. procedere tuum & venire tuum,* [11] i. omnes occupationes tuas Nu. 27. 17.

## PSALMUS CXXII.

*David Eccleſiæ ſtudiis & officioſo cultu Dei recreatus, lætitiam ſuã prædicat: urbis, Eccleſiæ, & regni totius ſtatum commendat: omnibus bene precatur, & omnia bona à ſe ſpondet.*

1 [1] CAnticum *a* excellentiſſimum Davidis.
[2] Lætor *b* de eo quod dicitur mihi, do-
mum Jehovæ adeamus:
2 *Quod c* conſiſtunt pedes noſtri intra por-
tas veſtras ô Jeruſchalaima:
3 [3] Jeruſchalaima *d* [4] optimè conſtructa, *e*
civitas [5] quę planè coagmentata eſt inter ſe pa-
riter:
4 Quò aſcendunt tribus, [6] tribus Jah, [7] *ad*
teſtimonium Jiſraelitarum; ut celebrent no-
men Jehovæ.
5 Quia ibi conſident [8] throni juris, throni
[9] domus Davidis.
6 [10] Expetite [11] pacem Jeruſchalaimorum,
*dicentes*, tranquilli ſint amantes tui:
7 Sit pax in præmunitione tua, tranquilli-
tas in palatiis tuis.
8 Propter fratres meos & amicos meos; e-
loquor nunc, pax *ſit* in te.
9 Propter domum Jehovę Dei noſtri, *f* pro-
curabo bonum tibi.

[1] Canticum eſt συγχαρητικὸν ſive gratulatoriũ; quo David arca Dei recepta in civitatem ſuam, & Eccleſia conſtituta, gratulatur ſibi & Eccleſiæ toti de hac benedictione Dei: itaque primùm proponit lætitiam ſuam & illius cauſas, uſque ad v. 6. deinde omnes cohortatus bene precatur Eccleſię, & ſuum officium erga illum conſtanter profitetur, ad finem uſque. a *Heb. excellentiarum: ut Pſalm. 120.* [2] propoſitio lætitiæ qua utitur David, duas habet cauſas; una eſt ſtudium quod ſuo tempore in fidelibus animadvertit. hoc verſu; altera, effectus illius ſtudii: cultus Dei aſſiduus, ver. ſequent. b *Heb. de dicentibus mihi.* c *Heb. conſiſtentes ſunt: qua loquutione notatur in agendo frequentatio ut Gen. 4. 14.* [3] ἐργασία, ſive exornatio ſuperiorum cauſarum ad lætitiæ amplificationem, à laudibus civitatis, hoc verſu; Eccleſiæ. ver. ſequente, & regni tum ſpiritalis tum terreni, ver. 5.
d *Heb. conſtructiſſima.* [4] ut oſtenditur 2. Sche. 5. 9. & 1. Chron. 11. 8. e *Heb. plane civitas cui coagmentatum eſt pariter.* [5] i. non ut antè hac ſtructura opidorum, religione, & adminiſtratione differens, (nam tria fuerant opida; religio verò & adminiſtratio duplex, populi Dei & Jebuſæorum) ſed omnibus modis coagmentata, junctis opidis, hoc ver. religione animorum, ſequente, & ſingulari adminiſtratione. verſ 5. [6] i. tribus populi Dei. [7] i ad arcam teſtimonii, de qua Exod. 25. 21. & 22. [8] i. juridica omnis adminiſtratio tum Eccleſiaſtica, tum civilis; prout mandaverat Deus, Deut. 17. 8. & ſequentibus. [9] i. regni Davidis, cujus complementum Chriſtus. [10] altera pars pſalmi, qua primùm omnes cohortatur David ad conferenda vota, duobus ver. deinde nominatim ipſe idem officium pollicetur Eccleſiæ & Deo, in fine. [11] i privatam. publicam, intùs & foris: ut ſequentes loquutiones oſtendunt. f *Heb. requiram.*

## PSALMUS CXXIII.

*Eccleſia graviſſimè preſſa ſe ad Deum erigit, gratiam implorat, & hoſtibus Dei malè precatur.*

1 [1] CAnticum *a* excellentiſſimum. Ad te at-
tollo oculos meos, ô *tu* [2] qui ſedes in
cælis.
2 Ecce ut oculi ſervorum *ſpectant* [3] ad
manum dominorum ſuorum, ut oculi an-
cillæ ad manum heræ ſuæ; ita oculi noſtri

[1] Canticum eſt διδακτικὸν, continẽs propoſitionem duobus verſibus; & petitionem, duob. propoſitione oſtendit Pſaltes, quomodo & quantiſper ſit aditurus Deum: petitione verò poſtulat primùm gratiam Eccleſiæ fieri, verſ. 3. deinde ærumnas impiis hoſtibus Dei & Eccleſiæ imponi, ver. 4. a *Heb. excellentiorum: ut ſup. 120.* [2] i. Deus omnipotens: periphraſis.
[3] id eſt, opem & auxilium; non dubitantes de fide, adjumento, & defenſione illorum.

ad Jehovam Deum noſtrum, [4] donec gratiam
fecerit nobis.
3 Gratiam fac nobis Jehova, gratiam fac
nobis; quia ſatis *eſt*, ſaturi ſumus contemtu.
4 Plurimùm *b* ſaturata eſt anima noſtra: [5]
iſta ſanna [6] tranquillis ipſis, iſte contemtus *ob-
veniat* ſuperbis.

[4] i indeſinenter atque importunè: ut Luc. 18. in principio. b *Heb. ſatura eſt eſt ſibi: ſic ſupra* 120. 6. [5] i. imprecatio: alterum petitionis membrum: ut Pſal 79. 6. ſic autem accipiendum eſſe hunc locum voces, & diſtinctiones apertè clamant. [6] i. qui præſenti ſuæ tranquillitati confidentes ea abutuntur, & ludificantur nos ſuperbè in calamitatibus noſtris.

## Psalmus CXXIV.

*Eccleſia mirificas Dei liberationes à conatibus mundi prædicans, benedicit Deo & ſe in poſterum de ope illius confirmat.*

1 [1] CAnticum *a* excellentiſſimum Davidis.
*b* Niſi Jehova adfuiſſet nobis, dicat
nunc [2] Jiſrael.
2 Niſi Jehova adfuiſſet nobis, quum inſur-
gerent contra nos homines;
3 [3] Tunc vivos abſorbuiſſent nos, exarde-
ſcente ira eorum in nos:
4 Tunc illæ aquæ inundaſſent nos, torrens
*c* ſuperaviſſet nos:
5 Tunc ſuperaviſſet nos *torrens* aquæ ſu-
perbiſſimæ.
6 Benedictus Jehova, qui non expoſuit nos
prædæ dentibus eorum.
7 Anima noſtra ut avicula erepta eſt à la-
queo aucupantium, laqueo effracto nos ere-
pti ſumus.
8 ‖ Auxilium noſtrum in nomine Jehovę,
qui fecit cælos & terram.

[1] Canticum eſt didaſcalicum quo David Eccleſię totius nomine omniúq; temporum, primùm narrat mirificas liberationes effectas à Deo, verſib. 5. deinde benedicit Deo propter liberationes ſuas, v 6. & 7. poſtremò concludit prædicatione gratiæ & opis Dei conſtantiſſimæ, ver. ultimo. a *Hebr excellentiarum: ut ſupra* 120. b *Heb. niſi Jehova quod adfuiſſet trajectio: ſic ver. ſeq.* [2] i populus Dei: ut ad Galat. 6. 16. [3] hyperbolæ allegoricæ. c *Hebr. tranſiiſſet ſuper animam noſtram: ſic ſeq. verſ.* ‖ *Pſalm.* 121. 2.

## Psalmus CXXV.

*Pſaltes ſtabilitatem Eccleſiæ prædicat, & inſtabilitatem afflictionum ejus: Deumque orat pro ſanctificatione illius & proſperitate, improbis ejectis.*

1 [1] CAnticum *a* excellentiſſimum. [2] Qui
confidunt Jehovæ; ſimiles *ſunt* mon-
ti Tzijonis: *qui* non dimovetur, in ſeculum
permanet.
2 Ut Jeruſchalaima montes circumſtant, ita
Jehova [4] circumſtat populum ſuum; ex hoc
tempore uſque in ſeculum.
3 [5] Nam [6] non quieſcit virga [7] improbita-
tis, ſuper [8] ſortem juſtorum; [9] ut non exten-
dant juſti ad ullam iniquitatem manus ſuas.
4 [10] Benefac Jehova bonis, & rectis ex *b* a-
nimis ſuis:
5 [11] Qui autem inclinant *animos ſuos* ad *iti-
nera* tortuoſa ſua, *c* [12] amandet eos Jehova
cum iis, qui dant operam iniquitati, [13] pax *ſit*
Jiſraelem.

[1] Canticum eſt mixtum partim didaſcalicum ad conſolationē Eccleſiæ, tribus ver. partim εὐκτικόν, duobus ultimis. a *Hebr. excellentiarum: ut ſupra Pſalm.* 120. [2] prioris partis didaſcalicæ loci ſunt duo: unus; de firmitate Eccleſiæ, quæ fundata eſſe dicitur & circummunita virtute Dei ſempiterni, duobus ver. alter, de inſtabilitate improborum, ſi quando videtur Deo Eccleſiam ſuam per illos caſtigare, v. 3. [3] i. ædificati ſunt ſuper petram, quam nullæ procellæ ac ne inferorum quidem portæ ſuperabunt, Matth. 7. 24. & 16. 18. [4] i. circumquaque protegit: ut ſup. Pſalm. 3. 5. & 34. 8. & 91. & Zechar. 2. 9. [5] occupatio ad objectionem, atqui videmus Eccleſiá malis perſæpe expoſitam: eſt quidem expoſita, inquit Pſaltes; ſed tanquam ad momentum, ita ut ipſis calamitatibus fundamentum & defenſio piorum efficiatur illuſtrior. [6] i. non tamen permanet: ſed paulo momento transfertur & liberantur boni, 1. Cor. 10 13. Hoc autem econtrario ſibi arrogantes improbos, & refellentem Deum inducit Jeſch. 28. 15 & ſeq. [7] i. improborum, hypocritarumq; à quibus propter quos Eccleſia Dei ferè exercetur, & quorum meminit Pſaltes, ver. 5. [8] i Eccleſiam, & hæreditatem piorum. [9] id eſt, ut poſſint ſufferre, pietate & ſanctimonia integra: prout loquitur Paulus 1. Cor. 10. 13. [10] petitio, altera pars Pſalmi. b *Heb cordibus* [11] i. hypocritas in Eccleſia verſantes, quaſi dicat, Eccleſiam ſuam ſanctificet & purget ab omni malo: quo genere imprecationis uſus eſt ſup. Pſalm. 123. c *Heb. faciet ut abeant illi.* [12] i. ejectos ex Eccleſia malè perdat: ut Matth. 21. 41. & Lucę 12. 46. [13] id eſt, ut bene ſit Eccleſię bonorú, ſublatis improbis.

## Psalmus CXXVI.

*Eccleſia admirabilem ſibi & gentibus liberationem ſuam à Deo factam prædicat, eandemque optat ab illo perfici.*

1 [1] CAnticum *a* excellentiſſimum. [2] Quum
reduceret Jehova multitudinem capti-
vorum [3] Tzijonis, [4] eramus velut qui ſomniāt.
2 Tunc [5] impletum eſt riſu os noſtrum, &
lingua noſtra cantu; *b* tum [6] dictum eſt inter
gentes, *c* magnifica Jehova efficit *opera* erga
iſtos.
3 Magnifica Jehova efficit erga nos, ſumus
læti.
4 [7] Reduc Jehova, multitudinem captivo-
rum noſtrorum; [8] tamquam validiſſimas *aquas
reducens* in regionem ſiccam.
5 [9] Qui ſeminârunt cum lacrymis, cum
cantu metant.
6 *Qui* portans *d* [10] acquiſitum ſemen, *e* in-
deſinenter ibat flendo; *is f* omnino redeat cum
cantu, reportans manipulos ſuos.

[1] Hujus cantici (quod temporibus Cyri factú eſſe videtur promulgato illius edicto de reverſione Judæorum) partes ſunt duæ; narratio, tribus ver. & precatio ut Deus reditum ſecundet, tribus reliquis. a *Hebr. excellentiarum: ut ſupra* 120. [2] in narratione magnificatur opus Dei, duobus argumentis: primum eſt ab inſperato & incredibili liberationis modo, quem prius admirati ſunt quàm agnoſcerent pii, v. 1. deinde à communi populorum teſtificatione, v. 2. ex quibus conficitur glorioſa illa lætitia & prædicatio Judæorum, v. 3. [3] i Eccleſiæ Jehudæorum: ſynecdoche. [4] i. videbamur nobis ſomniare; tanta fuit liberationis admirabilitas: & vix dum nobis perſuaſimus, donec vidimus gentes prædicare magnificam liberationem noſtram, & nobis miniſtrare: Hezræ 1. [5] i. confirmati & exhilarati ſumus; ut exponit verſ. 3. ſynecdoche. b *Heb tum dixerunt: ut Ijobi* 7. [6] id eſt, ipſæ gentes agnoverunt & prædicaverunt. c *Hebr. magnificat Jehova efficiendo ſic verſ ſeq vide Gen* 12. 8. [7] petitio, ut Deus cœptam liberationem perficiat: quæ duabus allegoriis elegantibus exprimitur. [8] comparatio; qua Propheta gratiam Dei liberantis cum fluentis, populum verò cum terra ſiticuloſa comparat; & gratia Dei irrigari petit quam nemo poſſit avertere. [9] altera allegoria, qua populus in captivitatem abductus egentibus agricolis, & ſemen ad alimoniam ſuam neceſſarium terrę committentibus comparatur; rediens vero lætis meſſoribus ex copioſa meſſe. d *Heb. acquiſitionem ſeminis.* [10] i. aliunde comparatum prece vel pretio: ſic notatur egentiſſimus agricola, & cum populo captivo comparatur. e *Heb. eundo ibat & flendo.* f *Heb. redeundo redeat.*

## Psalmus CXXVII.

*Pſaltes nihil poſſe aut comparari, aut conſervari, ac ne genus quidē propagari docet ſine benedictione Dei; ac proinde omnia ab illo expectanda eſſe.*

1 [1] CAnticum *a* excellentiſſimū pro Schelo-
mone. Niſi Jehova [2] ædificet domum fru-
ſtrà laborēt ædificatores ejus de ea: niſi Jehova
cuſtodiat civitatem, fruſtrà ſedulus ſit cuſtos:
2 Fruſtrà *ſint* vobis *b* [3] qui ſummo diluculo
ſurgant, qui tardè ſedeant, qui [4] veſcantur ci-
bo dolorum: [5] ita dat [6] dilecto ſuo ſomnum.
3 [7] Ecce poſſeſſio [8] Jehovæ *ſunt* filii: merces
*eſt* fructus ventris.
4 [9] Ut ſagittæ ad manum robuſti, ita ſunt
*c* pueri.
5 Beatus vir ille qui [10] impleverit phare-
tram ſuam illis: [11] non erubeſcent, ſed [12] peri-
ment inimicos in porta ipſorum.

[1] Canticum eſt didaſcalicum; quod videtur David paulò ante mortem ſuam pro Schelomone filio conſcripſiſſe: ut perpetuum hoc haberet documentum fidei in tota adminiſtratione ſua. continet itaque documenta duo; unum, de privata & publica rerū adminiſtratione, duobus ver. alterum, de ſingulari generis propagatione, tribus reliquis: quæ omnia David à Dei benedictione expectanda docet. Quamobrem nos reddidimus pro Schelomone: ut Pſal. 72. 1. a *Heb excellentiarum ut ſup* 120. [2] i. benedictione verbi ſui adſit ædificantib. b *Heb diluculantes ſurgere. tardantes ſedere.* [3] i. operarii vel cuſtodes laborioſiſſimi, qui nullo pacto ſuæ quieti aut cibo indulgeant; ſed omnes nervos diligentiſſimè contendant indeſinenter ad perficiendum munus ſuum. [4] i. qui ne cibum quidē capiant tranquillè, animo à labore, ſolicitudine, & metu vacuo. [5] ἀνταπόδοσις breviſſima, ac propterea obſcurior: ſenſus eſt, Deus ædificat & cuſtodit tutiſſimè quemadmodum dictum eſt, quietemque liberam ab omnibus impedimentis concedit ei quem diligit. & qui de dilectione ejus confirmatus ſe committit ei. [6] paronomaſia ad alterum Schelomonis nomen, de quo 2 Sche. 12 25. [7] alterum membrum, ut dictum eſt in v. 1. [8] i. data à Jehova, ut poſteà appellatur merces: ſic Gen 15. 1 Sunt autem in hoc loco tres benedictionis gradus: generationis, hoc ver. educationis ingenuæ atque morigeræ, ſeq. verſ & fructus qui ex liberis bene inſtitutis percipitur, verſ. ult. [9] i. pueri bene inſtituti ſunt optimum patrisfamilias inſtrumentum, ut ſagittæ terſæ ſunt apta inſtrumenta militi. c *Heb. filii pueritiæ: periphraſis.* [10] i. ſe iis liberis inſtruxerit: allegoria. [11] i. non cedent inimicis, ſed ſuperabunt ipſos, & poſſidebunt portam inimicorum ſuorum: ut promittitur, Geneſ. 23. 17. [12] ut hoc verbum ita interpretemur, poſtulat ratio allegoriæ, conſtructio, & ſimile exemplū 1. Chron. 29. 10.

## Psalmus CXXVIII.

*Pſaltes piorum felicitate propoſita, demonſtrat quam grato animo ſit percipienda benedictio Dei publica in Eccleſiam; provocata in pios ſingulos.*

1 [1] CAnticū *a* excellentiſſimū. Beatus quiſq;
timēs Jehovæ, qui ambulat in viis ejus.

[1] Canticum eſt didaſcalicum, quo Pſaltes primùm generatim benedictionem Dei erga pios prædicat trib. v. deinde ſpeciatim quaſi in rem præſentem ducit fideles ſingulos, à præſente ſua & Eccleſiæ experientia, tribus reliquis. a *Heb. excellentiarum: ut ſup. Pſalm.*

2 Labore enim manuum tuarum *b* fruêris:
beatus eris,& bene erit tibi.
3 Uxor tua ut vitis fructifera [2] ad latera do-
mus tuæ; filii tui [3] ut plantæ olearum, circum-
ſtabunt menſam tuam.
4 [4] Ecce cùm ita benedicatur vir timens
Jehovæ.
5 Benedicit tibi Jehova [5] è Tzijone: *c* fruere
igitur bono Jeruſchalaimorum omnibus die-
bus vitæ tuæ.
6 Et [6] reſpice natos filiis tuis; pax *eſt* ſuper
Jiſraelem.

b *Heb. viſceris ſynecdoche.* 2 id eſt, ut pergulana vitis, quę ad maceriam appoſita ſit fructuoſior, ita fecūdabitur uxor benedictione Dei. 3 id eſt, virides & ſemper frondētes augeſcēt. 4 altera pars, qua excitantur pii ad cognoſcēdas & percipiēdas benedictiones Dei, tum publicas Eccleſiæ, ſequ. verſ. tum ſingulares erga ſe, verſ. 6. 5 i. ab Eccleſia in qua habitat, benedictione perfundens Eccleſiam,& te ipſum Eccleſia. c *Heb. reſpice: ſynecdoche.* 6 i. ſingularem Dei benedictionem percipe erga familiam tuam, vita longæva, & fœcunda prole. 7 Concluſio epiphonematica, de proſperitate perventura ad univerſum corpus & ſingula membra ipſius.

## Pſalmus CXXIX.

*Eccleſia ſuas afflictiones à mundo & liberationes à Deo prædicat, funeſtúmque adverſariorum exitium.*

1 [1] CAnticum *a* excellentiſſimum. [2] Multùm
affecerunt me anguſtiis inde à pueritia
mea [3] dicat nunc Jiſrael:
2 Multùm affecerunt me anguſtiis inde [4] à
pueritia mea; etiam non prævaluerunt mihi.
3 Super tergum meum araverunt [5] aratores,
[6] produxerunt quamque ſtrigarum ſuarum.
4 Jehova juſtus, [7] truncavit [8] denſos funes
improborum.
5 [9] Erubeſcent & agentur retrorſum omnes
oſores Tzijonis.
6 Erunt tamquam fœnum tectorum, quod
[10] antè quàm *b* exſeratur *falx*, exaruit.
7 [11] Quo non implet manum ſuam meſ-
ſor, aut lacertum ſuum, qui manipulos facit:
8 Neque dicent qui tranſeunt; benedictio
Jehovæ adſit vobis, benedicimus vobis in no-
mine Jehovæ.

1 canticum eſt didaſcalicum, quo Eccleſia docet, primum ſe graviſſimè ab hoſtibus oppreſſam, à Deo liberatam eſſe quatuor ver. deinde hoſtium & improborū omniū ruinam prædicit reliquis. a *Hebr. excellentiarum: ut ſup.* 120. 2 prior pars cātici exponens mala Eccleſiæ, tribus ver. & liberationem, verſ. 4. 3 id eſt, agnoſcat ſemper & prædicet ſalutē ſuam, & ruinam adverſariorum, nimirum tantiſper dum præſens tempus durat. 4 id eſt, ab orbe condito, quum cœpit Eccleſia eſſe; quæ allegoricè cum homine uno comparatur; hic; & cum arvo, v. 3 5 id eſt, hoſtes, quibus tanquam adminiſtris utitur ad ſarriendum, arandum, & colendum Eccleſiam ſuam. 6 i. nullam partem agri Dei intactam reliquerunt, quin ſummo labore effoderent. 7 i. quamvis valida & firma conſilia: conatus, opera illorum; idque nullo negotio diſſecat, quum opus eſt ad aſſerendam juſtitiam ſuam. 8 quibus aratrum trahebant in dorſo Eccleſiæ: ſic perſtat in allegoria. 9 ſecunda pars cantici de funeſto adverſariorum caſu, duobus verſ. jejunitate ſive ſterilitate illorum ex maledictione Dei, verſ. 7. & contemtu, verſ. ult. quæ omnia ſimiliter allegoriis à re ruſtica ſumtis exprimuntur. 10 i. ſtatim exareſcit, non exſpectato tempore fœniſecii: allegoria prior fœni ſive graminis, ut Jiobi 11. 12. b *Hebr. xſerat vel extrahat.* 11 poſterior allegoria à ſegetibus.

## Pſalmus CXXX.

*Pſaltes ſibi maximas liberationes obtigiſſe narrat invocanti Deum, ideóque ſe Deo confidere: & Eccleſiam ad fiduciam eamdem hortatur promiſſionibus.*

1 [1] CAnticum *a* excellentiſſimum. Ex [2] pro-
funditatibus [3] inclamavi te Jehova, *di-
cens:*
2 [4] Domine, auſculta voci meæ: ſint aures
tuæ intentæ ad vocem deprecationū mearum.
3 [5] Si iniquitates obſervaveris, Jah; Domi-
ne, quis poſſit conſiſtere?
4 [6] Nam apud te *eſt* condonatio, [7] ut reve-
renter colaris.
5 [8] Exſpectavi Jehovam, exſpectavit ani-
ma mea: [9] etiam in verbo ejus exſpectationem
habeo.
6 [10] Animus meus erga Dominum *ſtudio-
ſior eſt*; quàm excubiarum erga matutinum, [11]
excubantium ad matutinum uſque.
7 [12] Exſpectationem habeat Jiſrael in Je-
hova, quia apud Jehovam *eſt* benignitas, &
plurimùm apud eum [13] redemtionis:
8 Et ipſe redimet [14] Jiſraelem, ab omnibus
iniquitatibus ejus.

1 canticum eſt didaſcalicum quo Propheta primùm hiſtoriā ſuam narrat, 6. verſibus deinde Eccleſiā informat in fide ab exemplo ſuo. duobus ultim. In hiſtoria autē ſua primùm res anteactas exponit, v. quatuor; deinde pręſentē conſtitutionem animi ſui à præcedentibus experimentis, ver. 5. & 6. Quamobrem hic pſalmus appoſitiſſime ſuperiori ſubjectus videtur. a *Heb. excellentiarum: ut ſup.* 120. 2 i. profundiſſimis & immanibus periculis: metaphora ab aquis, ut Pſ. 69. 3 vide ſimilem planè narrationem Pſ. 116. 4 ſumma orationis quam habuit pſaltes in afflictionibus; cujus partes ſunt duæ; petitio ſalutis, hoc ver. & cauſa petitionis, duobus ſequ. 5 ætiologia petitionis. q. d. bene fac nobis non propter nos, hoc verſ. ſed propter gloriam tuam, verſu ſequ. 6 i. habeto rationem gloriæ tuæ, qua verſatur tum in fide & veritate promiſſionum tuarum, tum in cultu ejus; quæ duo planè interciderent, ſi iniquitates noſtras obſervaret Deus, & nos judicio ſuo perderet. 7 i. condonatione tua conſerventur qui te colunt: noëmatica paralepſis, ut ver. ſeq. 8 & exſpectationem meam conſequutus ſum: paralepſis: ſic tranſitur ad alteram narrationis partem de præſente prophetæ animo. q. d. experientia mea effecit ſpem, quæ nunquam pudefaciet me: Rom. 5. 4.

9 i. nimirum ut antè habui, & beneficia inde conſequutus ſum. 10 i. magis deſidero frui Deo; quam ulli excubitores matutino, utcumque vigiliis defeſſi. 11 id eſt, perpetuarum excubiarum, quibus nemo ſucceſſerit; ſed quæ per totam noctem vigilaverint. 12 ſecunda pars cantici, continens documentum fidei in Deum, hoc verſ. & promiſſionem confidentibus, ſequente verſ. 13 proficiſcentis ex benignitate ejus. 14 qui exſpectationem ſuam in Jehova habuerit.

## Pſalmus CXXXI.

*David demiſſum ſuum animum ſimplicemque profeſſus, Eccleſiam ad humilitatem, ſimplicitatemque exhortatur.*

1 [1] CAnticum *a* excellentiſſimum Davidis.
Jehova, [2] nō fuit altus *b* animus meus,
neque elati oculi mei; ac non aggreſſus ſum *res*
magnas aut *c* arduas ſuprà quam conveniat
mihi.
2 An non compoſui & ſedavi animum
meum, ſimilis depulſo à lacte apud matrem
ſuam? ſimilis depulſo à lacte apud me *fuit* ani-
mus meus.
3 [3] Exſpectationem habeat Jiſrael in Jeho
va, ex hoc tempore uſque in ſeculum.

1 Canticum eſt didaſcalicum; quo pſaltes primùm animi ſui ſimplicitatem exponit duobus ver. deinde Eccleſiam hortatur ad imitationem ſui, v. 3. a *Heb. excellentiarum, ut ſup. Pſalmus* 120. 2 i. neque animo, neq; ſignis, neq; facto aſpiravi ad regnum & Schaulis everſionem, aut aliud quidquam ingens ex me ipſo tentavi; ſed certa fiducia recubui in te, & acquievi voluntati tuæ. b *Heb. cor.* c *Heb. mirabiles præ me* 3 i. meo exemplo numquam alat ingentes ſpiritus; ſed à divina voluntate pendeat.

## Pſalmus CXXXII.

*David arcam Dei ducturus Jeruſchalaima ſolicitudinem ſuam, votum, officiumque exponit Deo: orat: ut Deus veniat in civitatem ſuam; & regno, ſacerdotio, populoque benefaciat: ideoque promiſſiones antè à Deo factas adducit.*

1 [1] CAnticum *a* excellentiſſimum. [2] Memor
eſto, Jehova, Davidis; *b* cum tota [3] affli
ctione ejus:
2 [4] Juraſſe Jehovæ, voviſſe ampliſſimo [5] *Deo*
Jahakobi, *dicendo*:
3 *Diſpeream*, ſi ingrediar tentorium [6] do-
mus meæ, ſi conſcendam ſpondam [7] ſtratorum
meorum.
4 [8] Si dem ſomnum *ſuum* oculis meis, pal-
pebris meis dormitationem;
5 Donec invenero locū pro Jehova, *locum*
tabernaculorū pro ampliſſimo *Deo* Jahakobi.
6 [9] Ecce audivimus [10] eam *fuiſſe* [11] in Ephra-
thæa regione, inveneramus eam in agris [12] Ja-
haris:

1 Canticum eſt διανοητικὸν conſtās ex partibus duabus: una eſt oratio ſive petitio, uſque ad v. 11. altera eſt ætiologia petitionis exponens promiſſiones Dei, inde ad finem uſque. Videtur autem hic pſalmus cōſcriptus fuiſſe, quum arca ex domo Hobededomi deducenda eſſet Jeruſchalaimas 2. Chron. 15. a *Hebr. excellentiarum: ut ſupr.* 120. 2 i. demonſtra te meminiſſe & reſpicere ad Davidem: ſtudiumque animi ejus contentiſſimum approbare præſtando petitionem ejus: ut Gen. 8. 1. Eſt autem hîc prolepſis ſive generalis petitionis propoſitio, cujus duæ partes in ſequentibus per ὑστέρωσιν explicantur. b *Heb. cum toto affligi eum.* 3 anxia animi ſolicitudine, quæ deinceps exponitur uſq; ad v. 6. 4 expoſitio afflictionis; ut modo dictū eſt. q. d. ego ſemper verſor in eadem ſolicitudine quam habebam antequam in Hubzā irrumperes, nimirum, ut arca federis adducatur ad me. & quod prius tibi jurejurando adhibito voveram, idē votum adhuc integrum perſtare ſentio, etſi me jam priùs hoc deſiderio afflictum, ampliùs aliquantiſper tua irruptione in Huzzam conturbaſti atque afflixiſti, 2. Sche. 6. & 1. Chr. 13. 5 cujus ſimile votum benedictione tua comprobaſti, Gen. 28. 6 quam recens ædificandam curavi in civitate Davidis: ut oſtenditur 2. Sch. 5. 9. & 1 Chr. 15. Nam non fuit adeò arrogans David, ut voto ſuo ſe legem putaret poſſe Deo præſcribere, ut quam primùm veniret, arbitratu ipſius; neque adeò temerarius, ut ſponderet ſe ſub dio habitaturum, non cubaturum, & noctes inſomnes ducturum donec apportaretur arca; quod opus fuit multorum dierum: ſed religio fuit illi migrare in novum domicilium ſuum, niſi prius Deus ibidem ſuam ſedem conſtituiſſet. Similis poſtea religio illi fuit, quum de templo ædificando cogitaret; ut teſtantur ipſius non abſimilia ad Nathanem verba, 2. Sch. 7. 2. 7 quæ in novo domicilio comparata ſunt. 8 nimirum in mea domo. 9 ἐξεργασία ſive exornatio alterius membri prolepſeos: in qua David primùm narrat officium ſuū præteritum, hoc v. & pręſens, ſequente: deindę exponit petitionem ſuam, tribus ver. 10 nimirum arcam, quæ nominatur inf. v. 8. Relativum ante ſuum antecedens; ut alibi. 11 i. Schilunte in tribu Ephrajimi: ubi aſſervata eſt inde à temporibus Jehoſchuhæ, uſque ad obitum Heli ſacerdotis, dum à Peliſchthæis capta eſt, 1. Sch. 4. 11. 12 ſive ſilvæ, id eſt, in urbe Jahârimorum, quæ in loco plano & ſilvoſo ſita eſt: quamobrem à ſilvis dicta eſt Kirjath Jeharim, id eſt, urbs ſilvarum; à planitie verò dicitur Bahal, vel Kirjath-bahal, atque etiam Bahale Jehudæ, id eſt, plana loca; hîc verò agri ſive campi.

7 [13] Accedimus ad tabernacula ejus; incur-
vamus nos *honorem exhibentes* ante ſcabellum
pedum ejus.
8 [14] Surge Jehova, aditurus requiem tuam;
tu & arca roboris tui.
9 [15] Sacerdotes tui induantur juſtitia; & [16]
quos benignè accipis cantent;
10 Propter [17] Davidem ſervum tuum, ne
avertas faciem [18] uncti tui.
11 [19] ‖ Juravit Jehova Davidi [20] veritatem,
à qua non avertet ſe *dicens*; De fructu ventris
tui ponam in ſolio tuo.
12 Si obſervaverint filii tui fœdus meum &
teſtimonia mea ſingula quæ docebo eos; et-
iam filii illorum uſque in ſempiternum, ſeſſuri
ſunt in ſolio tuo.
13 ‖ Nam elegit Jehova Tzijonem, experi-
vit pro habitatione ſua, *dicens*:
14 Hæc *eſt* requies mea uſque in ſempiter-
num; hîc habitaturus ſum, quia hoc expetive-
ram.
15 [21] Viatico ejus *c* affatim benedicam, egen-
tes ejus ſaturabo cibo:
16 Sacerdoteſque ejus induã ſalute, & quos
in ea benignè accipio *d* omnino cantabũt *illi*,
17 Ibi efficiam ut [22] germinet cornu Davi-
dis, *ubi* aptavi [23] lucernam uncto meo.
18 Inimicos ejus induam [24] pudore; ſuper
ipſum verò [25] florebit coronamentum ejus.

13 in domum Hobed. Edomi, ubi relicta fuerat arca, quum David judicio Dei in Huzzam exercito ſuiſſet conſternatus: 2. Schem. 6. 10 & 1. Chr. 13. 13.
14 petitio, de qua vide 2. Chr. 6. 41. Continet autem hæc petitio precationẽ pro domicilio Dei, & piorum ſanctificatione. duobus ver. & deprecationem itẹ quam in priore deductione fuerant experti, ver. 12.
15 i. adminiſtri, ſacrorum, qui ſe ſanctificãtũt ritè, ampliùs ſanctificentur à te: ſic accommodat ad ſingularem hanc profectionem promiſſum illius Dei, de quo infr. v. 16. confer cum 1. Chron. 15.
16 i. populus tuus: 1. Chron. 15, 18.
17 i. Chriſtum filium Davidis, qui ſubinde in prophetis appellatur David: ut Hoſch. 3. 5. proprium nomen loco patronymici. 18 i. meam, qui unctus ſum in Chriſto tuo per Schemuelem ex mandato tuo, 1. Schemuel. 16. His autem verbis paratur tranſitus ad ſequentem ætiologiam; qua copioſè explicatur quod modo dictum eſt, propter Davidem ſervum tuum q. d. propter quem juraſti, &c. quæ in ſequente verſ. apponuntur. 19 altera pars cantici; explicatio promiſſionum, quibus freta fides ad orandum Deum ſuperioribus verbis adducta eſt.
‖ 2. *Schemu.* 7. 12 1. *Reg.* 8. 25. *&* 2. *Chron.* 6. 16. 20 i. promiſſionem firmiſſimam: ut ſequentia verba exponunt. Sunt autem hujus promiſſionis loci quatuor: gentis Davidicæ æternitas, duobus verſ. urbis & regionis ſanctificatio ex præſentia Dei, ver. 13. & duobus ſeq. ſacerdotium, ver. 15. & regnum florentiſſimum, duobus ultim. ‖ *Pſalm.* 78. 68. 21 i. rebus neceſſariis ad præſentem vitam, quæ peregrinatio eſt à Domino. c *Hebr. benedicendo benedicam.* d *Hebr. cantando cantabunt.* 22 i. amplientur & propagentur vires regni: metaphora ab animantibus quorum ramoſa ſunt cornua. 23 i. ubi jam cœpi inſtituere dignitatem & ſplendorem regium: ut 2. Schem. 21. 17. & 1. Reg. 11. 6. 24 i. pudendo exitio, quod ſaluti opponitur, ver. 16. 25 i. florens permanebit, nec marceſcet unquam: metaphora, ut ſuperiore verſ.

## Psalmus CXXXIII.

*David communionem ſanctorum celebrat; & elegantibus comparationibus figurat bona, amœnitatemque illius.*

1 [1] CAnticum *a* excellentiſſimum Davidis.
[2] Ecce quàm bonum & quàm amœnum
*eſt*, habitare [3] fratres [4] etiam unà.
2 [5] *Eſt* ut unguentum illud optimum ſu-
perfuſum capiti, deſcendens ſuper barbam,
barbam Aharonis; quod deſcendit uſque ad
oram [6] veſtium ejus:
3 [7] Ut ros [8] Chermonis, *ut* qui deſcendit
ſuper montes Tzijonis: [9] nam illic mandat Je-
hova [10] benedictionem ſuam, vitam uſque in
ſeculum.

1 Canticum eſt didaſcalicum; quo Propheta communionem ſanctorum celebrat, à bonitate & amœnitate ejus.
a *Hebr. excellentiarum: ut ſupra* 120.
2 propoſitio proleptìcè continens duo epitheta communionis ſanctorũ, quæ per ὕστερον [illegible] Hebræis familiarem poſteà explicantur. 3 id eſt, filios Dei, Eccleſiæ membra, ejuſdem doctrinæ & vitæ participes in Chriſto. 4 id eſt, etiam inter ſe communionem colere, ut Deus cum ipſis colit præcedente Pſalmo, eſt enim communio ſanctorum duplex, cum Deo & cum Eccleſia in Chriſto per unitatem Spiritus. 5 expoſitio amœnitatis per comparationẽ, de qua vide Exod. 30. 23. & ſeq. q. d. ut amœnum eſt oleo unctionis perfundi Aharonem totum, omniaq; veſtimenta ejus, & omnib. circumſtantib. odori eſſe: ita amœnum eſt corpus convenientium in nomine Dei, quos Deus certiſſimè ſua præſentia ornat, & donis ſpiritus odoratiſſimis. 6 de quibus Exod. 28. 7 explicatio bonitatis; quę primum adumbratur duabus cõparationibus, poſteà nudis verbis exponitur. 8 quo ager Baſchanis fertilis redditur. 9 nimirum ubi fratres habitant etiã unà, v. 1. 10 i. omne bonum cum remiſſione peccatorum, & vitam æternam.

## Psalmus CXXXIV.

*Pſaltes Eccleſiam totam hortatur ut benedicat Deo, adjunctis promiſſionibus.*

1 CAnticum *a* excellentiſſimũ. [2] Ecce bene-
dicite Jehovæ omnes ſervi Jehovæ; qui
perſtatis in domo Jehovæ [3] ſingulis noctibus.
2 [4] Attollite manus veſtras [5] *b* ſanctè, & be-
nedicite Jehovæ.
3 [6] Benedicet tibi Jehova è Tzijone, qui fe-
cit cælos & terram.

1 Canticum eſt [illegible], continẽs primũ hortationem ad corpus Eccleſiæ ut benedicat Deo, duobus v. deinde promiſſionẽ ult. a *Heb. excellentiarũ ut ſup.* 120. 2 q. d. cũ tuũ, ô Eccleſia, corpus ita ſit adunatũ in Chriſto, & tantis benedictionib. cumulatũ, ut ſuperiore pſalmo dictũ eſt; agedum, benedicite Jehovæ, tum vos Sacerdotes & Levitæ, hoc verſu; tum populus totus, ſeq.
3 i. non tantum interdiu, ſed etiã nocte obſervatis obſervationes ejus; Num. 18. 1. & ſeq. & 1. Chron. 9. 33.
4 i. orate & gratias agite: hortatio ad Eccleſiam totam. 5 aut etiam ſanctas, ut 1. Tim. 2. 8. b *Hebr. ſanctitate.* 6 i. perget ornare gratos animos veſtros ſub illa benedictione, de qua ſuperiore Pſalmo ver. ultimo.

## Psalmus CXXXV.

*Pſaltes Eccleſiam hortatur ad laudandum Deum, omnipotentiæ in res creatas & inimicos ipſos, bonitatiſq; erga Eccleſiam nomine: quæ omnia per comparationem idolorum graviſſimè amplificat.*

1 *a* HAlelu-Jah. Laudate nomen Jehovæ,
laudate ſervi Jehovæ:
2 [2] Qui ſtatis in domo Jehovæ, in atriis do-
mus Dei noſtri.
3 Laudate Jah, quia [3] bonus *eſt* Jehova:
pſallite nomini ejus, quia amœnum *eſt*:
4 ‖ Quia Jahakobum ſibi elegit Jah, Jiſrae-
lem in peculium ſuum.
5 Nam ego novi magnum eſſe Jehovam, &
Dominum noſtrũ ſuperiorem omnibus diis.
6 *b* [4] Quicquid placet ſibi, Jehova facit; in
cælis ac in terra, per maria & omnes abyſſos.
7 Faciens ut aſcendant vapores ab extre-
mitate terræ; fulgura cum pluvia facit, depro-
mit ventum [6] è theſauris ſuis.
8 ‖ Qui percuſſit primogenita Ægypti, *c*
tam hominum quàm jumentorum:
9 *Quum* immiſiſſet ſigna & prodigia in me-
dium tui, Ægypte; contra Parhonem & con-
tra omnes ſervos ejus.
10 ‖ Qui percuſſit gentes amplas, & inter-
fecit reges robuſtos:
11 Sichonem regem Emoræorum, & Ho-
gum regem Baſchanis; omniaque regna Cena-
hanæorum.
12 [7] Et dedit terram eorum poſſeſſionem,
poſſeſſionem Jiſraeli populo ſuo.
13 O Jehova, nomen tuum *eſt* in ſeculum:
Jehova, [8] memoria tui in *d* quamque gene-
rationem.
14 [9] *Quòd* ſi judicat Jehova populum ſuũ
mox de ſervis ſuis pœnitet ipſum.
15 [10] ‖ Terriculis gentium argenteis & au-
reis, operis manuum humanarum,
16 Os illis *eſt*, ſed non loquuntur; oculi *ſunt*
illis, ſed non vident:
17 Aures *ſunt* illis, ſed non audiunt; etiam
nullus ſpiritus in ore illorum.
18 Similes illis futuri ſunt qui faciunt illa,
quiſquis confidit illis.
19 [11] Domus Jiſraelis benedicite Jehovæ,
domus Aharonis benedicite Jehovæ:
20 Domus Leviticæ *tribus* benedicite Je-
hovæ; timentes Jehovę benedicite Jehovæ, *di-
cendo*:
21 Benedictus *ſit* Jehova è [12] Tzijone, in-
habitans Jeruſchalaimis, Halelu-Jah

1 Ode eſt [illegible], continens primùm exordium hortatorium ad laudationem Dei, tribus ver. deinde propoſitionem argumentorum ad laudes Dei pertinentium: à verſ. 3. ad 15. poſtea exornationem à comparatione idolorum & idololatrarũ, à v. 15. ad 19. poſtremò concluſionem ejuſdem argumenti cum exordio, ad finem uſque.
a *id eſt, laudate Jah: ut Pſal.* 104. 35.
2 i. Sacerdotes, Levitæ, & populus, quibus ſua atria erant: ut 2. Chron. 4. 9.
3 propoſitio ſumma argumẽtorum ad laudes Dei pertinentium: nimirum Deũ natura ſua bonũ & amœnum eſſe, hoc ver. talemque ſe exhibere ſuis, ver. ſeq. potentiſſimum verò etiam exteris v. 5. quæ duo poſteà copioſius exponuntur per ὕστερον.
‖ *Exod.* 19. 5.
b *Hebr. quicquid placet Jehova, facit: ut Gen.* 9. 6.
4 explicatio poſterioris membri proleptſcos de omnipotentia Dei, tum in rebus omnibus creatis, duobus verſ. tum in hoſtibus Dei & populi ipſius demõſtrata, à ver. 8. uſque ad 12.
5 una ad alteram.
6 id eſt, ſpecubus & locis abditis in quibus velut theſauris continet ventos
‖ *Deut.* 2. *&* 3. Deus. ‖ *Exod.* 12. 29. c *Hebr. ab homine uſque ad jumenta.* ‖ *Jehoſch.* 12. 7 explicatio prioris membri de bonitate & amœnitate Dei erga populum ſuum; quæ non tantùm in hac traditione terræ poſita eſt, ſed in conſtante beneficentia, quam per exclamationem enunciat Pſaltes. ſequ. verſ. 8 i. documenta memoriæ tuæ; quæ tradis populo tuo. d *Heb. generationem & generationem.* 9 i. ſi juſto ſuo judicio interdum caſtigat: occupatio objectionis quæ fieri potuit, Deum non ſemper indulgere Eccleſiæ ſuæ, ſed graviter flagellare: cui objectioni reſpondetur, ſi non ſemper indulget, at non ſemper verberat; ſed ſuorum miſertus ferulam abjicit, & paterne ſuos recipit, quaſi pœniteret ipſum duriter cum illis egiſſe: humanitus dictum, ut Gen. 6. 6.
10 exornatio ſuperiorum documentorum, à comparatione potentiæ Dei cum impotentia idolorum, tribus verſ. & exitus bonorum cum exitu idololatrarum, verſ. 8. de terriculis autem vide 1. Schem. 31. 9. ‖ *Pſal.* 115. 4. 5. *&* 6. 11 concluſio ut dictum eſt ſupr. in verſ. 1. ſingulos ordines nominatim hortans. 12 i. ubi aſpectabilem præſentiam ſuam conſtituit, in Eccleſia.

## Psalmus CXXXVI.

*Pſaltes hortatur Eccleſiam ad prædicandas Dei laudes propter beneficentiſſimam naturam & majeſtatem ipſius, benignáque opera in creatione, adminiſtratione, & cōſervatione rerum omnium, ac in primis Eccleſiæ demonſtrata.*

1 [1] Celebrate Jehovam, quia bonus *eſt*: quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus.
2 Celebrate [2] Deum Deorum, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus.
3 Celebrate Dominum dominorum, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus.
4 [3] Eum qui facit mirabilia opera magna ſolus, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus.
5 ‖ Qui fecit cœlos [4] intelligentia, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus:
6 Qui expandit terram [5] ſuper aquas, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus:
7 Qui fecit lumina magna, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus.
8 Solem ad dominium *obtinendum* interdiu, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus:
9 Lunam cum ſtellis ad dominia *obtinenda* noctu, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus.
10 [6] ‖ Qui percuſſit Ægyptios in primogenitis illorum, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus.
11 Et eduxit Jiſraelem è medio illorum, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus:
12 Manu robuſta & brachio extento, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus.
13 ‖ Qui ſecuit mare algoſum [7] in ſegmenta, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus:
14 Et tranſmiſit Jiſraelem per medium illius, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus:
15 Excuſſitque Parhonem & copias illius in mare algoſum, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus.
16 ‖ Qui duxit populum ſuum per deſertū: quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus.
17 ‖ Qui percuſſit reges magnos, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus.
18 Et interfecit reges magnificos, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus:
19 Sichonem regem Emoræorum, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus.
20 Et Hogum regem Baſchanis quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus.
21 Deditque terram [8] iſtorum in poſſeſſionem, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus:
22 Poſſeſſionem Jiſraeli [9] ſervo ſuo, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus.
23 [10] Qui in abjectione noſtra recordatur noſtri, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus:
24 Et aſſerit nos ab hoſtibus noſtris, quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus.
25 Qui dat cibum [11] omni carni, qui in ſeculum *eſt* benignitas ejus.
26 Celebrate *Deum* fortem cælorum; quia in ſeculum *eſt* benignitas ejus:

1 Ode eſt, ἐπαγγελτική, continens propoſitionem hortatoriam ad laudes Dei, primum à natura benefica & ſumma majeſtate ejus tribus verſibus; ſecundo ab operibus admirabilibus: inde uſque ad ℣. 26. & cōcluſionem hortatoriam ejuſdem argumēti cū principio. Eſt autem hæc ode ἀντίστροφος, ſive ſingulos ver. eadem clauſula terminans, ut doceatur tum laudum noſtrarum, tum operū Dei omnium fontem eſſe unicum benignitatem Dei: quod documentum, quia perpetuum eſt, propterea hæc ode quotidie in vetere Eccleſia ab Levitis cātata eſt 1. Chr. 16. 41.
2 vide Deut. 10. 17.
3 alterum membrum propoſitionis de laudatione Dei ab operibus ipſius quæ hoc quidē ver. proleptiκè ponuntur, deinde vero diſtribuuntur in opera creationis, uſque ad verſ. 10. & opera adminiſtrationis, uſque ad ultimum.
‖ Gen. 1.
4 i. ſapientiſſimè & intelligentiſſime: ſic Pro. 3. 9.
5 ut ſup. Pſal. 24. 2.
6 alterum genus operum ad laudem Dei pertinentium, nimirum benigna ipſius adminiſtratio, tum ſingularis contra inimicos Eccleſiæ ſuæ, & erga Eccleſiā ipſam, extra ordinem & ordinariè, uſque ad verſ. 23. tū univerſalis erga omnes propter benignitatem ipſius, v. 25.
‖ Exod. 12. 29. & ſeq.
‖ Exod. 14. 21.
7 utrinque diſparato mari, Exod. 4. 21.
‖ Exod. 15. & ſeq. Num. 21. 24.
8 & Cenahanæorum omnium. ut dictum eſt ſuperiore Pſal. ℣. 10. & 11. ſynecdoche.
9 i. quem in fidem ſuam recepit, ut ſibi ſerviat.
10 tranſitio ad ordinariam adminiſtrationem Dei beneficentiſſimam, tum erga Eccleſiam, duobus verſ. tum erga creaturas omnes, ℣. 25.
11 & rebus creatis omnibus contulit, ſynecdochicè.

## Psalmus CXXXVII.

*Sacerdotes & Levitæ captivi ad ſacras cantiones cantandas ſollicitati, renuunt, in luctu permanent, Edomæisque & Babyloniis ſeveriſſimum Dei judicium imprecantur atque denunciant.*

1 [1] Ad [2] flumina Babyloniæ [3] ibi ſedentes etiam *atque etiam* flevimus: quum recordaremur Tzijonis:
2 Ad ſalices *a* in ea, ſuſpendimus [4] citharas noſtras,
3 [5] Quamvis ibidem peterent à nobis *b* cātiones lætas qui captivos abducebant nos, & qui [6] contumulabant nos: *dicentes*, canite nobis de *c* canticis Tzijonis.
4 [7] Quomodo fuiſſemus cantaturi [8] canticum Jehovæ, [9] in ſolo alienigenarum?
5 [10] Si obliviſcar veſtri, ô Jeruſchalaima [11] obliviſcatur *ſui* dextra mea.
6 [12] Adhæreat lingua mea palato meo, ſi non [13] recorder tui: ſi non *d* [14] eveham Jeruſchalaima ſupra caput lætitiæ meæ.
7 [15] Recordare Jehova, [16] contra *e* Edomæos [17] diei Jeruſchalaimorum: qui dicebant: [18] nudate, nudate: quantiſper fundamentum ejus *erit* in ea.
8 *f* [19] Gens Babylonica vaſtanda, beatus *ſit* qui rependet tibi maleficium tuum quo affeciſti nos:
9 Beatus, qui [20] prehendet: & diſſipabit parvulos tuos *allidens* ad petram.

1 Canticum eſt generis mixti, didaſcalicum, & θλιπτικόν, cujus partes ſunt tres: prima eſt narratio ludificationis qua hoſtes in Jiſraelitas captivos utebātur, tribus ℣. ſecunda confirmatiò facti piorum in gravibus illis tentationibus, v. 4. 5. & 6 poſtrema imprecatio & intermінatio judiciorū Dei, trib. ult.
2 i. monarchiæ Babylonicæ: nā Jehudæi non in ſolam Babyloniam propriè dictam abducti ſunt, ſed diſperſi in ditionem Babylonicam: ut ex Jechezkele, Danijele, & Hezra conſtat evidentiſſimè.
3 i. ad vada conſiſtentes, donec trajeciſſent omnes.
a Heb. in medio ejus.
4 i. inſtrumenta muſica noſtra abjecimus, & omne canendi ſtudium: ſynecdoche. Hinc autem videntur Pſalmum hunc pii Sacerdotes & Levitæ conſcripſiſſe, ad inſtitutionem & confirmationem Eccleſiæ
5 i. ne illorum quidem auctoritati paruimus quorum eramus mancipia, ut vel tantillum diſſimulato luctu ipſis in ea re gratificaremur, & ſacras cantiones prophano abuſu cōtaminaremus.
b *Heb. verba cantici, & contumeliatores noſtri* verba *lætitia*.
6 i. & gentem noſtram, & habitationes noſtras, urbémque & templum Dei noſtri in funeſtum & miſerabilem tumulum redegerant: ut Pſal. 79. ſynecdoche. Sic autem Hebræum nomen interpretamur adducti germano illius etymo, ſuperiorisque membri & totius argumenti conſideratione.
c *Heb. cantico: enallage numeri.*
7 confirmatio facti piorum, cur ſuis hoſtibus morem non geſſerint, cujus partes ſunt, ætiologia, hoc ver. & κατάρα ſive devotio ſui ipſorum, ſi ab officio ſuo diſcederēt, duobus ſeq.
8 prior ratio ſilentii piorum, à cantionum genere; quas ſacras Deo eſſe agnoſcunt, non autem prophanas, ad libidinem inimicorum Dei abutendas.
9 ſecunda ratio. q. d. non eſt hujus loci, neque temporis: nam cantica illa ad cultum Jehovæ in Eccleſia aſpectabili pertinentia fuerunt tantum in terra quam ſanctificaverat de cantanda.
10 alterum membrum confirmationis, nimirum devotio: q. d. diſpeream ſi fecero, abſit à me tam indignum facinus, ut quaſi oblitus veſtri cantica lætitiæ canam.
11 i. fiat abalienata atque emortua, potius quàm ut canam: metaphora.
12 i. potius ex reſcat quam ut cantet iſtorum arbitratu: qua in re perinde facerem, ac ſi Tzijonis & Jeruſchalaimorum obliviſcerer.
13 i. perpetuo luctu meam de te recordationem teſtatam faciam.
d *Heb. faciam ut aſcendant Jeruſchalaima.*
14 i. pluris faciam urbem ſanctam quam lætitiam ullā quæ mihi vel maxima offerri poſſit, & recordatione luctuoſa illius omnem materiam recreationis & exhilarationi ſtudioſè obliterem. Eſt enim caput lætitiæ, præſtantiſſima quævis lætitia, per hypallagen Hebræis frequentatam.
15 tertia pars odes reſpiciens adverſarios, & continens primum imprecationem hoc ℣. deinde propheticam denunciationem graviſſimæ illorum ruinæ.
16 ut Pſal. 79. 12. horum autem inſanam debacchationem in templum, urbem, & populum Dei vide Jirme. 49. 7. & Jechez. 25. 12. prædictionem verò ruinæ ipſorum ibidem, & Lament. 4. 21.
e *Heb. filios Edomi.*
17 calamitoſi illius, quo everſa ſunt: ut Pſal. 1 6. 2.
18 ſubruite ad ima fundamenta uſque, ne fundamentorum quidem veſtigia relinquite: in Edomæos autem contrariam denunciationem, vide Mal. 1. 2.
f *Heb. filia Babylonia vaſtata, ita eſt, quæ certiſſime vaſtaberis.*
19 prophetica denunciatio ruinæ Babylonicæ, cum exclamatione bene optante illis per quos ruina Babyloniorum erat eventura: de quo Jeſcha. 13. & Jirme. 50. & 51.
20 i. qui ſeveriſſimè in te judicia Dei exercebit pro atrocitate maleficiorum tuorum: ut Jeſcha. 13. 16.

## Psalmus CXXXVIII.

*David Deum celebrat propter benignum verbum & opera ejus erga ſe: a gentibus ſuo exemplo celebratum iri docet, ac poſtremò ſe committit Deo.*

1 [1] O De Davidis, Celebrabo te ex toto *a* animo meo, coram *b* poteſtatibus pſallam tibi.
2 Incurvabo me *honorem exhibens* verſus templum ſanctitatis tuæ, & celebrabo nomen tuum, [3] propter benignitatem tuam & propter fidem tuam. [4] quia magnificas cum toto nomine tuo ſermonem tuum.
3 [5] Quo die clamavi, eodē exaudiviſti me: [6] feciſti ut efferret me animo meo robur.
4 [7] Celebrabunt te Jehova, omnes reges

1 Ode eſt generis mixti, ἐπαγγελτική & θλιπτικὴ: cōſtat itaq; duabus partibus, laudatione Dei, uſq; ad ℣. 7 & petitione, duob. ult. Laudatio autem duplex eſt, una, ſingularis à Davide, trib. ver. altera communis omniū gentium quæ ad Chriſti regnum vocādæ erāt, inde ad ℣. 7.
a *Heb. corde.*
2 i. publicè, ne apud ullos quidē proceres diſſimulabo: ut Pſal. 1 7. 31 & 119 paſſim: quomodo accipiendum eſſe docet verſ. 4.
b *Heb. diis.*
3 ut ſup. Pſ. 115. 1.
4 ætiologia, vel potius exegeſis proximè præcedentis ætiologiæ per benig. tuā & per fid. tuam, nam benignitate magnificatur nomen Dei, fide veritas ſermonis aſſeritur, quo nos inſtituit Deus.
5 confirmatio ab exēplo ſuo.
6 i. confirmaſti & roboraſti me.
7 altera pars laudationis, ut dictū eſt in verſum primum.

Ddd

terrę, quum audierint[8] ſermones oris tui:
5 Et canent de viis Jehovæ, magnam eſſe
gloriam Jehovæ.
7 Quamvis elatus ſit Jehova, tamen depreſ-
ſum[9] aſpicere, quamvis altus, è lōginquo per-
noſcere.
8 [10] Si ambulo in media anguſtia, vivum
conſervas me: [11] in faciem inimicorum meo-
rum extendis manum tuam, & ſervat me dex-
tera tua.
9 Jehova perficiat pro me: Jehova benigni-
tas tua in ſeculum *eſt*; *ab* operibus[12] manuum
tuarum ne deſiſtas.

8 i. duobus nominibus laudabunt te; de verbo tuo hîc & de adminiſtratione ex verbo, ſeq. verſ. ut 2. Chro. 1.12. & ſeq. 9 non otioſè, ſed cum efficacitate id eſt omnino ejus rationem habere: ſic ſequentia. 10 tranſitio ad petitionem, cujus argumentum hoc loco ponitur: unum, ab anteacta Dei beneficentia hîc; alterum, ſeq. v. à natura Dei conſtante in beneficiis. 11 i. velut ſiniſtra illos percutis, quum me conſervas dextera; ut Pſal. 3.8. 12 ſiniſtræ nimirum in propulſandis hoſtibus: & dexteræ in conſervando me.

## Psalmus CXXXIX.

*David ſe totum Deo perſpectum agnoſcens, profitetur ſtudium ſuum adhærendi Deo & fugiendi à malo; & ad confirmandum hanc profeſſionem ſuam, ſe amplius probandum committit Deo.*

1 [1] Magiſtro ſymphonię, Davidis pſalmus.
Jehova, [2] perveſtigas me & cognoſcis.
2 Tu cognoſcis [3] ſedere meum & ſurgere
meum, intelligis cogitationem meam [4] è lon-
ginquo.
3 Iter meum & accubitum meum circū-
plecteris, & omnium viarum mearum *a* peri-
tus es.
4 Quum nondum *eſt* ſermo in lingua mea;
en ô Jehova, noſti ipſum totum.
5 [5] Retrò & ante obſides me, & imponis mi-
hi manum tuam.
6 Mirabilior *eſt* ſcientia *tua b* quam ut fal-
lam, edita eſt, non poſſum prævalere illi.
7 [6] Quò irem à ſpiritu tuo? aut quò à facie
tua fugerem.
8 Si ſcanderem cœlos, illic es; aut ſtratum
ponerem in ſepulcro, ecce ades.
9 Si aſſumerem alas auroræ, habitaturus in
extremitate maris:
10 Etiam illuc manus tua deduceret me, &
prehenderet me dextra tua.
11 *Sin* autem dicerem, utique tenebræ vel-
ut crepuſculo obvolvent me: atqui [7] nox lux
*eſt* circa me:
12 Ne tenebræ quidem ita *c* obtenebrare
poſſunt quin tu pervideas: ſed nox ut dies illu-
ſtrat, perinde *ſunt* tenebræ atque ipſa lux.
13 [8] Tu enim poſſides [9] renes meos, [10] *ex quo*
obtegebas me in utero matris meæ.
14 [11] Celebro te, [12] eò quòd *d* ſuſpiciendis
*operibus iſtis* in admirationem traducor: *celebro*
mirabilia opera tua, *e* [13] quam maxime novit
animus meus.
15 [14] Non celata *eſt* [15] vis mea tibi; *ex* quo
factus ſum [16] in abdito, artificiosè confectus,
*velut* [17] in imis partibus terræ.
16 [18] Maſſam meam vident oculi tui, & in
libro tuo hæc omnia ſcripta sūt, *ex quibus* die-
bus formabantur, [19] quum nondum ullum ex
eis *exſtaret*.
17 [20] Quamobrem apud me, ô quam pre-
tioſæ ſunt cogitationes tuæ, ô *Deus* fortis! [21]
quam numeroſæ ſunt ſummæ earum!
18 Narrarem illas, *ſed* arena plures ſunt: [22]
in vigilo adhuc ſim tecum.
19 [23] *Quod* ſi interempturus es, ô Deus, im-
probum; & viros ſanguinarios *dicendo*, [24] re-
cedite à me;
20 Qui obloquuntur [25] tibi *f* ſceleratè; *qui*
[25] extollunt *g* vanè inimicos tuos.
21 An non oſores tuos, ô Jehova, odio ha-
beo? & de inſurgentibus in te faſtidio me ipsū
torqueo?
22 *h* Perfecto odio odi illos? inimicorum
loco ſunt mihi?
23 [27] Perveſtiga me *Deus* fortis, & cognoſce
animum meum; proba me, & cognoſce cogi-
tationes meas.
24 Denique vide *i* an ego ingrediar via mo-
leſta tibi: & deduc me [28] via *k* perpetua.

1 Pſalmus eſt propriè διδακτικός, quem orationis μέθοδος & figurarum poeticarum frequētatio reddit obſcuriorē. Conſtat autem ſummatim ex tribus partibus: prima eſt, quædā velut advocatio teſtificationis Dei qua David ſe hominum calumniis obrutū, ſaltem Deo à pernoſci & probari docet uſq; ad ver. 14. ſecunda, explicatio animi ſui inde uſque ad verſ. 23. tertia, petitio ut amplius ſi opus eſt ipſum probet Deus & dirigat, duobus ultimis. 2 i. explicata eſt tibi, penitus, & perſpecta funditus conſcientia mea: metaphora. Eſt autem hęc propoſitio, quæ ſequentibus v. eleganti ſſimè exornatur. 3 i. ſive ſedeam, ſive ſurgam, ſive quid agam corpore, ſive animo verſem, intus & extra totus tibi perſpectus ſum. 4 id eſt, lōge antequam animo inſederit meo, ut oſtendit v. 4. a Heb. *aſſuefactus es.* 5 i. omni ex parte me circumtenes, antrorſum, retrorſum, ſuperne, inferne, dextrorſum, ſiniſtrorſum: ſynecdoche: ut 5. verſib. ſeq. exponitur. b *Heb. præ me ſimile vide infr. verſ. 12.* 6 explicatio ſcientiæ Dei mirificæ à duabus circumſtantiis, loci, his 4. verſ. & temporis, ℣. 11. & ſeq. 7 q.d. mihi quidem & rebus creatis obſcura & cæca nox eſt, tibi vero omnia ſunt perſpecta, nuda, & patentia oculis tuis: Heb. 4.13. c *Heb obtenebrarent præ te.* 8 ætiologia ſuperioris profeſſionis ſive proteſtationis, à ſingulari hominis genitura per mirificam adminiſtrationem Dei, q.d. merito omnia iſta tibi perſpecta ſunt; quia ea non tantum creatione tibi comparaſti ſingula, verum etiam adhuc creationis & redemtionis jure poſſides. 9 i. quicquid in me latet: ſynecdoche. 10 i. inde à conceptu meo. 11 ſecūda pars pſalmi; qua Pſaltes explicat ſtudium animi ſui; tum in celebranda Dei beneficentia erga ſe uſque ad ℣. 17. tum in præſtando obſequio, & voluntate ipſius conformanda voluntati Dei, à ℣. 17. uſq; ad ver. 23. 12 ſic oſtendit Pſaltes ſe tranſire ad ſecundum hunc locum ſumta occaſione ex ſuperiore argumento. d *Heb. reverendu.* e *Heb. ut valde.* 13 id eſt, ex toto animo & facultate mea, quam tu inde ab ortu meo optime cognoſcis, duobus ſequentibus ℣. 14 quaſi dicat, te ipſum teſtem adhibeo hujus integritatis meæ, qua incumbo in laudationem tuam; ut qui me inde à principio noveris. 15 quam totam occupari in laudibus tuis dixi ſuperiore verſ.

16 matris utero. 17 i. mirificentiſſimè, & ſuprà omnē humanam facultatem & artificium. 18 i. quicquid eſt in me, expoſitū eſt ac velut deſcriptum in oculis tuis. 19 i. non tantum quum cœperūt eſſe noviſti ea, verum etiam antequam eſſent q.d. ab æterno cognoviſti providentia tua. 20 alterum mēbrum propoſitionis, in qua David oſtendit ſe his beneficiis adductum eniti ut ſe totum ſtudiosè committat Deo, amando quod Deus amat duobus ℣. & abhorrendo ab iis quæ odit Deus verſ. 19. & ſequentib. 21 ut Pſal. 40.6. 22 i. dies noctesque operam do, ut quemadmodum hactenus, ſic etiam in poſterum indeſinēnter adhæream tibi. 23 altera explicatio ſtudii in eos à quibus abhorret Deus, ut dictum eſt v. 17. q.d. ſi tu iſtos impuros tantopere odiſti, ut eos juſto judicio tandem perditurus ſis prout tua eſt vindicta, Deut. 32.35. ſaltem vides me obſequentem juſtitiæ tuæ odiſſe illos, faſtidire, fugere prout eſt mei officium. 24 verba ſunt Dei ad ſolum nutum & mandatū ſuum impios profligantis. 25 & tu s. odio tui f *Heb. in ſcelus* 26 i. non ſolum mala faciunt, ſed etiam facientibus patrocinantur. Rom. 1.32. g *Heb. in vanitate.* h *Heb. perfectione odii.* 27 petitio, ut dictum eſt ſup. in v. 1. q.d tu iſtorum teſtis es; ego verò tuus ſum; propterea ſi opus eſt, ecce me paratum ad ſubeundum probationes tuas; ut ſup. Pſal. 26. i *Heb. an via moleſtiæ in me ſit: hypallage, pro eo quod eſt, an ego ſim in via moleſtiæ.* 28 i. conſtante in obſequio tuo. k *Heb. ſeculi.*

## Psalmus CXL.

*David Deum ſupplicat pro liberatione ſua, impiis adverſariis male precatur: & ſeipſum confirmat in fiducia certa juſtitiæ ſalutiſque Dei.*

1 [1] Magiſtro ſymphonię, Pſalmus Davidis.
2 Libera me Jehova, ab hominibus
malis; [3] à viris *a* violentiſſimis cuſtodi me:
3 [4] Qui cogitant mala cum *b* animo: quoti-
die conveniunt [5] *ad* bella:
4 [6] Exacuunt linguam ſuam [7] ſimilem ſer-
pētis venenum [8] ptyados ſubeſt labiis eorum
maximè.
5 Serva me Jehova à manibus improborū,
à viris violentiſſimis cuſtodi me, qui cogitant [9]
impellere pedes meos.
6 [10] Abſcondentibus ſuperbis laqueum mi-
hi funeſque; pandētibus rete ad orbitam, ten-
diculas ponentibus mihi, maximè;
7 Dixi Jehovæ, *Deus* fortis meus es, auribus
percipe Jehova vocem deprecationū mearum.
8 Jehovi Domine, robur ſalutis méæ; ob-
texiſti [11] caput meum *c* tempore pugnæ.
9 [12] Ne concedas, Jehova, *d* quæ concupit
improbus, ſceleratam cogitationem ejus ne
provehas, efferrent ſe maxime.
10 [13] Venenum circumdantium me mole-

1 Pſalmus eſt διδακτικός, conſtās ex duabus partibus, petitione, duodecim verſibus & cōcluſione animum ſupplicis cōfirmante de beneficentia Dei, duobus ult. Petitionis loci ſunt duo: unus, quo precatur David pro ſalute ſua, 9. ver. alter, quo adverſariis male precatur, trib. reliquis. 2 prima petitionis cauſa, à perſona adverſariorum injuſtam cauſam agentiū & injuſtiſſimè. 3 Schaule & adminiſtris ipſius, vi & fraude Davidē perſequentibus; quemadmodū deinceps explicatur. a *Heb. violentiarum: ſic 1 f. v. 5.* 4 i. qui omne malum fabricātur mihi aperte & clam, animo conſilioque, hoc ver. ſermone, & opere, verſ. 4. & ſeq. ſic amplificat petitionis cauſam à perſona adverſariorum, quod non tantum cauſam iniquam agunt, verum etiam rationibus iniquiſſimis. b *Heb. corde.* 5 ut ſup. Pſal. 120.7. 6 i. cominus & eminus vibrant in me virus ſuum. 7 i. venenatam, ut vipera. 8 i. aſpidis illius quæ ſuo loco ſtans venenum ſuum procul exſpuit. 9 i. dejicere me: metaphora. 10 ſecunda petitionis cauſa, à fide ſupplicis in Deum, & anteacta experientia veritatis Dei erga ipſum mirificas liberationes præſtantis, tribus ver. Sunt autem hoc verſ. metaphoræ ab aucupibus & venatoribus. 11 i. me tanquam galea & ſcuto. c *Heb. die armorum metonymia.* 12 concluſio ſuperioris petitionis, cujus poſtremus finis tranſitum parat ad imprecationem ſequentem. d *Heb. concupita improbi.* 13 imprecatio ut dictū eſt ſup. in ℣. 1. qua David perſtans in ſuperiorib. allegoriis ea ipſa mala quæ cudunt adverſarii in ipſos retorqueri petit: quamobrem nos Hebræam vocem, habita ſuperioris allegoriæ & proxime ſequentium verborum ratione, venenum potius quam caput interpretati ſumus, ut Deu. 32.33.

ſtia [14] labiorum ipſorum obtegat eos.
11 [15] Demittantur ſuper eos prunæ: in ignẽ
dejiciat eos, in ſcrobes *unde* non ſurgant.
12 Vir *e* maledictus ne ſtabiliatur in terra,
viri *deditì* violentiæ malum [16] *f* venando im-
pellat ipſum *variis* impulſionibus.
13 [17] Novi acturum eſſe Jehovam cauſam
afflicti, jus egentium.
14 Utique juſti celebrabunt nomen tuum;
conſidebunt recti in conſpectu tuo.

14 i. quam affetunt ipſorum labia. 15 i. conflagrent, ut corruant. e Heb. lingua: metonymia. 16 i. malum conſilium ipſorum, ſit conſultoribus ipſis peſſimum. f Heb. venetur ipſam ad impulſiones. 17 concluſio ἐπιφωνηματική: ut ſup. diximus, à ſalute juſtorum & gloria Dei, quæ ſalute juſtorum conjuncta eſt.

## PSALMUS CXLI.

*David tribulibus ſuis mandato Schaulis ipſum perſequentibus, opem Dei implorat: improbitatem actorum perſequutionis ſuæ exponit, fidémque ſuam: & ſervari à Deo petit.*

1 [1] PSalmus Davidis. O Jehova inclamo te,
feſtina ad me; auribus percipe vocem
meam, quum invoco te.
2 [2] Statuatur oratio mea, *ut* ſuffitus coram
te, [3] elatio manuum mearum, ut munus veſ-
pertinum.
3 [4] Compone Jehova, obſerva os meum; *a*
cuſtodiens [5] *moderare* quicquid efferunt labia
mea.
4 [6] Ne ſinas inclinari *b* animum meum ad
rem malam, ad agitandum actiones per impro-
bitatem cum *c* ſtrenuis operã dantibus iniqui-
tati; etiam ne veſcer rebus amœnis eorum.
5 [7] Retundat me Juſtus, [8] benignitas *erit*,
& corripiat me, unguentum *erit d* prſtantiſſi-
mum; [9] ne irritum faciat *a* capite meo; quò
am…iùs *fecerit*, eò *amplius* oratio mea *erit* [10] in
m… orum.
6 At [11] dimovent ſe per latera [12] petrarum
judices [13] iſtorum, quamvis intelligãt [14] ſermo-
nes meos amœnos eſſe.
7 [15] Quaſi diſſecaret quis & diffinderet in
terra diſperguntur oſſa noſtra, *trudenda* in os
ſepulcri.
8 [16] Quum ad te Jehovi Domine, *reſpiciant*
oculi mei; ad te recipiam me, [17] ne nudes ani-
mam meam.
9 [18] Serva me *e* à laqueo *quem* tetenderunt
mihi & tendiculis eorum qui operam dant i-
niquitati.
10 [19] Cadant in [20] retia jacula *quiſque* ſua im-
probi, unà ego dum tranſiturus ſum.

1 Pſalmus eſt ᾠδικτικὸς: continẽs exordiũ, duobus verſ. & petitionem, reliquis: quem videtur conſcripſiſſe David de tempore fugæ ſuæ, quum ex mandato Schaulis obſervaretur à tribulibus ſuis in montib. Hengedi, 1. Sche. 24. 2 i. ita ſit accepta tibi, ut legitimæ illæ ceremoniæ, de quibus Exod. 29. & 30. 3 i. ſupplicatio: ſynecdochicè. 4 hujus petitionis partes ſunt duæ; prima eſt precatio pro ductu & ſalute ſua, uſque ad verſ. 10. ſecunda imprecatio, verſ. ult. Precationis autem quæ cõponendi verbo prolepticè continetur, partes ſunt duæ; una, ut Deus ſermonẽ & animum ſupplicis cõponat, hic & v. ſequente, eaque prudẽtia informet, quaſi ſibi ab omni maleficio caveat, dum ſaluti ſuæ cupit conſulere; altera, ut ipſum conſervet à malo, ℣. 8. & 9.

a Heb. cuſtodi ſuper haurire labiorum meorum. 5 i. ſermones meos rege, ne quid temere profundam, aut adverſarii mei ſubdole aliquid hauriant ex imprudentis animo. 6 i. confirma me adverſus mala & bona, ne ad dexteram aut ſiniſtram traducar minis vel allectamentis. b Heb. cor. c Heb. viris.
7 ætiologia prior petitionis à perſona adverſariorum per elegantiſſimam hypotheſin & contentionem Rhetoricam, q. d. ſi juſtus me perſequeretur, & juſta de cauſa affligeret, ferrem, & orarem pro illo, hoc verſu: ſed iſti conſcii cum animo ſuo æquitatis meæ, & velint nolint optimè convicti, inſidiantur mihi, verſ. ſequ. adeò ut pene rumpamur afflictionibus, verſ. 7. 8 i. ducam pro maximo beneficio. d Heb. caput: ut Exod. 30. 9 i. deſinat unquam odoratiſſimis ſuis reprehenſionibus & jucundiſſimis me aſpergere. 10 i. quæcunque mala feram ab eis, non exacerbabunt animum meum; ſed potius efficient ut gratis precibus eos commendem Deo. 11 ἀπόδοσις præcedentis hypotheſeos, ut dictum eſt, ℣. 5. q. d. utcumque redarguat eos ipſorum conſcientia, & doceat æquitatẽ cauſæ meæ; tamen omnes anguſtias & fauces montium obſervant ut inſidientur mihi.
12 i. arduarum rupium, in quibus habitacula ſua ſtatuebat David.
13 i. non tantùm plebeii populares ex Ziphæis, Mehonitis, & cæteris; ſed etiam primores quique certatim Schauli miniſtrantes. 14 i. me ne verbo quidem ullum offendere, ſed gratificari quàm poſſum maxime.
15 i. iam tanta vi me & meos circumſtant, & in nos omnes involaturi ſunt; ut mox diffringendi & membratim diſcerpendi ſimus illorum impetu, niſi tu, ô Deus, ſuccurreris; quod diſcrimen elegantiſſima ſimilitudine lignariorum adumbratur. 16 altera ætiologia petitionis, à fide ſua in Deum & promiſſiones ejus: qua tranſitur ad alteram petitionis inſtitutæ partem.
17 i. ne deſtituas defenſione & ſalute tua metaphora.
18 ſecunda pars petitionis: ut obſervatum eſt in verſ. 3.
e Heb. à manibus laquei.
19 id eſt ipſi ſuis artibus capiantur, ego verò tecum, duce te prætergrediar incolumis: metaphora à piſcibus. 20 vide in Jeſch. 19. 8.

## PSALMUS CXLII.

*David à Schaule & comitatu ejus circumcluſus Deum orat pro ſalute ſua, ad gloriam ipſius in Eccleſia prædicandam.*

1 [1] ODe didaſcalica Davidis: ‖ quum eſſet in
ſpelunca, [2] oratio.
2 Voce mea ad Jehovam clamo: voce mea
apud Jehovam deprecor.
3 [3] Effundo coram eo meditationem meam,
anguſtiam meam coram eo indico.
4 [4] Quũ [5] obrueret ſe in me ſpiritus meus,
toties tu [6] agnoviſti ſemitam meam: *quum* [7]
quocumque itinere pergerem, abderent la-
queum mihi.
5 [8] Intuere *ad* dexterã & reſpice *ad ſiniſtram*:
ut nõ *eſt* mihi qui recognoſcat *me*: periit effu-
gium à me, non *eſt* qui *a* curet vitam meam.
6 Clamo ad te Jehova, dicens, tu *es* receptus
meus portio mea [9] in terra viventium.
7 Attende ad clamorem meum, nam atte-
nuatus ſum valdè: eripe me à perſequentibus
me, quia fortiores ſunt me.
8 [10] Educ [11] è clauſtro *b* vitam meam ad ce-
lebrandum nomen tuum; [12] me cingent juſti,
quum beneficium contuleris in me.

1 ut Pſal. 44. 1. ‖ 1. Schem. 24. 2 hujus orationis partes ſunt duæ exordium audientiam faciens, verſ. 2. & 3. & petitio reliquis verſ. 3 ut ſup. 102. 1. 4 hujus petitionis ſumma eſt, ut ſervetur David, diſtincta tribus cauſis: prima eſt ab officio Dei, quod ante ſervo ſuo præſtiterat ad ſalutẽ ipſius hoc verſ. ſecunda, à perſona ſupplicis in extremis rerum difficultatibus erigentis ſe ad Deum fide, tribus ſequentibus: tertia eſt à fine, gloria Dei, verſ. ultimo. 5 ut ſup. Pſal. 77. 4. 6 ut Pſalm. 1. 6. 7 id eſt, ubique inſidiarentur mihi: periphraſis. 8 ſecundus petitionis locus ut dictum eſt ſuperiore verſu. Eſt autem hic ellipſis oppoſiti. quaſi dicat obſerva ab omnibus partibus, & animadverte me omni ope deſtitutũ eſſe. a Heb. quærat animæ meæ. 9 id eſt, in hac ipſa vita, ut Pſal. 27. 13. 10 tertius locus: ut obſervatũ eſt ℣. 4. 11 id eſt, præſentiſſimo hoc periculo quo circumcluſus ſum in hac ſpecu, circũſtantibus inimicis. b Heb. animam: ut ℣. 5. 12 i. conveniet circa me frequens juſtorum corona, ut me audiat prædicantem nomen tuum, & mecum prædicet.

## PSALMUS CXLIII.

*David Deum implorans, indignitatem ſuam confitetur, injuriam ſibi factam in hac cauſa narrat ac propterea à Deo ſervari & inſtitui petit, inimicos verò perdi ad gloriam ipſius.*

1 [1] PSalmus Davidis. O Jehova, audi oratio-
nẽ meã, aures adhibe ad deprecationes
meas; [2] pro fide tua exaudi me, pro juſtitia tua.
2 [3] At ne congrediaris judicio cũ ſervo tuo;
nam [4] non eſſet juſtus coram te ullus vivens.
3 [5] Perſequitur enim inimicus animam meã:
[6] atterit *dejiciens* in terram catervam meam: fa-
cit [7] ut reſideam in tenebricoſis *locis*; [8] *ſumus*
quaſi mortui *a* olim.
4 Adeò ut [9] obruat ſe in me ſpiritus meus,
in medio mei deſolatus videatur ſibi animus
meus.
5 [10] Recordans *b* dierum priſcorum, medi-
tans totum opus tuum; factum manuum tua-
rum recolens.
6 Pando manus meas ad te: anima mea, ut
terra [11] feſſa, *ſitiente* tui maximè,
7 *Dicens*: [12] Feſtina, exaudi me Jehova, con-
ſumitur ſpiritus meus; ne abſcondas faciem
tuam à me, nam [13] conſimilis fio deſcendenti-
bus in *c* ſepulcrum.
8 [14] Fac ut audiam manè benignitatem
tuam, quia in te fiduciam habeo: notam fac

1 Pſalmus eſt ἀκτικὸς, continens exordium, duobus verſibus expoſtulationẽ & petitionem, inde ad finem uſque. 2 i. propter promiſſiones gratioſas, juſtamq; naturam tuam, qua æquam cauſam ab iniquitate vindicas. 3 elegans deprecatio, ex adverſo reſpondens ſuperiori poſtulationi, ne reſpiciat Deus ad indignitatem perſonæ ſed ad juſtitiam ſuam, quæ perſonam quamlibet in æquis cauſis ſe defenſuram recipit. quaſi dicat, juſtitiam tuam imploro, ut ſuſcipiat defendendam æquitatem cauſæ meæ: mihi verò, ut perſonæ cuiquam, agnoſco juſtitiam ullam ineſſe. ſi comparanda ſit cum Deo. ſatis eſt, cauſam meam cum iſtorum cauſa comparari: juſtitiam Dei imploro, non meam aſſero: ita imploro, ut æquitatem cauſæ meæ (quia ipſius cauſa eſt) defendi ab ipſo velim, ac proinde me ad probandam cauſam conſervari.
4 ſi congredereris judicio cum ipſo. 5 expoſtulatio ſive narratio injuriarum ab hoſtibus acceptarum, hoc verſ calamitatis in quam devenit ſupplicis animus, ſequ. verſu, & ſtudii ad Deum contendentis, verſ. 5 & 6. 6 i. non tantum me, ſed totum comitatum meum familiámque exagitat: ut 1. Sche. hiſtoria factũ fuiſſe oſtendit, & ipſe conqueſtus eſt ſup. Pſal. 141. 7. 7 ego cum meis.
8 i. cogimur in tenebroſis ſpecubus verſari & lucem fugere inimicorum importunitate. a Heb. ſeculi. 9 ut ſup. 77. 4.
10 i. me in fide confirmans à præcedentibus exemplis. b Heb. dierum antiquitate. 11 ut ſup. Pſal. 63. 2. 12 hujus petitionis partes ſunt duæ: precatio, uſque ad ℣. 12. & imprecatio. ℣. 12 Precationis ſumma eſt, ut Deus Davidem exaudiat, hoc verſ. eumque liberet à malo, & informet deinceps in obſequio ſuo, ſeq. verſibus tribus: cauſæ duæ: una, à perſona ſupplicis: altera, à gloria Dei cum ſalute ſervi ſui conjuncta, ℣. 11. 13 nimirum ſi faciem tuam abſconderis.
c Heb. ciſternam: ut Pſal. 28. 1. 14 i. verbo & opere præſta: ſynecdoche. Eſt autem in hoc verſ. prolepſis ſive petitio duplex, cujus duo membra ex ordine ſequent. verſib. exponuntur.

mihi viam qua ambulaturus ſum, quia ad te
attollo animum meum.
9 Eripe me ab inimicis meis, Jehova; a-
pud te *d* [15] tectum contineo *illum*.
10 Doce me facere placitum tuum, quia tu
Deus meus *es*: tuo ſpiritu bono deduc me [16]
per terram planam.
11 [17] Propter nomen tuum Jehova, vivum
conſerva me; propter juſtitiam tuam educ ex
anguſtia animam meam:
12 Et propter [18] benignitatem tuam exſcin-
de inimicos meos, perdens omnes affligentes
animam; quia ego *ſum* ſervus tuus.

d Heb. tego. 15 id eſt, depono apud te conſervandum animũ meum: ut Pſalm. 31.6. 16 id eſt, ſine offenſa tui aut cujuſquam. 17 id eſt, prædicationem nominis tui, ut Pſ. 142.8. 18 erga me ſervum tuum: imprecatio pertinens ad promiſſionem Dei. Gen. 1.35.

## Psalm. CXLIIII.

*David prædicata Dei erga ſe & humanum genus beneficentia, hoſtibus malè precatur; ſibi totiq; regno ſalutem & benedictionẽ exoptat: & commendat felicitatem populi Dei.*

1 [1] ODe Davidis. ‖ [2] Benedictus *ſit* Jehova
rupes mea; qui docet manus meas præ-
lium, digitos meos bellum:
2 ‖ [3] Benignitas mea & propugnaculum
meum, editus locus meus & liberator meus,
*aſſiſtens* mihi; ſcutum meum, ad quem me reci-
pio qui ſubſternit populum meum mihi.
3 ‖ [4] Jehova, quid *eſt* homo, ut agnoſcas eũ?
filius mortalis, ut rationem habeas ejus?
4 ‖ [5] Homo, vanitati ſimilis *eſt*; dies ejus *ſunt*
ut [6] umbra prætereuntis.
5 [7] Jehova, [8] inclina cælos tuos & deſcen-
de: tange [9] iſtos montes, & [10] fument:
6 *a* [11] Immitte fulgur, & diſperge eos; emitte
ſagittas tuas, & funde eos:
7 Extende manum tuam ex alto: libera me
& eripe me [12] ex aquis multis, è manu alienige-
narum,
8 [13] Quorum os loquitur vanum, & quorũ
dextera *eſt* dextera falſitatis.
9 [14] Deus, [15] canticum novum canam tibi;
nablio decachordo pſallam tibi.
10 [16] Danti ſalutem regibus, liberanti Davi-
dem ſervum ſuum à gladio *b* malefico.
11 [17] Libera me, & eripe me è manu alieni-
genarum; quorum os loquitur vanum, & quo-
rum dextera *eſt* falſitatis;
12 [18] Ut filii noſtri tamquam plantæ benè e-
ducatæ in *c* tenera ætate ſua; filiæq; noſtræ ſi-
cut [19] antarii lapides [20] exciſi, [21] ſint ſtructura
templi:
13 *d* [22] Promtuaria noſtra plena proferant *e*
juge alimentum: pecudes noſtræ millenis pa-
riant, myriadibus auctæ *ſint* in cortibus no-
ſtris.
14 [23] Boveſq; noſtri *f* præpingues. [24] nulla
irruptio, nullaque *g* eruptio, denique nulla *ſit*
querela in plateis noſtris.
15 [25] Beatus ille populus cui ita *eſt*; beatus
*ergo* populus, cujus Jehova *eſt* Deus.

1 Ode eſt generis mixti, διδασκαλικῆ καὶ εὐκτικῆ: quã videtur conſcripſiſſe David, poſtquã ad regni faſtigiũ evectus victorias aliquas conſequutus eſſet, quũ hoſtes exteri in ditionem ipſius irrupturi eſſent, ſive Peliſchthæi 2. Schem. 5. ſive alii, de quibus 1. Sche. 8. Conſtat itaque ex tribus partibus; exordio laudativo, uſque ad verſ. 5. petitione, uſque ad 15. & concluſione epiphonematica, v ult. ‖ Pſal. 18.3. & 35. 2 Exordii partes ſunt duæ: prior eſt laudatio Dei à ſingularibus erga Davidem & regnum ipſius beneficiis, duobus verſ. poſterior, amplificatio à publica & communi hominum miſeria, ad quorum habendam curam ſe demittit Deus, verſ. 3. & 4. ut 2. Schem. 7.18. & 19. ‖ 2. Schem. 22.48. & pſal. 18.48. 3 i. fons benignitatis qua perfruor. ‖ Pſal. 8.5. 4 exclamatio erotematica, amplificans beneficentiam Dei per comparationem majeſtatis ejus cum indignitate hominis. ‖ Pſalm. 62.10. 5 ſubjectio ad præcedentem interrogationem. 6 i. prætervolantis avis: ut Ijobi 14.3, vel ſi cui magis placet, umbra præteriens. 7 petitionis loci ſunt duo: primus eſt imprecatio adverſus hoſtes, duob. ver. ſecundus, poſtulatio liberationis, à ver. 7. ad 14. 8 ut 2. Schem. 22.10. humanitus dictum. 9 i. hoſtes potentiſſimos: quod genus allegoriæ apud Prophetas eſt frequentiſſimum. 10 i. in fumos abeant. a Heb. fulgura fulgur. 11 i. tuis cæleſtibus armis, potentiáque proſterne: humanitùs dicta. 12 i. irrumpentibus torrentibus hominum nequam: ut Pſal. 18.5. & 24.4. quod ſequentium verborum epexegeſis commonſtrat. 13 prima cauſa petitionis, ab adverſariorum improbitate. 14 ſecunda cauſa, à prædicatione gloriæ Dei. 15 ut ſuprà 33.3. 16 argumentum cantici, narratio cõmunium & ſingularium beneficiorum. b Heb. mali, vel malo. 17 διαφορὰ petitionis, qua uſus erat ſup. verſ. 7. & 8. ut commodius tranſeatur ad tertiam petitionis cauſam. 18 tertia petitionis cauſa, bonum populi Dei. c Heb. in pueritia: allegoriæ continuatio. 19 i. angulares, frontati, ſive (ut Græci vocant) diatoni, ex quibus duplex murus ducitur. 20 i. ornati, culti & affabre facti. 21 i. ædificentur, & coagmentati aſſurgant in templum ſanctũ Domino: Epheſ. 2.21. d Heb. angularia: ſic vocantur cellæ & promptuaria a ſitu. 22 i. ſit benedictio tua in bona temporaria noſtra. e Heb. de alimento in alimentum. 23 ſimiliter millenis pariant, &c. ſic interpretandum eſſe diſtinctiones oſtendunt. f Heb. graviter onuſti. 24 i. nihil mali invadat, nihil boni evadat, & nihil inſit triſte, ſed jucunda omnia.

g Heb. exiens. 25 concluſio epiphonematica: qua ſtatuit Pſaltes, ſi beati habentur qui benedictiones hujuſmodi poſſident, omnino beatos eſſe qui poſſident Deum benedictionum fontem.

## Psalm. CXLV.

*David ſeipſum & res creatas ad Dei laudes prædicandas excitans, celebrat magnificam potentiam, & juſtiſſimam bonitatem illius erga omnes.*

א 1 [1] LAudatio Davidis. [2] Exaltabo te Deus
mi, Rex; & benedicam nomini tuo in
ſeculum & ſempiternum:
ב 2 Quotidie benedicã tibi, & laudabo no-
men tuum in ſeculum & ſempiternum:
ג 3 Magnum eſſe Jehovam & laudandum
valdè, imò magnitudini ejus [3] non eſſe perve-
ſtigationem.
ד 4 [4] Generatio generationi laudibus com-
mendet opera tua, prout [5] *hæc* indicant omni-
modam *a* potentiam tuam,
ה 5 *Et* decorem gloriamq; majeſtatis tuæ; &
res mirabiles tuas [6] eloquuturus ſum.
ו 6 Et robur mirabilium tuorum operum
prædicent; prout *b* ſingula magna *geſta* tua e-
narraturus ſum.
ז 7 Memoriam amplæ bonitatis tuæ [7] eru-
ctent, & juſtitiam tuam cantent.
ח 8 [8] Gratioſum & miſericordem Jehovam
*eſſe*, longanimem & magnum benignitate,
ט 9 Bonum eſſe Jehovam omnibus, & mi-
ſericordiam ejus in omnibus operibus ejus.
י 10 [9] Celebrẽt te Jehova omnia opera tua,
& quos benignitate proſequeris benedicant
tibi.
כ 11 Gloriam regni tui prædicent, & poten-
tiam tuam eloquantur:
ל 12 Ut notas faciant filiis hominum poten-
tias ejus, & gloriam decoremque regni ejus.
מ 13 [10] Regnum tuum, regnum eſt omnium
ſeculorum; & dominium tuum *c* in unamquã-
que generationem.
ס 14 Suſtentat Jehova [11] omnes cadentes, &
erigit omnes incurvatos.
ע 15 ‖ Oculi omnium ad te ſpectant, quibus
tu das eſcam ſuam tempore ſuo:
פ 16 Aperis manum tuam, & ſaturas *d* quic-
quid vivit *ex* beneplacito,
צ 17 Juſtus Jehova in omnibus viis ſuis *eſt*,
& benignus in omnibus operibus ſuis.
ק 18 Propinquus *eſt* Jehova omnibus invo-
cantibus ipſum, omnibus qui invocant ipſum
fide.
ר 19 Placitum timentium ſe efficit, & voci-
ferationem eorum audiens ſalutem dat eis.
ש 20 Servat Jehova omnes amantes ipſum,
omnes verò improbos perdit.
ת 21 [12] Laudationem Jehovæ eloquatur os
meum: & benedicat omnis caro nomini ſan-
cto ejus, in ſeculum & ſempiternum.

1 Hujus laudationis partes ſũt quatuor: prima eſt profeſſio ſingularis laudis quam David attributurus eſt Deo, tribus verſ. ſecunda, provocatio omnium tẽporum, rerum creatarum factorumque ad promulgãdas communi opera laudes Dei, indeuſque ad verſ. 3. tertia, propoſitio argumentorum ad laudes Dei pertinentium, à verſ. 13. ad 11. poſtrema, concluſio, verſ ult. Eſt autem hic pſal. alphabetico ordine cõſcriptus, excepto ver. uno: vide ſup. pſ. 111. 2 exordium, cujus duo verſus ſunt antiſtrophi. 3 ut Ijobi 5.9. 4 ſecunda pars, provocatio ætatum omnium ad laudandum Deum ab operibus ejus: quæ proleptice hoc verſ. poſita duobus nominibus commendantur, nimirũ glorioſæ potentiæ, v. 5 & 6. & bonitatis juſtiſſimæ, verſ. 7. poſtea verò per hyſteroſim Hebræorum in ſequentibus illuſtrantur magnificis appellationibus uſque ad verſ. 13. 5 nimirum facta tua: ut Pſal. 19. a Heb. potentias. 6 inf. hoc Pſ. inde à verſ. 12. b Heb. magnitudines tuas enarraturus ſum ipſam. 7 ut Pſ. 19.3. 8 ſumma propoſitio juſtiſſimæ bonitatis Dei, quam tenentur res creatæ omnes celebrare: ut dictum eſt in verſ. 4. 9 altera propoſitio glorioſæ potentiæ Dei celebrandæ à rebus creatis, ut ſupr. verſ. 4. 10 tertia pars, propoſitio rerum ad laudes Dei pertinentium: quarum ut ſupr. duo ſunt capita: unum, glorioſæ potentiæ quam Deus omnibus exhibet his duobus verſ. alterum, juſtæ bonitatis à v. 15. ad 20. quo ver. ſummatim, velut corollario, continetur bonitatis & potentiæ Dei prædicatio. c Heb. in omnem generationem & generationem. 11 quos ſuſtentandos novit pro bonitate ſua ſine qua nemo ſuſtentatur, erigitur, &c. ‖ Pſ. 104.27. d Heb. omne vivens. 12 concluſio hortatoria, qua ſe & omnes provocat Pſaltes ad laudãdum Deum, ut in exordio.

## Psalm. CXLVI.

*Pſaltes ſe & pios hortatus ad laudes Dei aſſerendas, eum laudat ſingularium erga pios beneficiorum, creationis, conſervationis, adminiſtrationiſq; omnium, & regni æterni nomine.*

1 [1] Hale-

1 [1] HAlelu-Jah. Lauda anima mea Jeho-
vam.
2 Laudabo Jehovam in vita mea: pſallam
Deo meo, *a* quàm diu futurus ſum.
3 Ne fiduciam haberote [2] in ingenuis; in *ullo*
filio hominum; penes quem nulla *eſt* ſalus.
4 Exit ſpiritus ejus, revertitur in terram ſuã:
[3] die eodem pereunt cogitationes ejus.
5 [4] Beatus *b* cui auxilio *eſt Deus* fortis Jaha-
kobi, cujus exſpectatio *eſt* in Jehova Deo ſuo:
6 Qui fecit cælos & terram, mare & quic-
quid *eſt* in eis; qui ſervat fidem in ſeculum:
7 [5] Qui exercet judiciũ erga oppreſſos: dat
cibum famelicis. Jehova ſolvit vinctos:
8 Jehova aperit *oculos* cæcorum; Jehova eri-
git incurvatos. Jehova amat juſtos.
9 Jehova ſervat peregrinos, pupillum & vi-
duam ſtatuminat; viam verò improborum
ſubvertit.
10 Regnabit Jehova in ſeculum: Deus tuus,
ô Tzijon, in *c* unamquamque generationem:
Halelu-Jah.

1 Ode eſt ἐπῳδικὴ, continens primùm hortationem & propoſitionem laudis divinæ quatuor verſ. deinde argumenta illius laudis inde ad finẽ uſque. Hortationi autem (quæ primo v. continentur) opponitur inſignis dehortatio ex contrario propoſitionem illuſtrans, ne fiduciæ & laudis argumenta conſtituantur in ullo homine, ỽ. 3. & 4. a Heb. quum adhuc ego. 2 ne in potentiſſimis quidem; quorum vanitatem oſtendit à naſcenti ſorte, ab imbecilitate vitæ, à moriendi neceſſitate, & repentino conſiliorum caſu. 3 quo ſunt initæ; id eſt, repente momento uno concidunt. 4 propoſitio argumentorum laudis Dei, quorum genera ſunt tria: primum eſt, ſingularis conſcientia beneficiorum ejus erga nos per fidem, hoc ver. ſecundum, creatio & rerum creatarum adminiſtratio præſens, ordinaria, & extra ordinem, quatuor ſequen. tertium æternitas regni ejus in Eccleſia, ỽ. ult. b H. b. in cujus auxilio, &c. 5 i. qui ſuccurrit ſingulis, prout opus eſt: quo ſequentia omnia exempla pertinent. c Heb. generationem & generationem.

## PSALMUS CXLVII.

*Pſaltes Eccleſiam hortatur ad prædicandum nomen Dei propter liberationes, beneficiáque ejus erga ipſam, & propter conſtantiam operum & verbi.*

1 [1] LAudate Jah. [2] quia bonum *eſt* pſallere
Deo noſtro: quia amœnum *eſt*, decens
*eſt* laudatio.
2 [3] Ædificator Jeruſchalaimorum Jehova,
[4] depulſos *a* Jiſraelitas congregat:
3 [5] Qui ſanat fractos *b* animo ac *velut* obli-
gat in doloribus eorum.
4 [6] Supputans numerum ſtellarum, quot-
quot ſunt [7] nominibus vocans,
5 Magnus *eſt* Dominus noſter; & multus vi-
ribus *c* cujus intelligentia eſt innumerabilis.
6 Statuminat manſuetos Jehova, deprimit
improbos in terram uſque.
7 [8] Acclamate Jehovæ gratiarum actione,
pſallite Deo noſtro cithara:
8 [9] Qui obtegit cælos denſis nubibus; qui
comparat terræ pluviam, qui facit ut proferãt
montes fœnum.
9 Dat jumentis cibum ſuum, *d* [10] pullis cor-
vorum qui *e* crocitant.
10 [11] Non potentia equi delectatur, non
crura præſtantis viri accipit;
11 *Sed* acceptos habet Jehova timentes ſui;
qui exſpectationem *ſuam* habent in benigni-
tate ipſius.
12 [12] Laudibus commendate Jeruſchalai-
ma Jehovam; lauda Deum tuum, ô Tzijon:
13 Nam [13] confirmat vectes portarum tua-
rum, benedicit filiis tuis in medio tui:
14 Diſponens termino tuo pacem, [14] adipe
tritici ſatiat te:
15 Quo emittente ſermonem ſuum in ter-
ram, *f* quàm celerrimè excurrit [15] verbũ ejus;
16 Qui edit nivem [16] ſicut lanam, pruinam
quaſi cinerem diſpergit:
17 Dejicit [17] gelu ſuum tamquam fruſta, co-
ram frigore ejus quis conſiſtat?
18 Emittens verbum ſuum, liquefacit iſta:
ſimul ac efflat ventum ſuum, effluunt aquæ.
19 [18] Indicat verba ſua Jahakobo, ſtatuta
ſua & jura ſua Jiſraeli:
20 Non fecit ita ulli genti; ideoque [19] jura i-
ſta non noverunt. Halelu-Jah.

1 Ode eſt ἐπῳδικὴ, Eccleſiam hortans ad laudationem Dei à factis illius, communiter quidem erga omnes; ſed imprimis erga Eccleſiam. Conſtat itaque hic pſalmus primũ exordio celeuſtico ad laudationem Dei, ỽ. 1. deinde propoſitione & enarratione rerum ad laudes ejus pertinentium, à ỽ. 2. ad 19 & concluſione duobus ult. 2 de his duabus cauſis vide Pſal. 135.1. 3 huius propoſitionis pro ratione argumentorum laudis, tres ſunt partes: primum argumentum eſt de liberatione ſuorum à malo uſq; ad verſ. 7. ſecundum, de beneficentia & gratioſa ipſius adminiſtratione, inde ad ỽ. 12. tertium, de cõſervatione in bono & forma iſtius adminiſtrationis quam ſolo verbo præſtat, inde ad verſ. 19. Eſt autem ædificator Eccleſiæ Deus, quia illius auctor, fundator, curator, & architectus eſt. 4 id eſt electos ſuos, quibus promiſſio facta eſt Deut. 30. 4. a Heb. Jiſraelis. 5 ex promiſſione Exod. 15. 26. b Heb. corde. 6 i. Deus ille qui ſedet in cælis, qui omnia pernovit vel minutiſſima, & qui omnibus imperat etiam in ipſis cælis, hic vere magnus eſt, ſic amplificat Pſaltes potentiam & providentiam Dei, quam adhibet ad liberationem Eccleſiæ, ab exemplo rerum cæleſtium. 7 id eſt, nominatim imperans cuique pro auctoritate & potentia ſua, ut Jeſchah. 40. 26. c Heb. intelligentiæ ejus non eſt numerus. 8 ſecundus locus propoſitionis, ut dictum eſt in verſ. 2. quo tranſitur repetita hortatione ad laudem Dei. 9 i. qui omnia ſapienter ordinat, ut rebus creatis benefaciat: gradatio; quam ſequutus eſt Hoſcheah 2. 21. & 22. d Heb. filiis. 10 vide Ijobi 39. 3. e Heb. clamant. 11 i. hanc beneficentiam exercet Deus, non propter dignitatem ullam rerum creatarum, ſed propter ſe & Eccleſiam ſuam. 12 tertius locus, de confirmatione & conſervatione piorum in bono: quo tranſitur repetita hortatione, ut ſupr. verſ. 7.

13 i. munit ab omni malo. 14 vide Deut. 32. 14. f Heb. in celeritatem uſque. 15 i. res quam edixit verbo, illico efficitur: ut pſalm. 33. 9. quod ſequent. exemplo illuſtratur trib. verſ. 16 i. lanæ perſimilem colore, levitate, & forma: quamobrẽ vellera nivis à Virgilio nominantur in Georgicis: ſic ſequentia. 17 i. grandines. 18 concluſio Eccleſiam hortans ad laudandum Deum, pro ſingulari theſauro verbi, quem cum illa gratioſè communicavit Deus. 19 quæ Deus docet verbo, & quorum nomine laudandus eſt ab Eccleſia.

## PSALMUS CXLVIII.

*Pſaltes res omnes creatas hortatur ut Deum celebrent propter majeſtatem ipſius, & beneficentiam erga Eccleſiam.*

1 [1] HAlelu-Jah. Laudate Jehovam *a* cæli-
tes; laudate eum in excelſis.
2 Laudate eum omnes angeli ejus, laudate
eum omnes exercitus ejus.
3 Laudate eum ſol & luna, laudate eum
omnes ſtellæ *b* lucidæ.
4 Laudate eum [2] cæli cælorum, & [3] aquæ
quæ ſupra hoc cælum *ſunt*,
5 Laudent nomen Jehovæ [4] quæ ipſo præ-
cipiente illicò creata ſunt.
6 Quæ ſtabilivit in ſempiternum, in ſeculũ;
*quibus* decretum dedit quod nullum tranſgre-
diatur.
7 Laudate Jehovam *c* [5] terreſtria; cete, &
omnes abyſſi:
8 Ignis, & grando, nix, & exhalatio; ventus
*d* turbineus efficiens verbum ejus:
9 Ipſi montes, & omnes colles; arbores *e*
fructiferæ, omnes cedri,
10 Ipſæ beſtiæ, & omnia jumenta: reptilia &
aves *f* alatæ.
11 Reges terræ, omneſque nationes; prin-
cipes & omnes judices terræ:
12 Juvenes; etiamque virgines; ſenes cum
pueris.
13 [6] Laudent nomen Jehovæ; quia editum
*eſt* nomen ejus ſolius, decor ejus ſupra terram
& cælum:
14 Et [7] effert cornu populi ſui, laudem om-
nium quos benignè accipit; Jiſraelitarum, po-
puli propinqui ſibi. Halelu-Jah.

1 Ode eſt ἐπῳδικὴ, continens hortationem ad res omnes creatas ut celebrent Deum, primùm cæleſtes, uſque ad ỽ. 7. deinde terreſtres, inde uſque ad verſ. 13. ac poſtremò cauſas explicat, duobus verſibus. a Heb. è cælis. b Heb. lucis. 2 ut 1. Reg. 8. 27. 3 i. nubes in expanſo collocatæ. Gen. 1. 4 i. creaturæ cæleſtes & adminiſtræ voluntatis ejus: periphraſis, qua Pſaltes utitur ad majeſtatẽ Dei, verbi, operumque ejus demonſtrandam, & jus in creaturas omnes aſſerendum. c Heb. è terra: ut ſup v. 1. 5 i. inferiora omnia, etiam aquatica, & aërea: ſynecdochicè. d Heb. turbinis. e Heb. fructus. f Heb. alæ. 6 tranſitio ad laudationis cauſas: quarum una eſt ab ipſa majeſtate Dei, hoc ỽ. altera, à ſingularibus ipſius operibus in Eccleſia ſua, cujus reſtitutionem res omnes creatæ exſpectant exſerto capite, & Angeli ipſi cupiunt introſpicere: Rom. 8. 19. & 1. Pet. 1. 12. 7 i. evehit Eccleſiam ſuam in maximum robur & gloriam per Chriſtum.

## PSALMUS CXLIX.

*Pſaltes Eccleſiam hortatur ut Deum collaudet propter benevolentiam & ſalutem ab eo acceptam, denique propter verbum ipſius potentiſſimum Eccleſiæ traditum.*

1 [1] HAlelu-Jah. Cantate Jehovæ [2] cãticum
novum; laudem ejus in [3] cõgregatio-
ne eorum quos benignè accipit.
2 Lætetur Jiſrael in *a* eo qui fecit ipſum, fi-

1 Ode eſt ἐπῳδικὴ, conſtans ex duabus partibus; quarũ priore hortatur Eccleſiam ut Deum laudet propter gratiam & pacem ſalutarem ab eo acceptam, uſq; ad verſ. 5. poſteriore verò hortatur ad laudationem propter glorioſam communicationem efficaciamq; verbi, inde ad finem uſque. 2 ut Pſal. 33. 3. 3 i. in Eccleſia: periphraſis: ſic etiam accipiuntur ſequentia. a Heb. facientibus ipſum: ut Ijobi 35. 10.

lii Tzijonis exultent in [4] rege ſuo.
3 Laudent nomen ejus [5] tibia; tympano
& cithara pſallant ei:
4 Quia benevolus *eſt* Jehova erga populum
ſuum, ornat manſuetos ſalute.
5 [6] Geſtiant benignè accepti præ gloria, [7]
cantent in cubilibus ſuis;
6 [8] *b* Laudationes exaltantes *Deum* fortem
in gutture ſuo; & gladium *c* bipennem in ma-
nu ſua *habentes*,
7 [9] Ad exercendum vindictam in gentes, in
crepationes in nationibus.
8 Ad vinciendum reges eorum catenis, &
honoratos eorum compedibus ferreis.
9 Ad exercendum in eos [10] jus ſcriptum; [11]
*quod* decus eſt omnibus iis quos benignè acci-
pit. Halelu-Jah.

[4] Chriſto, cujus typus erat David. [5] i. quibuſcumq; modis fieri poterit ab ipſis legitimè: ut Pſal. 81.3. [6] Altera hortatio, ut obſervatū eſt in verſ.1. [7] i. dies noctesq; in laudationibus perſtent. [8] id eſt decantēt ea omnia beneficia quibus ſingulariter ac ſuprà omnes populos ipſum evexit Deus: ut ſuprà Pſal. 148.14. nominatim verò verbum, qui gladius eſt oris ipſius, ad eos uſus pertinens qui deinceps explicantur: ut 2. Theſſ. 2.8. Heb. 4.12. & Apoc. 1.16. b *Heb. exaltantia Dei fortis.* c *Heb.* στομάτων. [9] vide 2. Cor. 10. 4. & ſeq. hæ autē allegoricæ loquēdi formulæ pertinentes ad ſpiritualis gladii efficacitatem, ſummatim exponuntur verſ. ult. [10] i. prout continetur in ſcriptura ſacra, ſine adjectione, diminutione, aut mutatione ulla: ut Deut. 12.32. & 29.19. [11] ut Deut. 4.6. & ſequentibus.

## PSALM. CL.

*Pſaltes Eccleſiam hortatur ut Deum laudet à ſanctitate, potentia, & magnificentia ejus.*

1 [1] HAlelu-Jah. Laudate *Deum* fortem de
ſanctitate ejus, laudate eum de *a* [2] ex-
panſo laudato ejus.
2 Laudate eum de *b* omnimoda potentia e-
jus, laudate eum [4] ſecundùm amplitudinem *c*
maximam ejus.
3 Laudate eum [5] clangore buccinæ, laudate
eum nablio & cithara.
4 Laudate eum tympano & tibia: laudate
eum hydraulis & organo.
5 Laudate eum cymbalis *d* ſonoris, laudate
eum *e* ſiſtris.
6 [6] Tota ipſa anima laudet Jah. Halelu-
Jah.

[1] Ode eſt ἐπιφωνητική, ac velut concluſio totius libri, continens hortamentū ad laudationē Dei in Eccleſia; in quo primùm exponuntur cauſæ laudationis duobus ver. deinde laudationis genera reliquis. a *Heb. expanſo roboris: hypallage Rhetorum.* [2] i. cujus laus potentiſſima ad omnes res creatas diffunditur, in quo ſunt, movētur, & viuunt. b *Heb. potentiis.* [3] id eſt, potentiſſimis illius factis, & ſingulari adminiſtratione. [4] tranſitio ad ſecūdam partem de laudationis forma. c *Heb. magnitudinis ejus: hypallage: ut* ℣.1. [5] id eſt, omnibus modis; ut ſupr. 149.3. d *Heb. auditionis.* e *Heb. cymbalis clangoris, id eſt. ſiſtris vel crotalis.* [6] id eſt, ſinguli ex tota anima ſua ſpirent laudationem Dei: ſynecdoche.

# PROVERBIA.

## ARGUMENTUM.

LIBER *Proverbiorum ſacra ethica Chriſtianaq; continet, id eſt, præcepta moralia de ſanctorum officiis erga Deum & homines, pro ratione pietatis quam Deus præſtituit, æquitatiſq; & humanitatis quam lex naturæ adumbravit in nobis, & Deus expreſſit verbo: quarū illa novem primis capitibus, hæ verò cæteris ferè ex ordine continentur.*

## CAPUT PRIMUM.

*Schelomo expoſito uſu libri docet ſapientiam in reverentia Dei & ſtudio ejus verſari; ad eam homines provocat: & dehortatur à ſtudiis omnibus contrariis, tum propter naturæ legem, tum propter verbum Dei; quod inobſequentibus minas graviſſimas, obſequentibus verò pacem denunciat.*

1 [1] PROVERBIA [2] Schelomonis
filii Davidis, regis Jiſraelitarum:
2 [3] Ad ſciendum ſapientiam
& eruditionem, ad intelligen-
dum dicta [4] prudentiæ:
3 [5] Ad percipiendum eruditionem intelli-
gentiæ; juſtitiæ, juriſque, & *a* omnis recti:
4 Ad dandum [6] fatuis aſtutiam, [7] puero ſci-
entiam & ſolertiam:
5 [8] *Quibus* auditis ſapiens adjiciat *b* diſcipli-
nam, & intelligens induſtria conſilia cōparet:
6 Ad *c* docendum [9] proverbium & inter-
pretationem, verba ſapientum, & ænigmata
eorum.
7 [10] Reverentia Jehovæ *eſt* caput ſcientiæ:
ſapientiam ac eruditionem ſtulti ſpernunt.
8 [11] Audi, [12] fili mi, eruditionem patris tui;
[13] neque deſeras doctrinam matris tuæ:
9 [14] Nam [15] adjectio *d* gratioſa erunt capiti
tuo, & torques faucibus tuis.
10 [16] Fili mi, ſi pellicere volent te peccato-
res; [17] ne acquieſcito.
11 Si dixerint, [18] veni nobiſcum, inſidiemur

[1] i. ſententiæ, verba, ſive dicta graviter & paucis concinnata, quæ in omnium animis hærere, & in ore verſari debent, denique ſpeculum eſſe totius vitæ, & adminiſtrationis noſtræ. Quamobrem non incommodè etiam potuiſſent reddi ſententiæ: ſed quia bene convenit proverbiorum appellatio, ſi late accipias; propterea communem hanc vocem retinuimus. Sunt autem in hoc libro duo proverbiorum ſive ſententiarum genera: unum ad pietatem fidemque pertinens, commune totius vitæ noſtræ, quo informamur quomodo oporteat nos conſtitutos eſſe & affectos erga ſapientiam cæleſtem, atque ex ea componere vitam noſtram, novem capitibus: alterum ad vitam inſtituendam moreſque pertinens, ſingulare, ſive documenta complectens ſingularia pro ratione perſonarum, animorum, dictorum, factorum, aliarumque circumſtantiarum, inde à cap. 10. ad finem uſque. Hujus porrò capitis ſummæ partes ſunt duæ prima ἐπιγραφὴ ſive inſcriptio, 6. ℣. altera, propoſitio documentorum ad pios pertinentium. Inſcriptione docentur duo: quis auctor ſit, hoc verſ. & quis finis totius operis, 5. ſequentibus.
[2] i. quæ eloquutus eſt Schelomo, alii vero diverſis temporibus ſelecta ex pluribus in hunc librum retulerunt, tamquam magis ad Eccleſiæ inſtitutionem pertinentia, prout innuitur inf. 25. 1. & 30. 1. & 31. ac videtur quidem prima hæc pars à Schelomone ita ut eſt fuiſſe conſcripta, uſque ad cap. 10 altera verò deinde collecta. Quamobrem alienum eſt de tempore quo hic liber ſcriptus eſt laborare.
[3] ſecunda pars inſcriptionis, de uſu libri. Eſt autem duplex illius uſus, prolepticè hoc loco poſitus; prior, ſapientia, id eſt, abſoluta, conſtans, & efficax rerum divinarum, humanarúmque ſcientia, qui finis eſt præcipuus: poſterior, eruditio, h.e. hominis, qui à natura rudis eſt & imperitus revocatio à ruditate ſua, & informatio ad ſapientiam: qui duo fines per ὕστερον Hebræis familiarem in ſequentibus ℣. explicantur. [4] id eſt, dicta quibus prudens efficiatur homo, ad comparandam & conſervandam eruditionem & ſapientiam.
[5] expoſitio ſecundæ partis prolepſeos, qua exponitur officium tum diſcipulorum, hoc verſ. tum docentium ſequente. a *Heb rectitudinum*
[6] i. inſipientibus, imperitis, quorum animus tanquam puerorum præ imperitia hûc illûc momento traduci poteſt. [7] inconſiderato: ut Epheſ. 4.14.
[8] expoſitio prioris partis prolepſeos, qua oſtendit hoc libro non imperitos tantùm erudiri, ſed etiam ſapientes augeri ac confirmari, hoc ℣. atque alios informari, ſeq. verſ.
b *Heb. perceptionem: ſic deinceps.*

c *Heb. faciendum intelligere.* [9] i. gravia ſapiētum dicta: ut prioris membri in hoc verſ. poſterius exegeticū eſt: hæc autem dicuntur etiam ænigmata, ut Pſal. 49.5. [10] propoſitio, ſummam & argumentum continens novem priorum capitū. Omnis, inquit, ſcientia noſtra quam ad ſapientiam & eruditionem ſpectare diximus, duobus capitibus continetur: unum eſt & quidem primarium, reverentia Dei, quæ ſumma eſt ſapientia, & aditus ad omnem ſapientiam: alterum, prudentia ſive informatio vitæ noſtræ ad ſapientiam & eruditionē propter reverentiam Dei, abs qua velut fonte profluunt ſapientiæ & eruditionis rivi. Hæc ut ita accipiamus facit antitheſis à Schelomone in hoc lib. frequētata cujus membra ferè ſunt ἀνταπόδοτα. q.d. fons & caput ſcientiæ eſt reverentia Jehovæ, rami verò ſive rivi manantes ex eo ſunt ſapientiæ & eruditionis ſtudium; ſtulti autem rivos eruditionis & ſapientiæ ſpernunt, quia non agnoſcūt fontem neque reverentur. Ex hac propoſitione ſumma profluūt omnes hortationis & dehortationis loci, qui poſteà ſequuntur. Nam ſapientiæ quidem traduntur documenta quatuor cap. primis, prudentiæ vero ad comparandam & tenendam ſapientiam, c. 5. & ſeq. ac tum demum confirmatio apponitur cap. 7. 8. & 9. [11] primum documentum eruditionis & ſapientiæ, eā à nobis audiendā & tenendā eſſe: quod his duobus ca. exponitur. Ac primùm quidem prolepticè hoc ℣. eruditio & ſapientiæ doctrina commendatur; deinde verò per ὕστερον tractantur copioſè tam eruditio ſive revocatio à malo, toto hoc c. inde à verſ. 10. quàm provocatio ad ſapientiam, c. 2. [12] ut Pſal. 34.12. Huic autem gratioſiſſimæ appellationi reſpondent parentum nomina, i. patris & matris, quæ Deo, & ſibi tribuit Schelomo. [13] ſed conſtantiſſimè teneas. [14] ætiologia hortationis, quæ copioſè 2. cap. explicatur: cujus hortationis argumentum hi duo ver. continent. [15] eris gratioſus Deo & hominibus inf. 3.4. Reſpicit autem ad puerorum ſtudia: qui ut vario ornatu, muneribúſque liberaliter adducuntur, ſic homines promiſſionibus Dei. d *Heb gratia.* [16] explicatio ſecundæ partis prolepſeos, nimirum eruditionis & avocamenti à malo, uſque ad verſ. 16. cujus argumenta ſunt duo, unum ab ipſius naturæ documentis, uſque ad ℣. 20. alterum à documētis ſapientiæ æternæ Dei per verbum, inde uſque ad finem cap. Modus autem pelliciendi 4. v. proximè ſequentibus exponitur. [17] i. nullo pacto aſſentitor, neque aurem advertito: ut exponitur ℣. 15. [18] familiaris proſopopœja, qua commodiſſime figuratur maleficorum improbitas alienam vitam bonaque ſibi arrogantium, tum fraude, hoc verſu: tum apertis viribus, ver. ſequente.

ſanguini,

ſanguini, abſcondamus *nos* contra innocen-
tem [19] impunè.
12 [20] Abſorbebimus eos velut ſepulcrum
vivos,& integros ut deſcendentes in *e* foſſam:
13 [21] Omnem ſubſtantiam pretioſam *f*
conſequemur, implebimus domos noſtras
ſpoliis:
14 [22] Sortem tuam conjicies inter nos: [23]
marſupium idem eſto nobis omnibus:
15 Fili mi, [24] ne ambulato via *communi* cum
illis,cohibe pedem tuum à ſemita illorum.
16 [25] Quia pedibus ſuis ad malum concur-
runt,& feſtinãt ad effundendum ſanguinem:
17 [26] Fruſtrà enim panditur rete,ante ocu-
los omnis *g* alitis:
18 [27] Præterea ipſi in ſanguinem ſuum inſi-
diantur; *quòd* abſcondunt ſe, in animas ipſo-
rum *eſt*.
19 [28] Ita *ſe habent* [29] cœtus [30] omnium *h* de-
ditorum quæſtui; *quæſtus* animam eorũ, *i* qui
dediti ſunt ipſi,intercipit.
20 *k* [31] Summa ſapientia [32] foris [33] recantat,
in plateis edit vocem ſuam:
21 [34] In ſumma turbarum proclamat; [35] ad
fores portarum, in civitate quaque ſermones
ſuos eloquitur, *dicens*:
22 [36] Quouſq; ô fatui amabitis fatuitatem;
& deriſores deriſionem deſiderabunt ſibi: &
ſtolidi odio habebunt ſcientiam?
23 Revertimini ad correctionem meam:
ecce,eructabo vobis ſpiritum meum,nota fa-
ciam verba mea vobis.
24 [37] Quandoquidem invito & renuitis,
extendo manum meam & nemo advertit.
25 Sed *l* [38] abſtrahitis vos ab omni conſilio
meo,& correctioni meæ non acquieſcitis:
26 Ego quoque in calamitate veſtra [39] ride-
bo, ſubſannabo quum advenerit *m* id quod
expaveſcitis:
27 Quum advenerit tanquam [40] fremebũ-
da vaſtatio,id quod expaveſcitis,& calamitas
veſtra tamquam turbo adventaverit;quum ir-
ruerit in vos oppreſſio & anguſtia.
28 Tunc invocabunt me,ſed nõ exaudiam:
[41] manè quærent me,ſed non invenient me:
29 Propterea quod oderunt ſcientiam, &
reverentiam Jehovæ non elegerunt;
30 Non acquieverunt conſilio meo,ſed cõ-
temſerunt omnem correctionem meam.
31 [42] Sic [43] comedent de fructu viæ ſuæ, &
ex conſiliis ſuis pravis ſaturabuntur.

[19] id eſt,nemine percipiente aut pœnas repoſcẽte à nobis: adeo arroganter Deo & hominib. obloquuntur impii. ſic autẽ accipitur hæc particula Ijobi 9.17.& infr.23.29.
[20] Thraſonica hyperbol.
[e] Heb. ciſternam.
[21] ſuaſionis locus, à ſpecie utilis.
[f] Hebr. inveniemus: ſic hoc libro paſſim.
[22] i. partem cõmunis prædæ noſtræ tibi recipies ſorte nobiſcum ex æquo: ſumta loquutio à legitima negotiatorum ſocietate.
[23] i. agedum hãc ineamus ſocietatem: ſic concluditur hortatione illorum ſermo.
[24] i. ne te conſociato palam aut clàm.
[25] primum naturæ argumentum à juſto, quod inter homines coli poſtulat humanitas. q.d. injuſti ſunt;te autẽ natura vetat injuſtum eſſe.
[26] ſecundum argumentum ab incerto. q.d. utcunque ſibi videantur eſſe certi de potiunda præda:tamen nõ magis confirmare poſſunt ſe effecturos conſilia ſua, quam auceps ſe capturũ aves prætervolantes & obſervantes retia. Atque hoc ipſum amplificatur elegantiſſimè, quum Sapiens inquit, *Ante oculos omnis alitis*, pro eo quod eſt, quæ retia cum homines plerumq; obſervant, tum Deus hominum cuſtos ſemper.
[g] Heb. domini alæ.
[27] tertium argumentum à funeſto ipſorum exitio,quod ſibi comparant ipſi malo ſuo:ut Pſal.7.13.& ſeq.ac alibi paſſim. [28] concluſio ſuperiorum argumentorum per affirmationem ſimplicem. [29] i. ſocietates & corpora (ut juteconſulti vocant) convenientium; ut Gen.37.25. [30] q.d. nemo illorum evolare aut effugere exitium poteſt, & inevitabile eſt judicium Dei:antitheſis elegans cum verſ.17. [h] *Hebr. quæſtuoſi quæſtus.* [i] *Heb.dominorum ipſius.* [k] *Heb.ſapientiæ foris recantant.*
[31] ſecundum genus documentorum,ut obſervatum eſt in verſum 10. in quo Schelomo per proſopopœiam inducit ſapientiam Dei homines accedentem & proponentem conſilium Dei,uſque ad finem capitis. Eſt autem Chriſtus ſumma hæc ſapientia,de qua hîc & cap.8.agitur,ipſiſſima Dei ſapientiſſimi ſapientia, in qua reconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & intelligentiæ, & per quam ſapientiæ rivi in homines diffunduntur verbo. Quamobrem honoris cauſa plurali numero dicitur ſapientiæ:quaſi dicas,tota ſapientia,& omnis ſapientiæ auctor. [32] i.ubique & palàm, quod ſequentia continent. [33] i.ſubinde & indeſinenter proclamat. [34] i.ex edito loco,ubicumque maxima eſt frequentia:ſumta loquutio à concionum ritu. [35] vide Gen.34.20. [36] hujus orationis partes ſunt tres:revocatio ad reſipiſcentiam, duobus verſ.denunciatio in futurum, à verſ.24.uſque ad 31 & concluſio ſummam complectens judiciorum Dei,duobus ultimis. Reſipiſcentiæ autem locus continet increpationem mali, hoc verſ. & hortationem ad amplectendum promiſſum bonum,ſequente verſ.
[37] ſecunda pars,denunciatio contra cerebroſos contẽnentes ſapientiam Dei: cujus cauſa duobus verſ. continetur;minæ, ſeq. [l] *Hebr. abſtrahitis omne conſilium meum à vobis:hypallage, ut infra 4.15.* [38] i.rebellione veſtra abjicitis conſilium,quod vobis propono ad ſalutem veſtram:ſic infra 4.15. [39] i.non curabo vos:ut Pſal.2.4.& infrà 3.4.humanitus dicta. [m] *Heb.pavor veſter:ſic ſeq.verſ.*
[40] i.furens nimbus aut grãdo maxima vi irrumpens ſubitò. Significat enim hæc vox repentinã & frementem rupturam rei cujuslibet, quicquid obvium eſt perrumpentis atque devaſtantis;ut Ijobi 30.14.& Jechez.38.9. [41] i.diligentiſſimè & indeſinenter, q.d.inde ab aurora. [42] nimirum neglecti & derelicti à me; [43] i.malum quod ſeverunt metent ad ſatietatem:metaphora,ut infr.22.8.

32 [44] Nam [45] quies fatuorum interficiet eos:
& tranquillitas ſtolidorum perdet eos.
33 [46] Qui verò auſcultat mihi habitabit ſe-
curè,ut tranquillus [47] à pavore mali.

[44] concluſio, ponẽs ſummam judiciorum Dei contra improbos, hoc verſu; & erga bonos per antitheſin, ſeq. verſu: qua docet Deus exitium improborum ab ipſis eſſe:ut Hoſche.13.8.
[45] i.conſtans & pervicax illorum reſidentia in malo, in quo ſibi allubeſcunt & omnem poſteritatem pollicentur:ut Jirmejæ 48.11.& Tzephanjæ 1.12.
[46] altera pars antitheſeos μεταβατικὴ ſive tranſitiva ad hortationem ſequentis capitis. [47] non autem tantùm à malo: adeò confirmabitur illorum animus promiſſionibus,& defendetur virtute Dei.

## CAP. II.

*Schelomo hortatur ad reverentiam Dei,fidem & ſanctificationem, adductis promiſſionibus ejus de bono,& ſalute noſtra,ac liberatione ab omni malo.*

1 [1] FIli mi, [2] ſi acceperis dicta mea,& præce-
pta mea reconderis apud te,
2 *Si* attendẽdo ad ſapientiam aures tuas,
inclinaveris animum tuum ad intelligentiam:
3 Quinetiam [3] ſi prudentiam inclamaveris,
ad intelligentiam edideris vocem tuam;
4 Si quæſieris eam velut argentum,& tam-
quam abditos theſauros ſcrutatus fueris eam:
5 [4] Tunc intelliges [5] reverentiam Jehovæ,
& [6] agnitionem Dei *a* conſequêris.
6 Nam Jehova dat ſapientiam, ex ore ejus
ſcientia & intelligentia *procedit*:
7 [7] Repoſitum habet pro rectis *b quicquid*
revera eſt;ſcutum pro ambulãtibus *c* integrè.
8 Cuſtodiendo itinera juris: & viam eorum
quos benignè accepit conſervat.
9 [8] Tũc intelliges juſtitiam,& jus;& *d* quic-
quid rectum *eſt*, [9] omnem orbitam bonam:
10 [10] Quum venerit ſapientia in animum
tuum, *e* & ſcientia menti tuæ amœna erit:
11 [11] Solertia obſervabit te,intelligentia cu-
ſtodiet te,
12 Eripiendo te [12] à via mali,à *f* viris loquen-
tibus perverſitates,
13 Qui derelinquunt [13] itinera recti,ut am-
bulent per vias [14] tenebrarum,
14 Qui lætantur faciendo malum, exultant
in perverſitatibus *g* peſſimis,
15 Qui itineribus ſuis perverſi ſunt, & præ-
fracti orbitis ſuis:
16 Eripiendo te à muliere extranea,ab alie-
nigena *quæ h* dictis ſuis blanditur,
17 Quæ derelinquit [15] ducem adoleſcentię
ſuæ,& [16] fœderis Dei ſui obliviſcitur:
18 (Nam [17] propendet ad mortem domus
ejus,& ad [18] expertes vitæ orbitæ ejus;

[1] Hoc toto capite proponit Schelomo hortãmentum ſive provocationem ad bonum, quã alteram eſſe partem documenti prioris diximus ſuprà capite 1. ℣.8. Sunt autem hujus hortationis partes ſummæ tres: prima hypothetica ſive conditionalis propoſitio officij noſtri, verſibus quatuor: ſecunda expoſitio ſalutarium promiſſionum, quas obſequentibus denũciat & præſtat dominus,inde uſque ad verſum 21.tertia,cõcluſio, duobus verſib.ultimis.
[2] conditio κλιμακώδης, in qua gradatim aſſurgit Schelomo per ſingulas partes officii noſtri: ut doctrinam percipiamus,perceptam teneamus, hoc verſu, & ampliùs percipiendæ tenendæque operam demus diligente attentione, ſequente verſu; precibus, verſ.3. & labore omni, ſtudio,atque induſtria,verſ.4.
[3] i. Deum adieris caſtè pro cõſequenda prudentia, ut Schelomo feciſſe legitur 1 Reg.3.6.& ſeq.& faciendum docet Jacobus 1.5.ſic enim accipiendum eſſe oſtenditur ℣.6.
[4] expoſitio promiſſionum quæ certiſſimè conjunctæ ſunt pietati quam modò delineavit Schelomo. Sunt autem promiſſiones duplices,aliæ in communicatione bonorum poſitæ,uſque ad ℣.11. aliæ in propulſatione mali,uſque ad 21. Rurſum bonorum communicatio duplex promittitur:primùm reverentiæ & fidei in Deum,quæ caput eſt ſapientiæ noſtræ,& ſuas promiſſiones habet,uſque ad ℣.9. proleptice hoc verſu contentas:deinde obſequii & ſanctimoniæ per fidem, inde ad verſ.12. [5] à quo acceperis, & ampliùs deinceps ſperabis te accepturum: prius membrum prolepſeos, quod explicatur verſ.6. [6] i.hac fide & reverentia præditus experieris te agnoſci à Deo:ſecundum membrum prolepſeos, quod exponitur verſ.7.& 8. [a] *Heb. invenies: ut ſup.1.13.* [7] i.adeò agnoſcit Deus & curat rectos,ut omnibus in dies augeat illos:& virtute ſervet.
[b] *Heb.eſſentiam.* [c] *Heb integritatis.* [8] alterum genus promiſſi boni, ut obſervatum eſt in verſ.5. [d] *Heb.rectitudines:ut ſup.1.3.* [9] i rationem bene & ſanctè inſtituendæ vitæ. [10] i.quum ſuperiorem promiſſionem & doctrinam acceperis de reverentia Dei, hac poſteriore abundabis. [e] *Heb.& ſcire animæ tuæ amœnum erit.* [11] alterum promiſſionum genus de propulſatione malorum omnium ſpiritualium & corporalium, quæ alioqui impendent bonis,tum per maleficia,tum per allectamenta: quorum illa viro, uſque ad verſum 16. hæc mulieri tropicè attribuuntur, quaſi dicat, Deus te ea ſolertia & intelligentia inſtruet,qua tibi caveas ipſe à malis omnibus;quæ totam viam tuam labefactare tentant,ut ſcelerati ganeones & meretrices provocant lubricum adoleſcentiæ.
[12] i. depravata vita,in quam naturæ infirmitate laberis, & improborum dictis factiſque provocaris. [f] *Heb.viro loquente: enallage numeri.* [13] i. illuſtria & ſpectata,quæ lucem amant,neque arguuntur ab ea: ut loquitur Apoſtolus Epheſ.5.13. [14] i.obliquas,ac proinde lucifugas:ut Rom.13.12.& 1.Theſ.5.4.
[g] *Heb.mali.* [h] *Heb.dicta ſua emollit.* [15] i.juſtum maritũ ſuum:periphraſis.
[16] i.cõjugalis pacti inter ipſos conventi auctore Deo:ut Maleaci 2.14. [17] i.lethalis eſt & pernicioſa:periphraſis. [18] i.mortuos & ſepultos:ut Pſ.88.11.

19 Quicunq; adeunt eam, non revertuntur,
[19] neque aſſequuntur itinera vitæ)
20 [20] Ut ambules per viam bonorum, & i-
tinera juſtorum obſerves.
21 [21] Nam recti [22] inhabitabunt terram, &
integri reliqui fient in ea:
22 Improbi verò è terra exſcindentur, &
perfidè agentes avellentur ex ea.

[19] i. non reviviſcunt, aut in vitam redeunt: periphraſis.
[20] i. vitam bene inſtituas: antitheſis ad ſuperiora reſpiciens, qua munitur ad concluſionem via.
[21] concluſio aſſerens juſtitiam judiciorum Dei, duobus membris antithetis: ut ſup. 1. 32. & 33.
[22] ut Pſal. 37. 29.

## Caput III.

*Schelomo pios ad reverentiam Dei, fidem, & obſequium, ac ſui abnegationem vocat elegantiſſimis promiſſionibus: & confirmatis illis auctoritate Dei ab omnibus mundi iſtius avocamentis dehortatur propoſita veritate judiciorum Dei.*

1 [1] Fili mi, doctrinæ meæ ne obliviſcaris; ſed
præcepta cuſtodiat *a* animus tuus:
2 Nam longitudinem dierum, *b* annoſamque vitam, [2] cum pace adjicient tibi.
3 [3] Benignitas & fides ne derelinquant te;
[4] alliga eas faucibus tuis, inſcribe eas tabulæ
cordis tui:
4 [5] Ita *c* conſequere gratiam, & *d* ſucceſſum
optimum; ante oculos Dei & hominum.
5 [6] || Fiduciam habe in Jehova ex toto animo
tuo: intelligentiæ verò [7] tuæ ne innititor.
6 In omnibus viis tuis agnoſce eum, & ipſe
diriget itinera tua.
7 || Ne eſto ſapiens *e* judicio tuo; reverere
Jehovam, & recede à malo.
8 *f* [8] Salutare *id* erit umbilico tuo, & [9] irrigatio
oſſibus tuis.
9 Honora Jehovam de ſubſtantia tua, &
[10] de præcipuo totius proventus tui:
10 Ita implebuntur horrea tua ſaturitate, &
muſto lacus torcularii tui perrumpent.
11 || Eruditionem Jehovæ, fili mi, ne ſperni-
to; neque tædeat te correctionis ejus:
12 Nam quem diligit Jehova corrigit; &
quidem ut pater filium, *cui* bene vult.
13 [11] Beatus homo, *qui* conſequitur ſapien-
tiam, & homo [12] *qui* provehit intelligentiam:
14 || Melior enim *eſt* negotiatio ejus negotia-
tione argenti, & auro effoſſo proventus ejus:
15 Pretioſior *eſt* carbunculis, & omnia ob-
lectamenta tua non poſſunt æquari ei.
16 [13] Longitudo dierum in dextera ejus *eſt*,
in ſiniſtra ejus divitiæ & honor:
17 Viæ ejus viæ *ſunt* amœnitatis; & omnes
ſemitæ ejus, pacis:
18 [14] Arbor vitæ eſt prehendentibus eam,
denique tenentium eam beatus quiſque.
19 [15] Jehova ſapientia fundavit terram, ſta-
tuit cælos intelligentia:
20 Scientia ejus [16] abyſſi diffiſſæ ſunt, & ſu-
periores nubes diſtillant rorem.
21 Fili mi, ne decedant ab oculis tuis; cuſto-
di *g* eam quæ verè eſt *ſapientia*, & ſolertiam.
22 || [17] Eruntque vita animæ tuæ, & gratia
[18] faucibus tuis:
23 [19] Tunc obibis ſecurè viam tuam, & pe-
dem tuum non offendes:
24 Quum cubabis, non expaveſces; ſed
cubanti ſuavis erit ſomnus tuus.
25 Ne timeto [20] à pavore repentino; & à va-
ſtatione improborum, ut adveniat:
26 Nam Jehova aderit fiduciæ tuæ, & [21]
ſervabit pedem tuum à captura.
27 [22] Ne cohibeto bonum *h* ab eis qui opus
habent, [23] quum eſt in poteſtate manus tuæ
efficere *illud*:
28 [24] Ne dicito proximo tuo, abi, deinde
revertere, cras enim daturus ſum; quum fuerit
penes te.
29 Ne fabricator contra proximum tuum
rem malam, qui confidet ſecurè tecum:
30 [25] Ne contendito cum ullo homine im-
meritò, niſi affecerit te malo.
31 || Ne invideto ulli violento, neque eligi-
to ullas vias ejus:
32 [26] Nam abominationi *eſt* Jehovæ præfra-
ctus; apud || rectos autem [27] arcanum ejus *eſt*.
33 [28] Exſecratio Jehovæ incumbit domui
improbi; at habitaculo juſtorum benedicitur.
34 [29] Quandoquidem deriſores ipſe [30] de-
ridet, manſuetis autem dat [31] gratiam:
35 Honorem ſapientes [32] poſſident; [...]dos
verò [33] tollit ignominia.

[1] Secundum documentum ſapientiæ hoc ca. continetur: quo Schelomo docet, primùm veram legē omnis ſapientiæ poſitā eſſe in Dei reverentia, fide, atq; obſequio, abnegatis ſenſibus & ſtudiis carnis noſtræ, uſq; ad ver. 13. deinde bonorum promiſſiones adducit quæ ad nos ex illa fiducia in Deum perveniūt: inde uſq; ad v. 27. poſtremò ſtudia contraria reprehendit, & ab illis dehortatur, propoſita juſtitia judiciorum Dei, ad finem uſque. Eſt autē his duobus verſibus primis cōmune exordium horum documentorum, quę diximus, hortationū promiſſionúmque ſummam complectens.
a Heb. cor: ſic deinceps.
b Gr. annoſque vitæ.
[2] i. omnis generis proſperitate, ut alibi paſſim.
[3] propoſitio ſumma documenti. q. d. ne committas incuria aut oblivione tua, ut benignitas & fides, quas tecum voluit communicatas Deus, dimoveantur à te: quod ſequentia verba adumbrant allegoriis. [4] i. ſermone & animo eas continenter recole, ut obſequaris opere: ut Exod. 13. 9. [5] propoſitio ſumma bonorum ad nos pervenientium, prout deinceps exponuntur inde à verſu 16. Sunt autem illa duûm generum: gratia apud Deum, & proſperitas coram hominibus. c Heb. inveni: ſic verſ. 13.
d Heb ſecundationem bonam: ut Pſal. 111. 10. [6] expoſitio prioris propoſitionis, quæ poſita eſt verſu 3. ubi oſtendit Schelomo ad benignitatem Dei fidémque continendam tria nobis opus eſſe: primum, ut nos ipſos abnegātes adhibeamus fidem integram in Deum, agnitionem, reverentiam, atq; obſequium animo gratiſſimo, uſque ad verſ. 9. ſecundum, ut rebus proſperis bene utamur ad honorem ejus, verſ. 9. & 10. Tertium, ut rebus quoque adverſis bene utentes, in officio noſtro informemur & crucem feramus patienter ver. 11. & 12. || 1. Chron. 28. 9.
[7] i. humanæ, ſive carnis, de qua Rom. 8. 5. & ſequentibus. || Rom. 12. 16.
e Heb. in oculis tuis, ut Lev. 13. 5. f Heb ſanatio: Malcaci 3. 10. & ſequentibus.
[8] promiſſio ſynecdochica; pro eo quod eſt, intus & foris, corpore & animo eris optimè affectus. Eſt autem hæc promiſſio allegorica, qua pii in Eccleſia foti cum infantibus in utero matrum verſantibus comparantur: nam ut illis (inquit) alimentum ſubminiſtratur umbilico ad intimas etiam partes confirmandas, ſic pii in Eccleſia fide, agnitione, reverentia, & obſequio Dei paſcuntur atque educantur. [9] i. robur tuum, ut medulla, quæ confirmat oſſa: ſine quo ne id quidem, quod in te eſt valentiſſimum poſſet quicquam: ſic Ijobi 21. 24.
[10] ut Malcaci 1. 7. & ſeq. || Heb. 12. 5. Apoc. 3. 19. [11] ſecunda pars, prædicans felicitatem eorum, qui documenta fidei & reverentiæ Dei perceperunt, primùm ab earum præſtantia, ver. 14. & 15. deinde ab adjunctis & conſequentibus, inde ad ver. 19. quibus ſubjicitur confirmatio ab auctore tum hujus ſapientiæ, tum bonorum omnium ad ſapientiam hanc pertinentium, uſque ad ver. 27.
[12] i. promovet apud ſe, & proficit in intelligentia. || Pſal. 19.
[13] i. omnia bona adjuncta habet, & veluti ambabus manibus largitur.
[14] i. certiſſimum ſymbolum æternæ vitæ, quam homo priùs ſibi abjudicaverat: neglecta reverentia Dei atque obſequio, Gen. 3.

[15] confirmatio ſuperiorum documentorum & promiſſionum ab auctore: qui ut cælum, terrā, & res omnes creavit, ordinavit, conſervat atque adminiſtrat; ita eadem ſapientia in nobis promiſſa ſua effecturus eſt, ut obſervatū eſt in v. 13. Quapropter ſummatim ſuperiores hortationes repetuntur, & confirmationis locis inſerūtur, ver. 21 & 25.
[16] i. Fontes & flumina ex intimis terrę ſpecubus & ſpiramētis manant, quaſi diffindat ſe terra: metonymia, abyſſi aquarum, pro faucibus aquam manantibus.
g Heb. eſſentiam: ut ſup. 2. 7.
|| Pſal. 19. 11.
[17] i. verba hæc ſemina erunt & alimenta vitæ æternæ atque ſuaviſſimæ: auxeſis, qua verbum Dei ſummè vivificum ac ſuaviſſimum credentibus dicitur eſſe ipſa vita & gratia.
[18] i. toti homini: metaphora à guſtu.
[19] i. proſperè cōficies quicquid agendum erit, & confectis rebus ſecurè conquieſces: allegoria. [20] i. ullum malum quod expaveſcimus eveniat tibi, aut certè opprimat quum per voluntatem Dei evenerit: ut inf. 14. 16. [21] ne intercipiaris, aut captus conſtringaris hæreaſq; in malis.
[22] poſtremus locus, quo hominem à ſtudiis contrariis avocat Schelomo, ut in fide & reverentia Dei poſſit incedere. q. d. ſi ritè in Deum credere ipſumque revereri cupis, cave tibi ne in proximum (quod ſecunda tabula prohibetur) pecces, ſive opere officium quod præſtare poſſis recuſando, duobus verſibus: ſive conſiliis & verbis oſtendendo, ver. 26. 30. ſive animum ad æmulationem & imitationem improborum provocando, verſ. 31. quibus modis violatur fides in Deum & reverentia.
h Hebr a dominis ejus, nimirum cohibiti boni: cujus dominum illum efficit neceſſitate, & te diſpenſatorem Deus, quamobrem hæc beneficia in ſcripturis appellantur juſtitia, ut infra 11. 18. & 2. Corint. 8. 9. [23] i. quum poſſis illis commodè benefacere.
[24] i. ne differto beneficentiam. [25] ſive privatis jurgiis, ſive litibus in jure.
|| Pſal. 37. 1. [26] ætiologia ſuperiorum documentorum, à juſtitia Dei & judiciorum ejus. || Pſal. 25. [27] i. intima & familiariſſima benevolentia communicatio, prout ſequentis verſus membra antitheta oſtendunt.
[28] i. maledictio, de qua Malcaci 2. 2. [29] concluſio ab omnipotentia & juſtitia Dei hoc verſu, aſtruens juſtitiam judiciorum ejus: ſequente verſ. [30] i. ludificatur & ipſorum exſpectationem fruſtratur, ut ſup. 1. 26. [31] i. quicquid ipſis gratum eſt & ſuave. [32] i. conſtanter obtinent.
[33] i. momento ipſos, & ipſorum exſpectationem abripit.

## Caput IV.

*Schelomo præcedentia timoris Dei, fidei, reſipiſcētiæ, & abnegationis noſtri documenta confirmat exemplo ſuo: & ad ſapientiam hortatus, ſuaviſſimis promiſſionibus revocat ab omni improborum conſortio, ærumque malarum communicatione.*

1 [1] Audite filii eruditionem patris, & atten-
dite ad cognoſcendum prudentiam.
2 [2] Nam diſciplinam bonam trado vobis;
doctrinam meam ne derelinquite.
3 [3] Quum filius eſſem apud patrem meum,
tener & [4] unicus coram matre mea,
4 [5] Docens ille me dicebat mihi; [6] retineat

[1] Hujus capitis partes ſunt tres: prima, exordium attentos, dociles & benevolos lectores faciens, tum à genere doctrinæ, tum ab auctoris exemplo, quatuor verſib. ſecunda hortatio ad ſapientiam à v. 5 uſque ad 13 tertia, dehortatio à cōmunicatione, cū improbis & cōverſatione prava, inde ad finē uſq;. [2] prior locus à genere doctrinæ, quòd & bona eſt ipſa, & bonū affert percipientibus. [3] poſterior locus ab exemplo ſuo. [4] i. unicè dilectus & ſingulari ſtudio inſtitutus: nā alioqui plures fuerunt filii Davidis ex eadem matre: 1. Chron. 3. 5. [5] nā huic officio erga filium, Davidem minimè defuiſſe tum pietate illius evincitur, tum etiā cōfirmatur 1. Chron. 28. [6] prolepſis ſive propoſitio ſumma ſequentiū documētorum cōtinens præcepta & promiſſiones, quæ deinceps ſuo ordine explicātur.

verba

verba mea *a* animus tuus; obſervans præcepta
mea [7] vive.
5 [8] Acquire ſapientiam, acquire pruden-
tiam; ne obliviſcitor, neq; declinato à ſermo-
nibus oris mei.
6 Ne derelinquito illam, & conſervabit
te; dilige illam, & cuſtodiet te.
7 [9] Quæ caput eſt ſapientiæ, *eam* acquire
ſapientiam; & [10] tota acquiſitione tua acquire
prudentiam.
8 Extolle eam, & exaltabit te; [11] honorabit
te, quum amplexaberis eam.
9 Indet capiti tuo [12] adjectionem gratiæ,
coronam *b* ornatiſſimam tradet tibi.
10 Audi fili mi, & percipe ſermones meos:
ita multiplicabuntur tibi anni vitæ.
11 Viam ſapientiæ doceo te, deduco te per
orbitas recti.
12 [13] Quum ambulabis, nihil arctabit greſ-
ſum tuum: etiam ſi cucurreris, non offenderis.
13 Prehende eruditionem illius, ne deſiſti-
to. cuſtodi illam, quia eſt [14] vita tua.
14 [15] Iter improborum ne ingreditor, neq;
incedito per viam malorum.
15 *c* Abſtrahe te ab ea, ne tranſito per eam;
declina ab ea, & præteri.
16 [16] Nam non dormiunt *illi*, niſi malefe-
cerint; & eripitur ſomnus illorum, niſi fece-
rint ut impingat *quiſpiam:*
17 Quia veſcuntur cibo improbitatis, &
vinum *d* omnimodæ violentiæ bibunt.
18 [17] Iter enim juſtorum [18] ſimile *eſt* luci
ſplendidæ, [19] *e* pergenti lucere; adeò ut *eorum*
*quisque ſit* [20] ſtabilis die:
Via *verò* improborum [21] ſimilis *eſt* cali-
gini; [22] neſciunt in quid impacturi ſint.
20 [23] Fili mi, ad verba mea attende; ad ſer-
mones meos inclina aurem tuam.
21 Ne efficiant *illi* ut recedant ab oculis
tuis, ſerva hæc *f* in animo tuo:
22 Nam *verba* vitæ ſunt iis qui conſequun-
tur ipſa & toti *g* carni cujuſq; eorũ *h* ſalutaria:
23 [24] Supra omnem obſervationẽ [25] cuſtodi
cor tuum: [26] *i* ex eo prodeunt actiones vitæ.
24 Remove abs te perverſitatem oris, &
pravitatem labiorum procul amove abs te.
25 Oculi tui [27] è regione intueantur, & pal-
pebræ tuæ *k* ſpectent rectà coram te.
26 Expende orbitam pedis tui, ut omnes
viæ tuæ ſtabiles ſint:
27 [28] Ne declinato dextrorſum aut ſini-
ſtrorſum, amove pedem tuum à malo.

a Hebr. cor. 7 i. vita & promiſſionibus illius fruere: ut Gen. 20.7. 8 ſecunda pars: in qua proponuntur ſummatim hortationes & promiſſiones capitis primi & ſecundi, de ſapientia & prudentia acquirẽda, tenenda, amplianda, honoranda, & omnibus modis proſequenda ut expoſitũ eſt principio capitis ſecundi. 9 i. reverentiam Jehovæ: ut ſup. 1.7. 10 i. omnia quæ habes, ſi opus eſt, exponito illius comparandæ cauſa: ut Matth. 13.44. 11 ex promiſſione 1. Sche. 2.30. 12 ut ſup. 1.9. b Heb. ornatus. 13 i. omnino proſperaberis, neque deiicieris ullis adverſis rebus ut Pſal. 1.3. & 91.11. & ſeq. 14 i. adminiſtra & dux ad vitam: αὔξησις. 15 tertia pars, complectens duo interdictorum genera: unum, ne ſit communicatio cum hominibus improbis, uſque ad ℣. 20. alterum: ne ſit communicatio cum rebus malis, ad finem uſque: quod genus documentorum propoſitũ eſt ſupr. cap. 1. & 3. c Heb. abſtrahi eam à te: ut ſup. 1.25. 16 i. ut homo jejuno ſtomacho vix poteſt indormiſcere, ſed ſubinde excitatur fame; ita ſunt iſti, qui maleficia cibo & potui antepopunt, ac proinde nunquam conquieſcunt niſi ipſi perpetraverint maleficia, aut alios ad ea perpetranda adduxerint. d Heb. violentiam. 17 ætiologia præcedentis dehortationis ex antitheſi ſive comparatione beatitudinis bonorum cum improborum infelicitate: unde apparet dehortationem eſſe ἀνταποδοτον. q. d. ne ingrediaris via improborum; ſed juſtis adjunge te: Iter enim juſtorum, &c. 18 id eſt, tota illorum vita illuſtris eſt, & abundat bonis: ut Pſalm. 97.11. & 2. Schem. 23.4. 19 i. nunquam occidenti: ut Jeſchah. 60.21. e Heb. pergenti & lucenti uſque ad ſtabilem diei. 20 i nunquam concidat, ſed ſemper luce Dei præeunte erectus ambulet, ut loquitur David Pſalm. 27. ſic accipiendum eſſe docet ſequentis verſus membrum quod huic reſpondet. 21 i. denſiſſimis malis, velut tenebris, circumfuſa eſt, quas nulla arte poſſunt effugere, quin juſto Dei judicio corruant. 22 tantum abeſt ut cavere poſſint, atque avertere judicia Dei. 23 tranſitio ad alterum dehortationis genus, ut dictum eſt ℣. 14. cujus exordium tribus verſibus continetur. f Heb. in medio cordis tui. g Heb. carni ejus: ſyllepſis: ut verſ. 18. h Heb curationis verba. 24 hujus documenti ἀποτρεπτικοῦ, ſive dehortantis à malo partes ſunt quatuor: prima, ut animus ſit integer & purus à malo, hoc verſu; ſecunda, ut ſermones puri, ſequente; tertia, ut oculi & ſynecdochicè ſenſus omnes animorum adminiſtri continentes ſint; ℣. 15. quarta, ut conatus & actiones omnes, quas ferè pedibus ſcriptura tribuit, verſ. 26. 25 obſerva, proba, expurga ab inſito malo, & ab adventitio abſtine quam ſtudioſè fons à purgamẽtis & ſordibus conſervatur, ut ex lege 12. tabularum Romanos obſervaſſe ſcribit Frontinus lib. 2. 26 i. ut fons eſt vivendi, ita etiam benè vivendi fontem oportet eſſe, ac proinde ſartum tectum ſervari ab omni malo: vide Matthæi 15.18. & ſequentibus. i Heb. ex eo ſunt *egreſſiones vitæ* 27 i. rectà ſpectent; nihil pravè, aut obliquè, aut denique inconſtanter: quod ad alios quoque ſenſus pertinere ſupra monuimus. Eſt autem allegoricum dicendi genus à viatoribus aut curſoribus, quorum oculos non diſcurſare oportet, ſed ad iter ſuum ſollicitè attẽdere. k Heb. *dirigant* intueri: *vide Gen.* 12.8. 28 concluſio ſuperiorum documentorum, q. d. in omnibus rectum te exhibe & obſervantiſſimum itineris, quod præſcripſit Deus, Deut. 4.2. & 5.38.

## Caput V.

*Schelomo pios ad prudentiam hortans, avocat à voluptatis carnalis libidiniſque ſtudio: præſentiſſima damna exponit, quæ eam conſequuntur: hortatur ad bona ſanctè utenda, & amandam caſtè colendámque uxorem, maximè propter cognitionem & judicia Dei.*

1 [1] Fili mi, ad ſapientiam meam attende; ad
intelligentiã meam inclina aurẽ tuam:
2 [2] Ut obſerves *a* omnimodam ſolertiam,
& ſcientiam labia tua cuſtodiant.
3 [3] Quamvis favum ſtillent labia extraneæ,
& mollius oleo *ſtillet* palatum ejus:
4 Attamen [4] poſterius ejus amarum *eſt* ut
abſinthium; acutum ut gladius *b* bipennis:
5 Pedes ejus deſcendunt *ad* mortem, [5] *ad*
ſepulcrum greſſus ejus pertinent.
6 [6] Iter vitæ ne expendas, [7] moventur or-
bitæ ejus *c* te imprudente.
7 Nunc itaque filii auſcultate mihi, & ne re-
cedite à ſermonibus oris mei.
8 [8] Procul facito ab illa iter tuum, & ne ap-
propinquato ad oſtium domus illius:
9 [9] Ut non [10] cedas aliis decorem tuum, &
annos tuos [11] crudeli:
10 Ut non ſatientur extranei *d* facultatibus
tuis, & [12] labores tui *maneant* in domo alieni:
11 Gemaſq; *e* tandem conſumta carne tua
[13] & corpore tuo,
12 [14] Ac dicas; quomodo odi eruditionem;
& correctionem ſprevit *f* animus meus,
13 Neq; auſcultavi voci doctorum meorũ,
& ad docentes me non inclinavi aurem meã?
14 *g* Fermè verſor in omni malo, [15] in me-
dio congregationis & cœtus.
15 [16] Bibe aquam è ciſterna tua, & fluenta
è medio putei tui.
16 Spargant ſe [17] fontes tui foras, in plateis
rivi aquarum:
17 [18] Sint tibi *h* ſeorſim, ac non extraneis te-
cum:
18 [19] Erit ſcaturigo tua benedicta; [20] ſed læ-
tare de uxore adoleſcentiæ tuæ:
19 [21] *Sit* cerva *i* amiciſſima, & rupicapra

1 Hoc capite & ſequente Schelomo proponit documenta prudentiæ, quæ ad comparandum & tenendum ſapientiam pertinent. itaque primũm hoc capite hominẽ prudentia inſtruit adverſus illecebras voluptatis ad quam homo à natura proclivis eſt. Sunt autem hujus capitis partes præcipuæ tres: exordium, uſque ad verſum 8 propoſitio documenti prudẽtiſſimi, inde ad ver. 20 & confirmatio, ad finem uſque. 2 i ut prudentia utaris in adminiſtratione ſermonibuſq; tuis. a Heb ſolertias. 3 hæc verba oſtendunt ſuperiori præcepto ſuum interdictũ opponendũ eſſe, hoc modo: attẽde ad me, ac non ad verba ſimulata & mellita exteræ: cujus dehortationis cauſæ redduntur poſt hujus verſus anticipationem; nimirum quòd aliena eſt à piis natura, animo, religione; & vita hoc verſu; deinde quòd eventus perditionis ex ea cõſequuturus eſt, duobus ſeq. tertiò quod conſilio fraudulento utitur verſ. 6. 4 i. quod poſtea conſequitur ex ejus communicatione: ſic alludit ad corporis conſtitutionem, quaſi mulier ſit à fronte ornata, à tergo verò teterrima. b Heb. ςομάτων. 5 i. tam propinqui ſunt ruinæ quos abdûcit illa, quàm ii quorum pedes jam oram ſepulcri attingunt. 6 i. toto conſilio callidè providet, ne ad vitam reſpectes, aut animadvertas fraudes ſuas. 7 i. agilitate & volubilitate ſumma temperantur omnes actiones ejus momentis ſingulis ad decipiendum te: metaphora ab aurigis. c Heb. cùm non noſcis. 8 propoſitio documenti prudentiſſimi, diſtincta duobus membris: unum eſt, hoc malum longè fugiendum eſſe, uſque ad verſ. 15. alterum, bonum prudenter utendum, inde ad 20. In fuga autem mali ponitur præceptum, hoc verſu, & cauſa, ſequentibus. 9 cauſæ fugiendi mali ponuntur quatuor, & quidem à rebus humanis ſumtæ; amiſſio honoris, vitæ, bonorumque, duobus verſibus; & ſera nimis reſipiſcentia omnibus amiſſis, verſ. 11. & ſequentibus: divinæ verò cauſæ in fine capitis continentur. 10 i. honorem tuum proſtituas coram omnibus etiam exteris. 11 i. marito, fratribus, agnatis aut rivalibus: qui omni excuſatione aut redemtione abjecta in te ſævituri eſſent: ut copioſius exponitur infr. 6. ſub finem. d Heb. *virtute tua.* 12 i. facultates labore partæ: metonymia. e Heb. *in fine tuo.* 13 i. etiam toto exeſo ad oſſa & medullas uſque: αὔξησις. niſi fortè accipiatur pro uxore & liberis, ut Lev. 18. & alibi, q. d. ne teipſum abſumas & familiam tuam, cujus ſtudium eſt tibi à Deo & à natura imperatum. Atque hæc interpretatio ſequentibus videtur confirmari. 14 mimeſis, ſive hypotypoſis miſeri reſipiſcentis ſerò. f Heb. *cor meum.* g Heb. *planè parum* abeſt quin *verſer. &c.* 15 i. palàm, effectus omnium miſerrimus. 16 altera pars prudentis documenti, de utendo bono: cujus membra ſunt duo ex adverſo ſuperioribus reſpondentia; unum, potiùs providendum eſſe pio, ut bonis omnibus bene utatur & augeſcat benedictionibus Dei, uſque ad ℣. 18 alterum, ut caſtè & continenter cum uxore vivat, ſi cupit in his benedictionibus confirmari, inde ad 20. Boni autem uſus allegoricè cum aliquis comparatus conſtituitur in privata utilitate, hoc verſu, & benefica cum aliis communicatione, verſ. ſeq. 17 i. ſalientes aquæ ex fonte tuo, ut ſequens membrũ explicat. 18 i. ne cõmittas, ut libidine adductus foras dilapides bona tua, & in exteros transfundi ſinas. h Heb *ſoli tibi.* 19 i. affluẽs benedictionibus Dei, quibus utaris & benefacias aliis. 20 i. tantum uxore tua alacri animo cõtentus eſto: ſecundum membrum documenti, ut dictũ eſt in ℣. 15. 21 i. quemadmodum cervus poſt Arcturi ſydus eſt cervæ amantiſſimus, illam perſequitur, illâ ſe explet, & cum illa inſanus oberrat, aut caprea mas fœminam; ita ſtudium tuum adhibeto ad uxorem tuam: elegantiſſima allegoria. Eſt autem his verbis eclipſis relati, ut Lev. 21.4. pro eo quod eſt, ſit uxor tibi, ut cerva cervo: de quorum natura vide Ariſt. lib 6 de hiſtoria animaliũ cap 29. & Plin. 8. cap. 13. i Heb. *amorum, & caprea gratiæ.*

gratioſa:ubera ipſius uberent te omni tempo-
re,in amore ejus errato jugiter.
20 [22] Et quare errares fili mi cum extranea,
&amplecteteris [r] pectus alienæ,
21 Cùm coram oculis Jehovæ viæ cujuſq;
*ſint*, & omnes orbitas ejus expendat?
22 [24] Iniquitates ſuę capiét ipſum , improbũ
inquã iſtum; & funibus peccati ſui tenebitur:
23 Ipſe morietur *k* expers eruditionis, & [25]
in amplitudine ſtultitiæ ſuæ oberrabit.

[22] confirmatio ſuperiorum documentorum: primùm à cognitione Dei, ſeq.verſu, deinde à judiciis juſtiſſimis duobus ultimis. [23] ſupple,ac nõ conquieſceres in uxore tua.

[24] id eſt, ipſe ſuis maleficiis incubans parit malum ſuum:& ſibi teſtẽ facit. [k] Heb. in eruditione. [25] i.pœnas luet peccatorum ſuorum, & nunquam conſequetur bonum:ſed vivus hærebit in perpetua morte.

## Caput VI.

*Schelomo in documentis prudentiæ pergẽs,dehortatur pios ab inofficioſis & imprudentibus officiis,pigritia, & maleficiis:atque ad contraria ſtudia excitans , concludit hæc documenta generalia exhortatione a conſequentibus bonis erga morigeros,& eventuris malis in eos qui contrà venerint.*

1 [1] Fili mi, ſi [2] ſpoſpondiſti amico tuo; [3] cõ-
ploſiſti extraneo manum tuam:
2 [4] illaqueaſti te ſermonibus oris tui,captus
es ſermonibus oris tui.
3 Fac iſtud [5] jam, fili mi,& [6] eripe te,quan-
doquidem [7] conveniſti in manum proximi tui:
age,ſubjice te,& *a* [8] interpella proximũ tuum.
4 Ne concedito ſomnum oculis tuis , aut
dormitationem palpebris tuis:
5 Eripe te ut caprea è manu *venatoris* , &
ſicut avis è manu aucupis.
6 [9] Abi ad formicam,ô piger;aſpice [10] vias
ejus, & ſape.
7 [11] Cùm non ſit illi ductor , moderator,
aut dominator;
8 Comparat æſtate cibum ſuum,compor-
tat per meſſem eſcam ſuam.
9 Quouſque piger jacebis? quando ſur-
ges à ſomno tuo?
10 *b* [12] Pauculis ſomnis,pauculis dormita-
tionib. paucula cõplicatione manuũ cubãdo;
11 Intereà advenit [13] tamquam viator expe-
ditus paupertas tua, & egeſtas tua tamquam *c*
vir clypeatus.
12 [14] Homo nequam, vir nihili, [15] ambulat
*d* perverſo ore:
13 [16] Nictat oculis ſuis;verba facit pedibus
ſuis,docet digitis ſuis:
14 *e* Omnimoda perverſitate inſidente *f* a-
nimo ſuo , fabricatur omne malum omni
tempore;contentiones immittit.
15 Idcirco repentè [17] adveniet calamitas e-

[1] Schelomo hoc capite proponit tria documenta prudentię in adminiſtratione noſtra: primum eſt de imprudẽtibus & incõſideratis officiis, uſque ad v. 6. ſecundum , de omiſſis & neglectis officiis, uſq; ad 12. tertium, de nequitia à juſtis officiis ſuis diſcedente, uſque ad 20. poſtremo hęc prudentię documẽta concludit hortatione ab adjunctis & cõſequent.bonis; contrariaque dehortatione propter eventura mala,inde ad finem uſque. Eſt autem primum hoc documentum de fugiendis inofficioſis officiis, proprium πολυπραγμόνων, qui non obſervata facultate ſua & officio erga ſuos,aliis imprudenter officioſi eſſe cupiunt:quod ſi dejuſſorum ſpecie hoc loco intelligendum eſt [2] i.fidejuſſiſti pro altero q.d. ne temerè fidejubeto ; aut ſi fidejuſſeris, mox fidem liberato: nam ut planè non fidejubeatur pro ullo non vetat Schelomo;quum hoc bonorum exemplis confirmetur Gen.42.37 & 43.8 & doceatur Eccleſ.29.19.

[3] i.jungens dexteram dediſti fidem ; ſynecdochicè. [4] i.imprudens tibi laqueum periculoſum induiſti. [5] i quamprimum , ut duo ſequentes verſus explicant. [6] duobus modis qui ſequuntur: te ſubmittendo ei cui dediſti fidem , & eum urgendo pro quo fidejuſſeras. [7] i. manus comploſione conventionem iniiſti cum amico ut fidejuberes pro eo: ut ver.1.ſic convenire in fœdus Jimejæ 14.10 [a] *Heb.dominum age in proximum tuum : ut Jeſchah.* 3.5.

[8] i.urge ut fidem tuam liberet. [9] ſecundum documentum , de fugienda officiorum negligentia : quò tranſitur occaſione ſumta à proximo mandato fidei illico liberandæ. q.d.ne putes tibi tantum otii eſſe à rebus tuis , ut alienas levitate cures,aut illis deceptus indormiſcas:ſed reſpice ad te,abi,&c.

[10] i.rationes agendi ſingulares,de quibus plura Ariſt.lib 9.de hiſt.animal.ca. 38.& Plin lib.11.c.30 [11] i.non habeant ex ſuo numero qui præſit ſibi , & ſuas actiones diſpeſcat atq; moderetur ; ſed æquabilitatem inter ſe colant in rebus & officiis:ut Ariſtot.ipſe narrat lib.1. de hiſt.animal.cap 1. [b] *Hebr.pauco ſomnorum pauco dormitationum,pauco complicationis.* [12] i.tantiſper dum pauculã quietem ſumis ,ut tu quidem dicis: conceſſio ironica ethopœiam habens pigrorum elegantiſſimam. [13] id eſt,involat in te citiùs cogitatione tua;& quidem tanta vi,ut nulla facultas illius propulſandæ tibi ſuperfutura ſit. [c] *Heb.vir clypei.*

[14] tertium documentum de fugienda nequitia:qua deſcripta uſque ad ver 15. denunciatur infelix exitus illius,ver.15.& Dei odium,ver.16.& ſeq. [15] i. totus perverſus eſt ſermone,corpore, & animo: ac perverſitati omnium hominum omnino incumbit. [d] *Heb perverſitate oris.* [16] i.nihil tot undè eloquitur,omnia ſui corporis membra ad falſitatem componit:ut inf.10.10. [e] *Heb. everſionibus.* [f] *Heb.corde:ſic deinceps.* [17] ut ſuprà 1.27.

jus; ita ſubitò diffringetur,ut non *ſit* curatio.
16 [18] Sexiſta odit Jehova,imò ſeptem abo-
minationi *ſunt* animæ ejus:
17 [19] Oculi elati,lingua *g* fallax;manuſque
effundentes ſanguinem innocentem:
18 Animus qui fabricatur cogitationes *h* ini-
quas:pedes *i* feſtinanter currentes ad malum:
19 Conflans mendacia teſtis falſus,deniq;
immittens contentiones [20] inter fratres.
20 [22] ‖ Cuſtodi, fili mi, præceptum patris
tui; neque deſerito doctrinam matris tuæ:
21 ‖ Alliga ea cordi tuo jugiter,annecte ea
faucibus tuis.
22 Quocumq; itabis,*illa* deducet te; quum
cubabis,obſervabit te:quum expertectus fue-
ris,illa confabulabitur tecum;
23 ([22] Nã lucerna præceptum *eſt*,& doctri-
na lux; viaque vitæ correctiones *k* erudientes)
24 [23] Ad ſervandum te à muliere *l* malefi-
ca,à blanditia linguæ alienæ.
25 [24] Ne deſiderato pulchritudinem ejus
cum animo tuo, neq; capiat te palpebris ſuis:
26 [25] Nam propter mulierem meretricem
*devenitur* uſque ad fruſtum panis: etiam: [26] u-
xor viro *juncta* animam pretioſam [27] venatur.
27 [28] An accepturus eſſet quiſquam ignem
in ſinum ſuũ & veſtes ejus non adurerentur?
28 An ambulaturus eſſet quiſquam ſuper
prunas,& pedes ejus non cremarentur?
29 Ita *eſt* qui congreditur cum uxore pro-
ximi ſui: [29] non relinquetur impunis quiſquis
tetigerit eam.
30 [30] Non *m* afficitur contemtu fur;qui fu-
ratur ad explendũ animũ ſuum, quum eſurit.
31 Sed deprehenſus,rependit [31] ſept[illegible]
qualibet ſubſtantia domus ſuæ reddit.
32 [33] Adulterans *autem* mulierem *eſt n* de-
mens: [34] perditurus *o* ſeipſum,ipſe faciat iſtud.
33 [35] Plagam & ignominiam *p* conſeque-
tur, probrumque ejus non delebitur:
34 [36] Nam zelotypiæ *ineſt* æſtus viri;ideò
non utitur clementia [37] die ultionis.
35 Non habet rationem ullius redemtio-
nis ; neque acquieſcit, quamvis *q* multa adhi-
beas munera.

[18] veluti ad nequitiam,cujus ſuprà meminit, pertinentia. [19] i. ſuperbus, ſynecdochicè à ſigno:ſic deinceps mendax, ſanguinarius, fraudulentus, maleficus, perjurus teſtis, rixarum auctor: ut de Paulo illo legitur apud Ammianum li. 14. qui propterea catena dicebatur. [g] *Heb.falſitatis.* [h] *Hebr. iniquitatis.* [i] *Hebr.feſtinantes currendo.* [20] i.etiam inter cõjunctiſſimos. [21] concluſio documentorum prudentiæ, continens primùm hortationẽ propter bonum noſtrum, uſque ad v. 25. deinde verò dehortationem à rebus cõtrariis propter malum, ad finem uſque. ‖ *ſup* 1.8. ‖ *ſup* 3.3. [22] i.cęleſtia hęc documẽta prælucent credentibus,& via ſunt ad vitam æternam, ut Pſal.19.9.& 119.105. [k] *Heb. eruditionis.* [23] i.continendũ ne aut voluptate carnali abripiaris, aut aliis malis, quæ hoc capite propoſita ſunt ſynecdochicè q.d.hæc prudentia te ab illecebris voluptatis & omnibus impedimẽtis officii tui integrũ ſervabit. [l] *Heb mali.* [24] alterum mẽbrum concluſionis,ut dictum eſt in verſum 20. [25] cauſa dehortationis;ſcortatio (inquit) & bona & vitam exhaurit:quæ prolepticè dicta ſequentibus exornantur : ſic infrà 29.3. [26] i.juncta viro,ſive maritata; ideoque adultera.

[27] i.in venatione intercipit:ut Jechez 3 [28] exornatio ſuperioris ætiologiæ,primùm à ſimilitudine ignis ; ut Jjobi 3..12. his tribus verſibus;deinde à comparatione furti cum adulterio,ver.30.& ſequentibus.

[29] i neque jura humana effugiet , neque judicium Dei, qui ſcortatores & adulteros damnabit,Hebr.13.4. [30] comparatio exaggerans indignitatem adulterii à conſequentibus malis,hoc modo: furi qui egeſtati ſuæ conſulit furto, neque vita neque honor adimitur: ne tum quidem quum furti tenetur manifeſtò, aut ſæpius in factum recidit ; ſed ſatis eſt juſto rei ablatæ domino ut redhibeat rem ſuam ex lege;honorem verò & vitam ejus minimè perſequitur:adulteri autem conditio planè diverſa eſt:nam petitur illius vita,honor,&c.publico & privato jure,ſi vel ſemel evincatur adulterii,& res viro aut agnatis vindicibus innotuerit. [m] *Heb. contemnunt , ut Ijob.7.3.* [31] i.ſæpius, quoties peccaverit : ut Pſalm.12.7. [32] i. ita cum domino rei furtivæ paciſcitur & componit ; ut quicquid in facultate ſua habet,res aut perſonas,offerat ad compenſandum damnum arbitratu ejus;honorem autem vitamque integram ſervat.

[33] ἀπόδοσις ſive accommodatio elegans comparationis quæ prolepticè hoc verſu poſita ſequentibus exornatur. [n] *Heb. defectus corde:ut infra 7.7.*

[34] venuſtiſſima conceſſio ad puerum informandum accommodata. q. d.ſi ſalutem cupis , ne facito iſtud:ſinito eos facere, qui omni animi impetu incumbunt in perditionem ſui,facultatum, honoris, vitæ, omnium denique quibus in hac vita fuiſſent uſuri. [o] *Heb.animam ſuam.* [35] id eſt,ipſum corpus adulteri plagis exponetur,& vita ignominiæ perpetuæ.

[p] *Heb.inveniet.* [36] i.ipſum adulterum petet vir aut vindex quilibet , ac non acquieſcet pretio:ut ſuprà 5.9.

[37] i.quum primùm oblata eſt ulciſcendi ratio: ac proinde non finitur adulter ſæpius relabi in ſcelus,quod de fure dixerat ſupra v.31.

[q] *Heb multiplicet munus.*

## Caput VII.

*Schelomo hortationes ad ſapientiã & prudentiam confirmat, adducta experientia,quam obſervavit in conditione miſerorum lenociniis voluptatis inſervientium,& funeſto illorum exitu.*

1 [1] ‖ FIli mi, obſerva ſermones meos; & præ-
cepta mea reconde apud te:
2 Obſervans præcepta mea vive, doctri-
namq; meã ut pupillam oculorum tuorum.
3 [3] ‖ Alliga ea digitis tuis; inſcribe ea tabulę
cordis tui:
4 [4] Dic ſapientiæ, ſoror mea es; & affinem
prudentiam voca;
5 Ut ſervet te à muliere extera, ab aliena *a*
ſermonibus ſuis [5] blandiente.
6 [6] Nam per feneſtram domus meæ, ex fe-
neſtella proſpectans,
7 Vidi inter fatuos, animadverti inter fi-
lios; puerum *b* dementem:
8 *Qui* tranſiens per vicum juxta angulum
illius, [7] via ad domum illius gradiebatur.
9 [8] Crepuſculo; veſpere diei; *c* nigra nocte,
& caliginoſa *animadverti*.
10 Quum ecce mulier *proceſſit* obviam ei;
ornatu meretricio, & [9] *d* circumſpecta animo.
11 ([10] *Quæ* [11] ſtrepera eſt & [12] contumax, [13] in
cujus domo non *e* pedes ejus:
12 *f* Modò foris, modò in plateis; [14] prope
quemque angulum inſidiatur.)
13 Et prehendens eum oſculata eſt eum;
obfirmanſque vultum ſuum, dixit ei,
14 [16] Sacrificia euchariſtica apud me *ſunt*,
hodie reddidi vota mea:
15 Idcircò prodii obviam tibi; ſtudioſè quę-
rendo faciem tuam, commodè invenio te.
16 [17] Cadurcis inſtruxi ſpondam meam; *g*
*variam* emblematis, *h* linteis [18] Ægypti.
17 Suffivi cubile meum; myrrha, ſantalis, &
cinnamomo.
18 [19] Age, incumbamus ubertim amorib.
ad matutinum uſque; nos ipſos exhilaremus
amatoriis.
19 Nam [20] non *eſt* vir domi ſuæ, abiit via
*i* longinqua:
20 Loculum pecuniæ accepit in manum
ſuam: die ſtato redibit domum ſuam.
21 Flexit eum multitudine [21] diſciplinæ ſuę,
*k* blanditia labiorum ſuorum impulit eum.
22 [22] Sequitur eam ſubito; tamquam bos
ad mactationem abit, & [23] velut *l* compeditus
ad [24] eruditionem ſtultorum,
23 Donec [25] diſſecet *m* culter jecur ipſius,
quemadmodum feſtinat avis ad laqueum, ne-
ſciens contra vitam ſuam illum eſſe.
24 [26] Itaque nunc filii, auſcultate mihi; &
attendite ad ſermones oris mei.

[1] His tribus capitibus adhibet Schelomo confirmationem documentorum ſapiẽtiæ & prudentiæ, quæ hactenus poſita ſunt. Eſt autem confirmatio duplex; una, ab exemplo, quod ipſe confirmat teſtimonio ſuo, hoc capite; altera à teſtimonio Dei & ſapientiæ ipſius æternæ, duobus ſequ. Itaque hujus capitis partes ſunt tres; prima, exordium, uſq; ad ỳ. 6. ſecũda, narratio, uſque ad 24. poſtrema, concluſio ἀποτρεπτικὴ ſive dehortatoria, ejuſdem cum exordio argumenti, reliquis verſibus.
‖ ſup. 2.1. ut ſup. 4.4.
[2] i. ſtudioſiſſimè: ut Pſal. 17.8.
[3] i. continenter exerce & recole: vide Exod. 13. 9.
‖ ſupra 3.3.
[4] i. ſapientiam prudentiamque germanè colito, & adjungito te ei quàm familiariſſimè: metaphora.
*a* Heb. *ſermones ſuos molliente: ut ſup.* 2.16.
[5] ut ſup. 5.3. &
[4] Hæc autem ſynecdochicè de omni voluptuaria & depravata vita intelligenda ſunt.
[6] narratio elegantiſſima, ut dictum eſt in ỳ. 1.
*b* Heb. *defectum corde ut ſup.* 6. 32.
[7] contrà quam præcepit, ſup. 5. 8.
[8] i. obſervavi toto noctis tempore: periphraſis τοῦ μεσονυκτίου.
*c* Heb. *ut nigredine noctu & caligine.*
[9] i. aſtutè circumſpiciens omnes artes occultandæ fraudis ſuæ, ut ineſcet imprudentes: ut ſup. 5.6. *d* Heb. *cuſtodita corde.* [10] παρέκβασις ſive digreſſio ab inſtituta narratione, deſcribens meretricem ad præmonendos adoleſcentes.
[11] i. loquax, verbis circumfluens ad perſuadendum accommodatis: ut inf. ỳ. 21. [12] i. Deo, legibus naturæ, honeſtatiſque, & mariti immorigera.
[13] i. vaga contra officium honeſtæ matronæ: Judic. .24. & Tit. 2.5.
*e* Heb. *habitant, ut inf.* 8.12. *f* Heb. *vicem foris, vicem in &c.* [14] vide Gen. 38. 4. & 15. [15] i. impurè atq; impudicè perfricta fronte Deo hominibuſq; mentiens: ut ſequentis mimeſeos verba docent. [16] verba invitantis blandè, duobus verſibus: appellat autem ſacrificia ſynecdochicè, quod apud ſe habet de ſacrificiis reliquum, ex lege ſacrificantib. attributum. [17] verba pellicientis à cœna adoleſcentem, ut apud ſe maneat, præſentium lectiſterniorum commoditate, 2. verſibus. *g* Heb. *ſpondam ſegmentorum, ſegmentatam, ſive teſſellatam.*
*h* Heb. *funiculo, id eſt filo: meton.* [18] i. è ligno Ægyptio xylino omnib. candore mollitiaque præferendo: ut loquitur Plin. lib. 18 cap. 1 [19] verba abducentis in ſcelus adoleſcentem, 3. verſib. [20] confirmatio ſecuritatis, ad licentiùs perpetrandum ſcelus, à diuturna abſentia viri ex longa profectione; quæ duobus ſignis oſtenditur, ſeq. verſu. numero pecuniæ, & diei certæ ad reditum condictione.
*i* Heb. *verſus longinquum.* [21] ut ſup. ỳ. 11. Nam illa artifex lenociniorum comparatur magiſtræ, tirunculis verò quicumque fidem adhibent illius magiſterio: ut verſu ſequente, *k* Heb. *mollitie* [22] i. demens tum ab illa trahitur in exitium ſuum, tum ipſe ultro ineſcatus advolat: quæ duo elegantiſſimis comparationibus exornantur. [23] gradatio allegorica q. d. imprudens quum meretricem ſequitur, non animadvertit ſe laniebam ingredi, & ingreſſum catenis compedibuſque obligari, ut ligantur boves laniand. i. ſe ſubire judicium capitale à Deo atque hominibus, quod nullo pacto poſſit effugere: ut ſup. .& 6.
*l* Heb. *compede.* [24] i. pœnam, quam demum ſero ſapiunt ſtulti: periphraſis ſupplicii.
[25] i. viam aperiat effundendo ſanguini, ut quum mactatur bos. *m* Heb. *diviſorius: communis ſagittarum & aliorum punctim ſerientium armorum appellatio: ut* Jechez. 21.26. [26] concluſio: ut dictum eſt ſup. in ver. 1. revocans à voluptatibus, metu exitii.

25 Ne declinato ad vias illius *n* animus
tuus, ne aberrato in ſemitas illius:
26 Nam multos confoſſos dejecit, & nu-
meroſi *ſunt* omnes interfecti ab illa.
27 Viæ *o* ad ſepulcrum *ſunt viæ ad* domum
ejus, deſcendentes ad [27] penetralia mortis.

*n* Hebr. *cor.*
*o* Heb. *ſepulcri*
[27] i. mortem æternã, abs qua revocari non poſſunt gradus: metaphora.

## CAPUT VIII.

*Schelomo documenta ſapientiæ & prudentiæ confirmat teſtimonio cæleſti ſapientiæ æternæ Dei: quæ omnes homines invitans ad ſe naturã ſuam potentiſſimam & beneficentiſſimam exponit credentibus in ſe; eaque confirmata ab eſſentia ſuæ ſempiterna operibus, homines ad ſui ſtudium provocat.*

1 [1] NOnne ſapientia [2] clamat, & intelligen-
tia edit vocem ſuam,
2 In faſtigio editorum locorum; per viam,
in loco multarum ſemitarum conſiſtens,
3 Ad latus portarum, in *a* aditu urbis; in in-
greſſu oſtiorum [3] recantant dicendo,
4 [4] Vos, ô [5] viri præſtantes, inclamo; & vox
mea *plebeios* filios hominum.
5 Intelligite fatui aſtutiam, & ſtolidi *b* ani-
mum advertite.
6 Audite, nam *c* præſtantia eloquar; & a-
pertura labiorum meorum *eloquar* recta.
7 [6] Nam veritatem meditatam effert pala-
tum meum; & *d* abominationi labiis meis *eſt*
*efferre* [7] improbitatem.
8 *e* Juſti *ſunt* omnes ſermones oris mei, ni-
hil *eſt* in eis contortum aut perverſum.
9 Illi omnes *ſunt* obvii prudenti, & recti iis
qui conſequuntur ſcientiam.
10 Accipite eruditionem meam, ac non pe-
cuniam; & ſcientiam potiùs quàm *aurum* ef-
foſſum lectiſſimum.
11 ‖ Nam melior *eſt* ſapientia carbunculis, &
omnia oblectamenta non poſſunt æquari ei.
12 [8] Ego *ſum* ſapientia *f* [9] cohæreo aſtutiæ,
& ſcientiam *g* ſummæ ſolertiæ *h* præſentem
habeo,
13 [10] Reverentiam Jehovæ, odium mali: fa-
ſtum & elationem, viamque mali, denique os
*i* perverſitatibus deditum odi.
14 [11] Meum *eſt* conſilium, [12] & *k* quicquid
eſt; *l* mea *eſt* prudentia meum robur.
15 [13] Per me [14] reges regnant, & dominatores
decernunt juſtitiam.
16 Per me principes gerunt principatum; &
ingenui omnes judices terræ.
17 [15] Ego amantes mei amo, & ſtudioſè
quærentes me inveniunt me.

[1] tranſitio ad alterum cõfirmationis locum, de quo ſupr. 7.1 per antitheſin æternæ ſapientiæ Dei & cæleſtium documẽtorũ ejus, cum procaciſſima meretrice & illius lenociniis. Continentur autem hoc capite duo: nimirum brevis narratio velut ſubjiciens oculis noſtris occurſantem Dei ſapientiam, trib. verſibus; deinde ſacram illius cõcionem, ad finem capitis.
[2] i. palàm prædicat, & nos invitat, ad ſe fiducia & libertate ſumma; non autem meretriciis ſuſurris, tempore veſpertino, clam, abſtruſis locis pueros imperitos doloſe ſollicitat: quæ omnia ſequentium verſu oppoſitione illuſtrantur. q. d. quid illam ſceleratam auditis admurmurantem, &c. quum ſe ipſam tam clara voce & illuſtribus documentis exponat Dei ſapientia?
*a* Heb. *ore.*
[3] ſapientia nimirum & intelligentia: ut ſupr. 1.20.
[4] ſacra hæc concio continet partes quatuor: exordium, uſque ad ver. 12. propoſitionem dignitatis, efficacitatis, & utilitatis ſuæ, inde ad ver. 22. confirmationem ab auctoritate ſua ſempiterna & divina, uſque ad 30. & concluſionem, à ỳ. 30. ad finem uſque. Exordio autem hominum omnis generis attentionem, docilitatem, & benevolentiam captat, tum à perſona auditorum, uſque ad verſum 7. tum à natura præſtante doctrinæ ſuæ, ſequentibus. [5] ut Pſal. 49.3. huic autem perſonarum diſtributioni accommodatur per ὑστέρησιν, duobus ſequentibus ver.
*b* Heb. *cor.* *c* Heb. *verba anteceſſorum, id eſt, principibus digna.* [6] alter locus exordii à genere doctrinæ quod vera eſt, juſta, recta, facilis, pretioſiſſima, & jucundiſſima. *d* Hebræo. *abominatio labiorum meorum* [7]. i. res falſas, quibus improbi delectantur *e* Heb *injuſtitia.* ‖ *ſupra* 3.15. [8] ſecunda pars concionis, propoſitio qua exponit Dei ſapientia primum naturam ſuam, tribus verſibus: deinde opera & effecta, & à ỳ. 5 uſque ad 2.. *f* Heb. *inhabito ſtultiam: ut ſupra* 7.11. [7] i. quod vos ad me revoco, non injuria facio: nam ego ea ſum ſine qua nemo ſapit, ſed in qua & per quam ſapientes ſunt & efficiuntur quicumque ſapiunt. Hæc autem non de verbo ſonante aut ſcripto atque tranſeunte, ſed de æterno illo Dei ſermone Chriſto accipienda ſunt qui Dei potentia ac ſapientia eſt, & factus eſt nobis à Deo ſapientia, 1. Cor. 1. 24 & 30. *g* Heb. *ſolertiarum.*
*h* Hebr *invenio.* [11] i. ſum juſtiſſima. [12] i. ſum conſultiſſima in capiendis & potentiſſima in efficiendis conſiliis, ſic tranſitur ad alterum propoſitionis membrum, *k* Heb. *eſſentia.* *l* Heb. *ego prudentia: rectum pro obliquo, ut Geneſ.* 17. 36. *& Zecar.* 7.5.
[13] alterum propoſitionis membrum de operibus & effectis: quo exponit Dei ſapientia omnem communicationem auctoritatis, gratiæ, bonorum, gloriæ, juſtitiæ, ſanctificationis & vitæ æternæ ab ipſa proficiſci.
[14] id eſt, à me eſt omnis auctoritas, duobus verſibus ut Dan. 2.21. & Rom. 13 1.
[15] i. à me eſt gratia Dei erga amantes me Joan. 14 21.

18 Divitiæ & honor penes me *ſunt*, ſub-
ſtantia *m* perdurans & juſtitia.
19 Melior *eſt* [16] fructus meus *auro* effoſſo,
& quidem purgatiſſimo; & proventus meus
argento lectiſſimo.
20 Per iter juſtitiæ deduco, *n* per medias
ſemitas juris;
21 Efficiendo ut poſſideant amantes mei
[17] id quod eſt deniq; theſauros eorum impleo.
22 [18] Jehova [19] poſſidebat me principio viç
ſuæ; ante opera ſua, *o* ante ullum tempus.
23 [20] Ante ſeculum inuncta fui; [21] ante prin-
cipium, ante primordia terræ.
24 [22] Quum nullæ eſſent abyſſi, edita eram;
quum nulli eſſent fontes *p* graves aquis.
25 Quum nondum factum eſſet ut montes
demerſi incumberent *terræ*, ante colles edita
eram.
26 Adhuc non fecerat terram, aut rura: [23]
imò principium, [24] pulveres orbis habitabilis,
27 [25] Quum aptaret cælos, [26] ibi eram,
quum ſtatueret ambitum in ſuperficie abyſſi,
28 Quum [27] fortificaret ſuperiores nubes
ſupernè, quum roboraret fontes abyſſi,
26 Quum imponeret mari ſtatutum ſuum,
& aquis, ne tranſgrediantur *præſtitutum* oris
ipſius; quum [28] ſtatueret fundamenta terræ.
30 [29] Cùm itaq; ſim apud eum, *q* [30] educans,
& ſim [31] deliciæ *r* quotidianæ lætificans [32] co-
ram eo omni tempore,
31 Lætificans in orbe habitabili [33] terram e-
jus, [34] atque deliciis meis filios hominum:
32 [35] Nunc igitur filii auſcultate mihi: bea-
ti enim *ſunt qui* vias meas obſervant.
33 Audite eruditionem, & ſapite, & ne *vos*
abſtrahite.
34 Beatus homo qui auſcultat mihi, [36] ſe-
dulò inſiſtendo foribus meis quotidie, obſer-
vando poſtes oſtiorum meorum,
35 Nam *s* [37] qui conſequitur me, conſequi-
tur vitã; [38] ut provehit benevolentia à Jehova.
36 At [39] qui peccat in me, vim facit animæ
ſuæ: omnes [40] oſores mei amant mortem.

m *Heb. antiqua, i. æterna ut Dan. 7.9 & ſeq*
16 i. quem ego cum amantibus meis communico, habitans in eis, & ambulans juſtitia mea. Sunt enim hi fructus, in vita quidem præſente, remiſſio peccatorum & ſanctificatio, ℣. 20. in futura vero, æterna plenitudo bonorum omnium in cõmunione Dei, ℣. 12.
n *Heb per mediũ ſemitarum.*
17 i. quod numquam eſſe deſinit.
18 tertia pars concionis; nimirum confirmatio, tum à natura hujus ſapientiæ Dei, quòd Deus eſt unus æternus cum Patre & Spiritu Sancto, uſque ad ℣ 27. rum ab operib. quòd omnia cũ patre creavit, conſervat, atque adminiſtrat, Joan. 1. & 5. 17. Coloſ. 1. 16.
19 eram apud Deum jam tum, quum creatione rerum omnium impreſſurus eſſet veſtigia majeſtatis ſuæ Joan. 1. 1. & quod ſequens gradatio amplificat.
o *Heb. ante tunc, ut Pſal. 93 2.*
20 i. in officio meo inſtitutus ſempiterno decreto Dei; ut Prophetam; Sacerdotem, & regem agam ſimque Eccleſiæ caput: quo nomine Meſſias ſive Chriſtus metonymicè appellatur. 21 nimirum viæ illius, ut præcedente verſu. 22 i. ab æterno genitus ſum, quod docetur, his tribus verſibus. p *Hebr. gravitate aquarum.* 23 i ne quidem cœperat: ſimilis gradatio, ac verſ. 22. 24 i. ne pulverem quidem aut maſſam creaverat, ex quo effictus & formatus eſt orbis: hoc enim ordine univerſitatem rerum creavit Deus in filio: vide Gen. 1. 1. & 2. 25 alterum membrum confirmationis ab operibus in cælo, aëre, aquis, & terra: ut dictum eſt in verſum 22.
26 i. una eram atque operabar, Joan. 13. 27 i. potente verbo conſtitueret nubes, ut quaſi doliis utribuſque contineantur firmæ. 28 i. fundaret ut immota ſit: periphraſis. 29 ultima concionis pars, concluſio; continens primùm anacephalæoſin ſuperiorum, duobus verſibus, deinde hortationem ad percipiendam ſapientiam, reliquis:
q *Heb. educando.* 30 i. res creatas conſervans, ac nominatim Eccleſiam alens verbo & ſpiritu, in vita præſente & futura 31 i. quum ſim veritas & vita æterna, tum ſuaviſſima in Deo, tum etiam jucundiſſima in æternum hominibus credentibus in me: quòd univerſè dictum poſteà accommodatur futuræ vitæ, hoc verſu; & præſenti, ſequente verſu. r *Heb die, die: ſic infra ℣. 34* 32 i. homines perfundens lætitia plane divina, cùm in cælis perfectè poſſeſſuri ſint ſatietatem gaudiorum, & percepturi ante faciem ejus per magnificam communionem Chriſti, Pſ. 6. 11. 33 i rebus omnibus creatis, quæ in hac terra ſunt, benedicens 34 i. humanum genus ſuaviſſimis benedictionibus corporalibus ſpiritualibuſque perfundens; imprimis verò Eccleſiam, ut corpus ſuum cujus ſervator eſt Chriſtus. 35 hortatio, alterum concluſionis membrum; qua ſapientia homines ad ſe ſalutaribus promiſſionibus advocat, & damnoſis interminationibus deterret à malo. 36 i. toto animo & tota mente requirendo me: metaphora à clientibus fores patronorum obſidentibus. s *Heb. inveniens me, invenit vitam: ut infra 12. 1.* 37 i. ego ſum vita Johan. 1 25. Ac proinde quotquot me acceperint, nempe qui credunt in nomen meum, dat eis hanc dignitatem Deus per Chriſtum, ut filii Dei fiant Joan. 1. 12.
38 i. quam non ipſius virtus conſequitur, ſed gratia Dei & benevolentia ſalutaris elargitur. 39 i qui peccatis oppugnat me, itaque ſe alienat à benevolentia Dei: ſic reſpondet hic ℣. ſuperiori per antitheſin. 40 qui non oderunt ſe ipſos, & omnia propter me: ſed magis quærunt quæ ſua ſunt quã quæ ſunt Chriſti

## Caput IX.

*Schelomo ſapientiæ Dei opus potentiſſimum in Eccleſia, doctrinam, & eventa ex opere doctrinaque ejus conſequentia comparat cum opere, doctrina, & eventis inſipientiæ.*

1 *a* [1] SUmma ſapientia ædificavit domum [2]
ſuam, [3] exciſis columnis ſuis [4] ſeptem
2 Mactavit *b* animalia ſua; miſcuit vinum
ſuum, etiam inſtruxit menſam ſuam:
3 [5] *Et* miſſis puellis ſuis; invitat [6] per *c* colle-
gia, & loca excelſa urbis,
4 [7] Quiſquis fatuus, divertito huc; *quiſquis*
*eſt d* demens, [8] dicit ei.
5 Venite, veſcimini [9] cibo meo, & bibite
de vino *quod* miſcui.
6 Relinquite fatuos, & vivite, ac incedite
per viam prudentiæ.
7 [10] ‖ Qui erudit [11] deriſorem, recipit ſibi
12 ignominiam: & qui corripit improbum, *re-*
*cipit e* convicium ſibi.
8 Ne corripito deriſorem, ut non odio pro
ſequatur te: corripe [13] ſapientem, & amabit te.
9 Da ſapienti, ut ſapiat ampliùs: notum fac
juſto, ut augeat diſciplinam,
10 [14] Principium ſapientiæ reverentiam Je-
hovæ, & [15] agnitionem ſanctorum prudentiã.
11 Nam per me multiplicabuntur dies tui,
& *f* adjicientur tibi anni vitæ.
12 Si ſapias, ſapies [16] tibi: ſin t deriſor eris, ſo-
lus [17] reportabis.
13 [18] Mulier *g* ſtolida [19] ſtrepera *eſt*: *h* fatua,
etſi neſcit quicquam,
14 Tamen ſedet [20] ad oſtium domus ſuæ;
ſuper ſolium, in locis excelſis urbis,
15 Ad avocandum *h* viatores, qui *etiam* re-
ctà eunt itineribus ſuis:
16 Et [21] quiſquis fatuus, divertito huc, &
*quiſquis eſt* demens, dicit ei.
17 [22] Aquæ [23] furtivæ ſuaves *quidem* ſunt,
& cibus [24] latebrarum amœnus;
18 Sed ignorat ille [25] expertes vitę illic eſſe;
*i* in profũdiſſimo ſepulchro, [26] invitatos *k* ab ea.

1 Hujus capitis (quo velut quidam ſuperiorũ epilogus continetur) ſummæ partes ſunt duæ ex adverſo inter ſe reſpondẽtes: una, de cæleſti ſapientia, uſque ad verſum 13. altera de humana inſipientia, quæ cum muliere comparatur, inde ad finem uſque. Divinæ autem ſapientiæ locus tres partes continet; unam, de opere illius, duobus verſibus; alterã, de verbo humanũ genus invitante ad communionem eorum, quæ præparavit Chriſtus ſapientia Dei accedentibus ipſum fide, uſq; ad verſum 7. tertiam, de uſu verbi communicari à Chriſto, qui hominibus indicitur, inde ad 13.
a *Heb. ſapientia ſapientiarum: ut ſupra. 1. 20.*
2 ſpiritualem, videlicet Eccleſiam, quam hîc inchoat Chriſtus, in cælis perficit.
3 i fundavit, ſtabilivit, & ornavit eam abſolutiſſimè: hæc allegoricè de ſacra domo Dei dicta, ſicut epulæ ſequente verſu, vitam æternam & gloriam figurant quam in ea ſancti percepturi ſunt.
4 i. quam abſolutiſſimè: nam numerus ſeptenarius in operibus Dei profectionem notat. b *Hebr. mactationem ſuam: ſynecdoche.*
5 altera pars, de invitatione per adminiſtros verbi, qui cum puellis pudicis, & modeſtis comparantur accommodatè ad allegoriam, ut eò ſit illuſtrior antitheſis illius deſperatæ Thaidis, de qua ver. 13. 6 i. palàm & ubique in ambitu, foro, plateis opidi. c *Heb. corpora.* 7 hujus breviſſimæ concionis, aut potius invitationis ſumma poſita eſt in reſipiſcentia, cujus partes: duæ, una invitatio ad convictum ſapientiæ, & conſtantem fructum bonorum ejus; altera dehortatio, his tribus verſibus hanc autem ipſam invitandi formam adhibet inſipientia, infrà ver. 16. ſed ſequentibus diſcrepat. d *Heb. defectus corde.* 8 i. apertè & non obſcurè eum ſuæ dementiæ atque infantiæ coarguit ex verbo Dei, ut ſibi renunciet, Deumque accedat in fide & reſipiſcentia. 9 i. quem dedit mihi pater communicandum vobiſcum; non autem furtivo illo, de quo infrà dicit.
10 tertia pars, de induſtria ab auctore interpoſita ad explicandum ſuperiorem invitationem; qua docetur quæ perſonæ omittendæ & quæ vocandæ ſint, uſque ad verſum 10. quid docendæ, verſ. 10 & quid eventus ex hac invitatione & alimento verbi conſequuturus ℣. 11. & 12. ‖ *Matth 7. 6.* 11 i. hominem deſperatæ ſalutis, qui oblatrat & obgrunnit verbo ſalutari, ac nefariè ludificatur.
12 exemplum vide Genes. 19. & Numer 16. e *Heb. vitium ſuum.* 13 i. qui animo ita eſt comparato, ut non derideat, ſed audiat ſapientiam & ſe in ea informari ſinat: ut definitur inf. 10. 8. 14 ſumma doctrinæ cæleſtis duas partes continens; officium reverentiæ erga Deum, & communionis cum ſanctis, quæ ſignificatur agnitionis nomine Vocatur autem utrumque principium ſapientiæ, quia hîc in nobis inchoatur verbo, neque ante abſolvetur quam Prophetia ceſſet in nobis, & ſimus in cæleſtibus cum Chriſto. 15 conjunctam ſtudio atque officiis: ut ſuprà 25. f *Heb adjiciens tibi annos: ut Ijobi 7. 1.* 16 i. bono tuo. 17 nimirum deriſionem, quòd tua ludificatio non illi (ut putas) fraudi erit, qui ſaluti tuę conſultum voluit, ſed in te ipſum judicio Dei retorquebitur. 18 ſecunda pars capitis ſuperiori oppoſita, qua exponuntur inſipientiæ opera, tribus verſibus, invitatio ℣. 16 & eventus conſectarius, duobus ℣ ultimis. g *Heb. ſtoliditatis.*
19 ut ſuprà 7. 11. h *Heb fatuitatis.* 20 i. ut foris meretrix impudentiſſimè & procaciſſimè inſidiatur & perducit imprudentes; ita inſipientia ſtat in propatulo expoſita, & plurimos adducit, multoſque etiam rectà ad ſapientiam tendentes inverecunde ſollicitat. h *Heb. tranſeuntes via, quia dirigunt itinera ſua.* 21 invitatio ſimilis in ſpeciem ei, quę habetur ſuprà ℣. 4 ſed abducens tamen à via ſapientię.
22 expoſitio eventus quem conſequuntur ii qui auſcultant inſipientiæ. Eſt autem duplex, unus, ſuavitatis ad breve tempus ſenſum hominũ titillantis; alter perditionis & mortis æternæ; ut Ijobi 20. .& ſeq. 23 i. non juſtè, ſed præter leges Dei & ſapientiæ (in qua, per quam, & propter quam omnia facta ſunt) ex perturbatione carnis cõparatæ. Hoc autem fit duobus modis; ſive quis rebus, quas conceſſit Deus, abutatur præter voluntatem illius; ſive alienis animum ſuum expleat: ut vulgò dictum eſt; dulcia eſſe poma quum abeſt cuſtos. 24 i. qui in latebris editur, ne malum redarguatur à luce: vide Roman. 13. 12. & Epheſ. 5. 13. 25 i. jam in morte verſari quum illam adeunt & quamvis vivant mortuos eſſe: ut loquitur Apoſtolus, 1. Timot. 5. 6 i *Heb. in profunditatibus ſepulcri*
26 & acquieſcentes invitanti: ſynecdoche. k *Heb. ejus.*

## Caput X.

*Schelomo pios omnes inſtituens tamquam filios,*
*bona*

*bona honoremque illis obvenire docet benedictione Dei. Quamobrem informãs eos in omni pietate & officio, docet obſequium, integritatem animi, charitatem, prudentiam, beneficentiam, & modeſtiam in correctionibus tum adhibendis, tum recipiendis: ac poſtremo divinas benedictiones illis denunciat, & ſigillatim quæcunque de bonis prædicantur, illuſtrat improborum comparatione.*

1 id eſt, ſententiæ ethicę ad vitæ morumque informationem, omniáque pietatis officia pertinentes. Dicuntur autem Schelomonis, quia ex variis illius ſcriptis concinnatæ ſunt: ut diximus ſupra in principium capitis primi. Continetur verò hoc capite tria documentorum genera: primum, de bonis pervenientibus ad filios pios in Deum & parentes ſuos, uſque ad verſum 8. ſecundum, de officiis illorum, uſque ad ver. 22. tertium, de cauſa iſtarum benedictionum piis obvenientium & contra, ad finem uſque: quæ tria proleptice ac diſtinctè 3. primis verſibus hujus capitis exponuntur.
2 id eſt, parentes ſynecdochicè; ut etiam in ſequẽte membro.
a Heb. mœſtitiæ matris ſuæ.
3 adverſus mala irruentia & invadentem mortem, Pſal. 49.

1 PRoverbia [1] Schelomonis. Filius ſapiens
lætitia afficit [2] patrem, filius verò ſtolidus
a mœſtitiæ *eſt* matri ſuæ.
2 [3] Non proſunt [4] theſauri improbitatis [5]
ſed juſtitia eripit à morte.
3 [6] Non ſinit eſurire Jehova animam juſti,
[7] ſubſtantiam verò improborum depellit.
4 Pauper *fit* [8] qui agit b manu doloſa: manus
autem [9] ſedulorum ditat *ipſos*.
5 [10] Comportat in æſtate [11] filius intelligens:
[12] ſomno ſopitus *eſt* in meſſe [13] filius pudefaciens.
6 [14] Benedictiones *adſunt* [15] capiti juſti, at
os improborum [16] obtegit violentia.
7 [17] Memoria juſti *eſt* c benedicta, nomen
autem improborum [18] putridum eſt.
8 [19] Sapiens d animo [20] accipit præcepta;
ſtultus verò [21] labiis ſe ipſum [22] conturbat.
9 Qui ambulat in integritate, ambulat
[23] ſecurè; qui autem pervertit vias ſuas, [24] e documento
erit:
10 [25] Qui nictans oculo [26] dat moleſtiam; &
‖ ſtultus labiis ſe ipſum conturbat.
11 [27] Scaturigo vitæ *perfundit* os juſti: ‖ at
os improborum obtegit violentia.
12 [28] Odium excitat [29] contentiones: ‖ omnes
verò defectiones [30] obtegit charitas.
13 [31] Labiis prudentis adeſt præſens ſapientia,
ut virga corpori [32] f dementis.
14 Sapientes [33] recondunt [34] ſcientiam: [35] ori
autem ſtulti contritio propinqua *eſt*.
15 [36] Subſtantia divitis *eſt* [37] *tamquam* urbs
munita ejus: contritioni *eſt* tenuibus paupertas
eorum.
16 [38] g Quod opere ſuo cõparat juſtus, *cõparat*
[39] in vitã: provẽtus improbi [40] in peccatũ.
17 [41] Iter ad vitam *eſt* ſervantis eruditionem:
derelinquentis verò correptionem *iter*
errorem affert.
18 [42] Qui tegit odium, labiis eſt fallacibus;
& qui profert infamiam, eſt ſtolidus.
19 [43] Multitudine verborum non ceſſabit
defectio: ſed [44] cohibet labia ſua intelligens.
20 [45] *Velut* argentum lectiſſimum *eſt* lingua
juſti, [46] animus improborum perparvi eſt.
21 Labia juſti paſcunt multos, ſtulti verò
h dementiâ [47] moriuntur.
22 [48] Benedictio Jehovæ ipſa ditat, [49] neque
additurus eſt moleſtiam cum illa.
23 [50] Prout ludus *fuerit* ſtolido facere ſcelus;
& *exercere* ſapientiam; viro intelligenti:
24 Quod i formidat improbus, id eveniet
ei; k quod autem deſiderant juſti, dabit *Deus*:
25 ‖ Ut tamquam tranſeunte turbine [51] nõ
*exſtet* improbus: [52] juſto verò ſit fundamentum
l perpetuum.
26 [53] Ut acetum [54] dentibus, & velut fumus
[55] oculis; ita *eſt* [56] piger [57] mittentibus ipſum.
27 [58] Reverentia Jehovæ adjicit dies, anni
verò improborum decurtantur.
28 Spes juſtorum [59] *eſt* lætitiæ, exſpectatio
verò improborum [60] perit.
29 [61] Robori *eſt* cuiq; integro [62] via Jehovæ,
cõtritioni verò operã dantibus iniquitati.
30 Juſtus m nunquam dimovetur, improbi
verò [63] non inhabitabunt terram.
31 [64] Os juſti abundè profert ſapientiam:
à lingua verò n perverſitatum reſciſſa eſt.
32 Labia juſti [65] experientur benevolentiam,
os verò improborum pœnam o perverſitatum.

36 nunc de officiis opere præſtandis agitur: ut dictum eſt in verſum 12.
37 præſidium & munitio eſt, qua ſe & alios communicatis beneficiis defendit à malo.
38 confirmatio ſuperioris propoſitionis à cõſilio juſti bona comparantis: ut Eph. 4. 28.
g Heb. opus juſti opus in vitam.
39 i. ad neceſſitates ſuæ & aliorum vitæ.
40 i. non ut neceſſitati; ſed ut voluptati, aut depravatis ſuis ſtudiis inſerviat.
41 altera pars de recipiendis documentis & correctionibus à proximo, verſib. hoc, inquit, vitæ inſtitutum, & ratio his ſapientiæ monitis cõformata, ſalutare eſt exemplum & documentum ad vitam; ut cõtra immorigeri exemplum atq; documentum avocat à vita.
42 exegeſis præcedentis membri, qua exponit Schelomo duo illorum genera qui correctionẽ derelinquunt: ut ſupra verſ. 10. nimirum hypocritas, & refractarios ſtolidos.
43 i. neuter iſtorum liber eſt à peccato, quaſcumque excuſationes facti aut ſimulationes præ ſe ferat; quum

4 i. quicquid improbus improbitate collectum poſſit objicere ad liberationem ſui. 5 etiam ſine theſauris ullis omnia mala ſuperat, & efficit ut ne ipſa quidem mors juſto ſit noxia. 6 αἴτιο ſuperioris verſus: hæc, inquit, non homines quidem efficiunt; ſed moderatur Deus, qui non ſinit, &c.
7 aut illam, aut illius uſum, aut benedictionem ſuam adimendo: quarum rationum primam ſubjicit ſequente verſu. 8 periphraſis improbi, qui ſegnis in officio ſuo res alienas malis artibus tentat avertere. b Heb. manu doli.
9 i. qui ſedulò ſatagunt rerum ſuarum, & ab alienis abſtinent. 10 i. comparat facultates & vitæ conſulit, dum tempeſtivum eſt. 11 ac proinde ſua intelligentia præcavens ſibi & ſuis à pudenda paupertate. 12 i. deſes, non ampliùs agens quam ſi alto ſomno dormiret, quum agendi eſt tempus. 13 ſibi & ſuis pudorem afferens inſipientia ſua. 14 i. omnia bonorum genera divinitus ipſi tribuuntur, & memoriæ ipſius, verſu ſeq. 15 i. juſto, ſynecdochicè: ſed quia omne munus bonum donumque perfectum ſupernè deſcẽdit à patre luminum, Jac. 1. 17. proptereà capitis potiùs meminit; quod primùm perfunditur, optimè percipit, & ex quo ad cætera membra derivatur bonum. 16 i. obſtruit, & obturat, adeò ut ſua ipſius violentia præfocetur. 17 i. grata eſt, ſuavis, & odora juſtorum abſentium, aut mortuorum recordatio. c Heb. in benedictionem.
18 i. ingratum & exoſum, ut quæ putriditate ſuæ fœtent. 19 ſecundum documentum de officiis pii & benè morati filii tum erga Deum & parentes, uſque ad verſum 12. tum erga omnes exteros. d Heb. corde: ſic deinceps. 20 i. animo compoſito admittit, & re obſequitur. 21 i. cujus animus incompoſitus labia commovet ad obmurmurandum præceptis. 22 i. obloquendo & præcepta rejiciendo ſibi ipſi malum affert: ut ſequens verſ. oſtendit. 23 confirmatus de benevolentia Dei, & parentum erga ſe. 24 caſtigationibus ſuis, quæ in exemplum aliis ſtatuentur. e Heb. documentum fiet. 25 exegeſis proximè præcedentis membri; perverſos (inquit Schelomo) quum dico, duo improborum genera intelligo, unum hypocritarum & coram quaſi ad oculum ſe obſequi fingentium, clàm verò omnia ludificantiũ; quod malum παραμυθικῶς nictatione oculorum figuratur, ut ſup. 6. 13. alterum protervorum, apertè præceptis datis reſiſtentium: vide ſimilem conſequutionem infra verſ. 18. 26 i. parentes maximis moleſtiarum molibus exercet, dum officioſum ſimulat; ac longè gravioribus quam ſi apertè inſaniret. ‖ *ut ſup. verſ. 8.* 27 i. perennis vita, metaphoricè.
‖ *ut ſup. verſ. 6.* 28 hactenus de piis; nunc de bonis officiis agitur, ut obſervatum eſt in verſum 8. Sunt autem hæc duplicia, de amica converſatione cum proximis, animo, verbo, & opere, uſque ad verſ. 17. & de mutua correctione ac inſtitutione, uſque ad 22. 29 i.e. convicia & contentioſas exprobrationes peccatorum ab humanitatis charitatiſque officio alieniſſima. ‖ *1. Pet. 4. 8.*
30 i. non promulgat; ſed aut diſſimulat quicquid bona fide & conſcientia poteſt, aut corrigit compaſſione miſericordiæ, ex mandato Dei, Levit. 19. 7.
31 i. ſapienter ponderat, & facit verba ſua. 32 qui imprudenter effutit quicquid in buccam venit. f *Heb. defecti corde.* 33 i. reconditam habent, quam depromant ore ubi opus eſt: ut Matth. 12. 35. 34 Conjunctam ſuo fructu, nimirum ſalute ipſius & eorum qui audiunt.
35 i. metonymicè, ſermonibus. q. d. tanta eſt inſcientia ſtulti ut vix poſſit vel ſemel hiſcere, quin profundat ore ſuo voces aut in jugulum ipſius redituras, aut aliis obfuturas.

non acquieſcit reprehenſionibus ut deſinat malefacere. 44 i. non obmurmurat, ſed acquieſcit reprehenſioni, edoctuſque factum ſuum damnat. 45 hæ duæ ſententiæ ponuntur hortationis loco ad ſanctè accipiendas reprehenſiones; doctrina, inquit virorum bonorum & præſtantiſſima eſt, hoc verſu, & utiliſſima atque ſalutaris, ſequente. 46 nimirum ſermone ipſorum explicatus nihil faciendus eſt. h *Heb. defectu cordis.* 47 tantum abeſt ut alios paſcant.
48 tertium documentũ de cauſa eorum quæ ſupra expoſita ſunt: hæc, inquit, omnia contingunt divinitus, ut ſupra ver. 3. 49 i. perfectiſſimè ditat, procul ab omnibus moleſtiis quæ improbis comparatæ ſunt, verſibus ſeq. 50 i. prout ex animo fecerint bonum aut malum, ita Deus reddet ſecundum opera ipſorũ; Rom. 2. 6. i *Heb formido improbi.* k *Heb. deſiderium juſtorum.* ‖ *Pſal. 1. 4.*
51 i. pereat; ut deinceps exponitur inde à verſ. 27. iſta antitheſis.
52 ut Matth. 7. 24. & 16. 18. l *Heb. ſeculi.* 53 ſecundum improborum genus, qui non malum quidem perpetrant, ſed omittunt faciendum bonum. Eſt autem membrum ἀνανταπόδοτον. q. d. ut facienti ſcelus, ſuum ſcelus rependitur; ita etiam deſerenti officium ſuum; & moleſtiam afferenti aliis, reſtituetur ſua moleſtia. 54 quos aceti vis hebetat. 55 quos infeſtat fumus moleſtiaque afficit. 56 i. quiſquis deſerit officium ſuum, ſynecdochicè. 57 non tantum ad legationem, ſed etiam ad omne opus & officium ipſius. 58 bonos à maleficiis abſtrahens, & in officiis continens contra quam faciunt improbi.
59 nimirum quia eſt ad vitam, verſibus ſequentibus 60 ac proinde triſtiſſima eſt, verſibus ſeq. 61 adverſus omne malum & contritionem.
62 i. adminiſtratio. m *Hebr. in ſeculum non.* 63 in ſeculum ſcilicet, ſed brevi exſcindentur. 64 his duobus verſibus Schelomo ſuperiora documenta contrahens exponit tum duo vitæ ſermonumque genera, hoc verſ. tum eventa, ſequente. n *Heb. everſionum.* 65 id eſt, fructum percipient, hi benevolentiæ Dei, illi perverſitatis ſuæ. o *Heb. everſionu: metonym.*

## CAPUT XI.

*Schelomo documẽta proponit de ſimplicitate, modeſtia, integritate, juſtitiaque hominum in privatis & publicis rebus: item de prudentia in ſermonibus habendis & dijudicandis, conſiliiſque & officiis præſtãdis, de honore mulieris, de beneficentia viros mulieréſque decente, de domeſtica adminiſtratione, ac poſtremò de documentorum & caſtigationum uſu.*

1 LAnces a ‖ doloſę abominationi *sũt* Jehovæ:
pondus verò integrũ acceptum *eſt* ei.

a *Heb. doli, abominatio Jehovæ: & lapis integer, beneplaciti ejus: ſic infra verſ. 10.* ‖ *Levitic. 19. 35. Deuteronom. 25. 13.*

2 [1] Advenienti ſuperbiæ evenit ignomi-
nia : apud modeſtos autem *eſt* ſapientia.
3 Integritas rectorum [2] deducit eos: at per-
verſitas perfidioſorum [3] devaſtat eos.
4 [4] Non prodeſt ſubſtantia die furoris: ju-
ſtitia autem eripit à morte.
5 Juſtitia integri [5] dirigit viam ejus,at im-
probitate ſua concidit improbus.
6 Juſtitia juſtorum eripit ipſos,at [6] ærum-
nâ *ſuâ* perfidioſi capiuntur.
7 Quum moritur homo improbus,perit
exſpectatio;etiam [7] ſpes *h* valentiſſima perit.
8 Juſtus ex anguſtia liberatur , & devenit
improbus in locum ejus.
9 [8] Ore hypocrita corrumpit proximum
ſuum:at [9] ſcientiâ juſti liberantur.
10 De bono juſtorum exſultat urbs; &
quum pereunt improbi, [10] cantus *exercetur*.
11 Benedictione rectorum effertur urbs:
ore autem improborum deſtruitur.
12 [11] Spernente proximum ſuum *c* demen-
te vir *d* prudentiſſimus ſurdum agit.
13 [12] Ambulans *cum* detractione revelat
arcanum:at fidus *e* animo tegit rem.
14 Ubi non *ſunt* prudentia conſilia,corruit
populus;ſalus autem *eſt* in [13] amplitudine con-
ſiliarii.
15 *f* Omnino confringitur, qui [14] ſpondet
pro extraneo : [15] qui autem odit complodentes
tes ſecurus *eſt*.
16 [16] Mulier *g* gratioſa continet honorem,
ut *h* potentiores continent divitias.
17 Beneficus *eſt i* ſibi ipſi [17] vir benignus,
[18] turbat autem carnem ſuam crudelis.
18 [19] Improbus *k* comparat præmiũ [20] fal-
ſum,ſerentis verò [21] juſtitiam merces *eſt* fida:
19 *l* Probè adhærens juſtitiæ *ſerit* ad vitam;
ſectans verò malum,ad mortem ſuam.
20 *m* Abominationi *ſunt* Jehovæ perverſi
*n* animo: accepti verò ei integri viâ.
21 [22] *o* Conjunctis operis non aſſequitur
impunitatem malus, [23] ſemen verò juſtorum
liberat ſe.
22 [24] *Velut* monile aureum ad roſtrum por-
ci,*eſt* mulier pulchra & averſans rationem.
23 Deſiderio juſtorum tantummodò bo-
num, exſpectationi improborum *obvenit* [25]
furor.
24 Eſt qui diſpergens,tamen augetur am-
pliùs;ſed qui cohibet ſe à recto,tantummodò
[26] ad egeſtatem *cohibet*.
25 *p* [27] Animus beneficus pinguis efficitur;
& qui ubertim communicat, idem ampliùs *q*
[28] profundet.
26 Comprimentem triticum exſecrabun-
tur *r* populares:benedictio autem *incumbet* ca-
piti venum dantis,
27 Studioſè quærens bonum *alìis* [29] con-
quirit benevolentiam:quærenti verò malum,
ipſi eventurum eſt.
28 Qui confidit in divitiis ſuis, ipſe [30] deci-
det; at [31] tamquam ramus juſti effloreſcent.
29 [32] Qui conturbat domum ſuam [33] poſ-
ſidebit ventum; [34] & ſtultus, ſervus *efficietur*
ſapienti *ſ* animo.
30 Fructus juſti [35] *eſt fructus* arboris vitæ,
quum diſciplina imbuit animas ſapiens.
31 En juſtum,in terra hac [36] rependitur *ei*;
quanto magis improbo & peccatori ?

Caput XII.

32 [37] Qui amat eruditionem , amat ſcien-
tiam:qui verò odit correptionem,brutus *eſt*.

1 i.ſuperbia parit ignominiã auctori ſuo: modeſtia verò ſapit, & ſibi ab ignominia præcavet. 2 per totam hãc vitam uſque in trãquilliſſimum ſecuritatis portum; prout ſequentia expli cant uſque ad verſum 9. 3 id eſt, profligat & perdit. 4 quin devaſtetur ab excandeſcentia & invadente morte : ut ſupra 10.2. 5 i. erectum cõſervat in via. 6 id eſt,qua alios onerat perfidè. 7 id eſt, judicio ipſius firmiſſima & fulta maximis viribus. h *Heb. multarum virium*. 8 id eſt falſis & ſimulatis verbis alios eodem perducit, quò devenit ipſe. 9 id eſt,cognitione falſitatis & cautione prudente ſe ipſos à corruptione ſervant. 10 propter bona ab illis pervenientia ad cives, & ab iſtis mala ſeq.verſu. 11 i. contemtum onerante contumeliis,& rodẽte calumniis: ut ſequente verſ. c *Heb. defecto corde*. d *Heb prudentiarum*. 12 ut Levi.19.16. e *Heb.Spiritus*. 13 id eſt,in conſiliario amplo, prudentibus cõſiliis variiſque inſtructiſſimo. f *Hebr. confringendo cõfringitur*. 14 id eſt, fidem ſuam interponit negotiis alienis. 15 i.qui tamquã odiſſet, improbat eorum levitatem qui porrectis dexteris temerè fidejubent ſupra 6.1. 16 i.quæ prædita reverentia Dei ornatur occulto illo cordis nomine ſito in incorruptione lenis & quieti ſpiritus, qui coram Deo pretioſus, & apud omnes bonos gratioſus, infra 31.10. & 1.Pet. 3.4. g *Hebr.gratia.* h *Hebr.violenti.* i *Hebr.anima ſua vir benignitatis.* 17 qui aliis benefacit;ut contrà crudelis;qui à benefaciendo abſtinet. 18 id eſt,ſe ipſum damno afficit, naturæ & humanitatis leges abjiciens; ut duo ſequentes verſus explicant 19 nimirum crudelis iſte,ſuperiore verſu. k *Hebr.facit opus falſitatis : ſic Levit.*19.13 20 tum quia fallit ipſum quicquid præmii loco exſpectavit,tum quia longè diverſum præmium conſequitur verſ.9. 21 id beneficium : ut ſupra obſervatum eſt.3.27. l *Heb probus juſtitiæ:ſimilem conſequutionem vide ſupra* 4.18. m *Heb abominatio Jehovæ:ut ſup. verſ.*1. n *Heb.corde: beneplacitum ejus.* 22 i. licet contendat omnes nervos, omnes machinas admoveat, omnia adjumenta comparet. o *Heb.manu ad manum : ut infra* 16. 23 i.non tantùm ipſe, ſed etiam poſteri liberantur, q.d iſte aſcitis multis ſe unum nequit liberare,hujus verò cauſâ benè eſt multis, ex promiſſione Dei facta Abraham Gen.11. 24 id eſt, tam decet inſanam pulcritudo, quam monile ſuem. 25 id eſt,malum quo ringantur atque furant : ſynecdoche. 26 id eſt,non poteſt non maledici & fieri egens avaritia iſtius. p *Heb. anima benedictionis.* 27 id eſt,quiſquis ex animo benefacit, ampliùs Dei benedictione ditabitur:metaphora, ut Judicũ 3.29. q *Heb.jaciet.* 28 id eſt,novis bonis quæ profundat,à Deo cumulabitur. r *Heb.natio.* 29 id eſt,eam ſibi conciliat apud Deum & homines:ſic concludit ſuperiorem ſermonem de beneficentia.

30 ut folium marcidum,aut putridus ramus. 31 vireſcens,frõdeſcens, floreſcens,&c. ſic accipitur Neche. 8.16. 32 ſtulta adminiſtratione ſua. 33 i.faciet ut ſua poſſeſſio in ventos abeat, ſitque totus vacuus, quaſi dicat, aërem tantum habebit. 34 id eſt, imò ne ſeipſum quidem poſſidebit; debebit animã, quod ajunt.

f *Heb.corde.* 35 id eſt, vivificus eſt doctrina ſua. 36 id eſt, caſtigatur à Deo in hac vita peccatorum nomine:ſic accipitur 1.Petri 4.17. 37 id eſt,juſtus, qui caſtigationibus Dei acquieſcit, gratias de illis agit , eiſque excitatur ad ſapiendum magis ac magis:ut Pſalm.94.12.

## Caput XII.

*Bonis benevolentia Dei, malis judicium denunciatur:mulierum conditio,cogitationum & ſermonum fructus;miſericordiæ, ſedulitatis, juſtitiæ, humilitatis, veritatis, integritatiſque, & contra exitus proponitur:& explicata prudentium hominum,diligentium juſtorumque ratione æterna illorum vita prædicatur.*

1 BOnum provehit benevolentia à Jehova:
‖ at virum *a* ſceleratum condemnat.
2 [1] Non ſtabilitur homo improbitate, [2] ra-
dix autem juſtorum non dimovetur.
3 [3] Uxor *b* ſtrenua [4] corona *eſt* mariti ſui;
ſed tamquam [5] putredo in oſſibus ejus *eſt* [6] ea
quæ pudefacit.
4 Cogitationes juſtorum *ſunt c* juſta: aſtu-
ta conſilia improborum, *d* doloſa.
5 Verba improborum *e* inſidiantur ſangui-
ni;os autem rectorum eripit [7] illos.
6 Evertunt ſe improbi ita ut non ſint:fami-
lia autem juſtorum ſtabit.
7 Pro ratione intellectus ſui [8] laudabitur
vir:ſed perverſus *f* animo erit contemtui.
8 Melior *eſt* qui agnoſcit ſe vilem & ſer-
vum habet,eo qui ſe extollit honore & defici-
tur cibo.
9 Curat juſtus vitam jumenti ſui : miſera-
tiones autem improborum ſunt [9] *miſerationes*
crudelis.
10 Qui colit tellurem ſuam , ſatiatur cibo;
qui verò ſectatur [10] *g* vana *eſt h* demens.
11 Deſiderat improbus præſidium [11] ma-
lorum,ſed radix juſtorum dat *illud*.
12 [12] ‖In defectione labiorum *eſt* tendicu-
la mali,at [13] egreditur ab anguſtia juſtus.
13 Ex fructu *i* oris *ſui* vir ſatiatur bonus, [14]
etiam retributionem operum ſuorum homo
recipit ſibi.
14 Via ſtulti recta *videtur* in oculis ipſius:
at qui auſcultat conſilio, ſapiens eſt.
15 Stulti ipſius indignatio eodem agnoſci-
tur, [15] tegit verò ignominiam aſtutus.
16 Efflat veritatem *qui* indicat quod *k* ju-
ſtum eſt,teſtis autẽ falſiſſimus *efflat l* dolum.
17 Eſt qui pronunciat ſimilia *m* transfodiẽ-
ti gladio; at lingua ſapientum,medicinæ.

‖ *ſuprà* 8.35. a *Heb ſcelerum.* 1 ſed eradicatur, quomodo accipiendum eſſe docet antitheſis. 2 id eſt, juſtitia ipſorum radicata in Chriſto per benevolentiam Dei: ſic infra 11. 3 qualis deſcribitur inf.cap.ultimo. b *Heb.roboris.* 4 id eſt,decus & gloria; ut 1.Cor. 11 7. 5 id eſt. malum tabificum, exedens & conſumens virum. 6 id eſt, malè morata,quæ ſuis eſt pudori. c *Heb juris.* d *Heb doli.* e *Heb. inſidiari: infinitivus pro præſente: ſic evertere ſe, proxime ſeq verſ.* 7 quorum ſanguini inſidiantur improbi. 8 i. tandem laudem conſequetur, ita diſpẽſante Deo: hujus rei exemplum ſequ. verſ. apponitur. f *Heb.corde : ſic deinceps.* 9 id eſt,planè nullæ. 10 id eſt, inutilia & aliena à functione & conditione ſua, ut ex priore membro colligitur. g *Heb. vacua.* h *Heb.defectus corde.* 11 id eſt, adverſus mala. quaſi dicat, vellet quidem ſtabiliri & defendi ab omni malo,ſed inane eſt deſiderium ejus:ut ſup. ỳ.2. ‖ *ſup.*10.14.*infr.*18.7. 12 id eſt,injuſtus ſuis ipſius verbis ſibi mortem parat, & omnem anguſtiam. 13 id eſt,aut cavet ab anguſtia juſtè expenſo ſermone ſuo, aut ſe,quum inciderit,ab ea liberat:ut ſequ. verſ i *Heb. oris viri ſatiatur bonus, & retributionem manuum hominis reducit. vide Gen.*9.6. 14 amplificatio, qua tranſitur à ſermone ad opera,ſequentibus verſibus. 15 id eſt, cohibet ſe ab indignatione,quæ ipſi futura eſſet ignominioſa. k *Hebr. juſtitiam.* l *Heb.falſitatem.* m *Heb.transfoſſionibus gladii:hypallage*

18 Labium *n* verax ſtabilitur in æternum; [16] donec momentum tranſigam, lingua *o* falſa.

19 [17] Dolus *recidit* in cor fabricantium malum; in conſiliarios autem pacis lætitia.

20 *p* [18] Non abjicietur juſtus in ullam moleſtiam, improbi autem pleni erunt malo.

21 Abominationi *ſunt* Jehovæ labia *q* fallacia; qui autem agunt *r* fideliter, accepti ſunt ei.

22 Homo callidus [19] tegit ſcientiã, animus autem ſtolidorum proclamat ſtultitiam.

23 ‖ Manus ſedulorum dominabitur, *ſ* doloſa autem erit *t* tributaria.

24 Sollicita anxietas in animo viri [20] deprimit illam, res autem bona [21] lætificat illam.

25 Obſervat ex proximo ſuo juſtus, at [22] via improborum ſeducit eos.

26 [23] Non aſſabit *u* doloſus quod venando ceperit, ſubſtantia autem hominis pretioſa ſedulus *fruitur*.

27 In itinere juſtitiæ *eſt* vita, & via ſemitæ ejus [24] *x* immortalis eſt.

n Heb. veritatis. 16 id eſt, falſi nõ amplius momento durant, ſequente verſu. o Heb. falſitatis. 17 id eſt, ipſi ſuo dolo intenimũtur, quod triſtitiam adfert graviſſimam. p Heb. non objicietur in juſtum ulla moleſtia: hypallage. 18 id eſt, quæcumque moleſtia obtingat ei, non permanebit abjectus in ea, ſuprà verſ. 12. q Heb. falſitatis. r Heb. fidem, benevolentia ejus: ut ſupr. 11. 1. 19 id eſt, tectam & reconditam penes ſe habet, neque effundit temerè. ‖ ſupr. 10. 4. ſ Heb. doli. t Heb. in tributũ.

20 id eſt, manum (de qua in præcedente verſ.) remiſſam & ſegnem efficit metus ſollicitus de futuro malo. 21 id eſt, alacré & promtam efficit fructus præſentis boni. 22 quum ſe anteponant juſtis, non obſervantes exempla illorum, & excellentiores eſſe judicent, idque (ut ỷ. ſequent: docetur) falſiſſimè. 23 inter os & offam multa illi accident incommoda, & impedimenta fruendi boni quod captaverat. v Heb. vir doli, venationem ſuam. 24 ſimilem vocis compoſitionem vide infrà. 30. 31. x Heb. nec mors.

## CAPUT XIII.

*Diſciplinæ ſtudioſis, bonis, modeſtis, diligentibus, veracibus, & integris ſuæ promiſſiones apponuntur, & contra: divitiarum commoda & incommoda, uſus ſapiens & conſultus, & ratio eas comparandi exponitur: ſpei, doctrinæ: ſapientiæ, prudentiæque effecta; item veritatis, & diſciplinæ, converſationisque conſequentia oſtenduntur; & bonis viris opes, liberos, vitamque benè inſtituentibus bona denunciantur, improbis mala.*

1 [1] FIlius ſapiens *auſcultat* eruditioni patris; at derisor ne ulli *quidem* auſcultat increpationi.

2 *a* Fructu oris *ſui* quiſq; fruitur bonus, anima verò perfidioſorum *fructu* [2] violentiæ.

3 Qui [3] cuſtodit os ſuũ, cõſervat *b* ſeipſum: qui [4] divaricat labia ſua, contritio *evenit* ei,

4 [5] Deſiderio permovetur anima ipſius pigri, ſed nihil *aderit*: anima verò ſedulorum [6] efficietur pinguis.

5 Rem *c* falſam [7] odit juſtus, [8] improbum verò reddit fœtidum atque pudefacit.

6 Juſtitia cuſtodit integrum viâ, improbitas verò [9] pervertit *d* peccatorem.

7 Eſt qui divitem ſe jactat, quum deſint omnia; itẽ qui pauperem ſe fingit, cui ſubſtantia *eſt* ampla.

8 [10] Redemtura vitæ viri divitiæ ſuæ: at pauper non audit increpationem.

9 [11] Lux juſtorum *e* clara erit; at lucerna improborum exſtinguetur.

10 *f* [12] Merâ ſuperbiâ *vir* edit jurgium, penes conſultos *eſt* [13] ſapientia.

11 Subſtantia [14] ex vanitate, diminuetur: qui autem congregat [15] manu, augebit *eam*.

12 Spes protracta ægrum efficit *g* animum: [16] arbor autem *eſt* vitæ, deſiderium adveniens.

13 ‖ Contemtor [17] verbi, corrumpetur ille, qui autem reveretur præceptum, ipſe donatur pace.

14 Doctrina ſapientis *eſt* [18] ſcaturigo vitæ, ad recedendum à tendiculis mortis.

15 *h* Succeſſum bonum dat [19] gratia, via autem perfidioſorum *eſt* aſpera.

16 Omnis aſtutus agit ſcientia, ſtolidus autem pandit ſtultitiam.

17 Nuncius [20] improbus incidit in malum; legatus autẽ *i* optimæ fidei, [21] medicinã facit.

18 Paupertas & ignominia *erit* *k* abſtrahenti ſe *ab* eruditione: qui autem ſervat correptionem, [22] honorabitur.

19 [23] Deſiderium effectum ſuave erit animæ *hujus*; at [24] abominationi *eſt* ſtolidis recedere à malo.

20 Qui ambulat cum ſapientibus, ſapientior fiet: qui verò ſe conſociat ſtolidis, efficietur pejor.

21 Peccatores inſectatur malum, juſtos autem compenſat bonum.

22 Bonus poſſeſſionem tradit *l* nepotibus, ſuntque reconditæ juſto opes peccatoris.

23 *m* [25] Multus *eſt* cibus novellantibus pauperibus: ſed eſt qui conſumit ſe *n* inertiâ.

24 Qui cohibet virgam ſuam, odit filium ſuum: qui autem amat eum, tempeſtivè *o* procurat eruditionem ei.

25 [26] ‖ Juſtus comedit ad ſatietatem animę ſuæ; venter autem improborum eget.

1 Stultè ludificans ſapientiæ documenta: ut opponitur ſapienti: ſuprà 9. 7. & 8. & 11. a Heb. de fructu oris viri comedit bonus: ut ſup. 12. 14. 2 ut Gen. 6. 11. 3 ne videlicet extra metas officii ſui excurrat, aut divagetur ſermone. b Heb. animam ſuam. 4 id eſt, diſſecit quodammodo & proſtituit os ſuum ad ſermones quoslibet, ut impurum ſcortum, præter officium ſuum: metaphora à pedibus ſcorti: Jechezk. 16. 24. 5 id eſt, tantummodo deſiderat, nec quicquam amplius: ac proinde nihil ex omnibus coacervatis deſideriis cõſequitur, verborum ἐμπλοκὴν ad perſpicuitatem trajecimus. 6 i. ſup quàm optat, cumulabitur bonis: ut ſup. 11. 25. c Heb. falſitatis. 7 velut fœtidam & putentem aversatur. 8 i. at contra improbus tantoperè diligit & amplexatur falſitatem; ut malit putridus eſſe & exoſus omnibus bonis, quam ab ea diſcedere.

9 i. everſum perdet. d Heb. peccati virum. 10 i. divitiæ, æquè ac paupertas ſua habent commoda atque incommoda: nam ut divitibus ad vitam hanc commodæ ſunt divitiæ, & pauperibus paupertas incommoda: ſic contrà illæ divitibus ſunt incõmodæ, quia plurima creant ab aliis pericula poſſeſſori ſuo: paupertas verò cõmoda ſaltem eo nomine, quod animus liber eſt ab invidorum inſidiantium metu, & cantat vacuus corã latrone viator. 11 i. juſti vita, gloria, & gaudio in æternũ perfruentur: pro eo quod eſt, juſti in luce ſua lætabũtur: ut Pſal. 97. 11. e Heb. lætabitur. f Heb. tantum in ſuperbia. 12 i. incõſulto & ferociente animo. 13 induſtriè cavens ab accendendis, inflãmandis, aut fovendis jurgiis. 14 i. quibuſcumque vanis rationibus, aut falſis, nefariisve comparata.

15 id eſt, juſto labore ſuo: metonymia. g Heb. cor. 16 i. proprium medicamentum, & ſalutare animo ægro ex deſiderio. 17 nimirum divini, quod poſteà præceptum & doctrinam vocat. ‖ 1. Schem. 2. 30. 18 i. perennis vitæ: ut ſupr. 10. 11. h Heb. ſecundationem bonam: ut Pſalm 111. 10. & ſup. 3. 4. 19 id eſt, reverentia & Dei ſapientia gratioſa: ut ſup. 11. 16. 20 i. infidus dat pœnas infidelitatis, & ſibi nocet. i Heb. fidelitatum. 21 id eſt, ſibi & aliis prodeſt, quum rei veritatem exponit, & bona fide facit officium ſuum. k Heb. abſtrahenti eruditionem à ſe: ut ſup. 1. 25. 22 i. divitiis & honore florebit. 23 i. hic qui correctionem recipit: fructum trãquillum juſtitiæ percipiet, & deſideriorum ſuorum: Heb 12. 11. 24 i. fugit ſtolidus caſtigationes, & abhorret ab earum uſu; ac proinde non explebitur deſiderio ſuo; ſed paupertate & ignominia obruetur. Oratio ἀνανταπόδοτος, quales multas hoc libro inveniri diximus ſup. 1. 7. l Heb. filiis filiorum. m Heb. multitudo eſcæ. 25 i. non poteſt non abundare pauper, quum ſedulus eſt, & ſe vel in horrentibus locis colendis occupat: divitem verò ſua exedit inertia, cujus bona hoc pacto ad juſtum transferuntur. n Hebr. in non officio. o Heb. quærit mane. 26 id eſt, juſto, qui ex fide vivit, ſemper eſt ſatis, improbis verò nunquam. ‖ Pſalm. 37. 16.

## CAP. XIV.

*Mulieris officium; recti, modeſtiæ, diligentiæ, veritatis ſtudii ad ſapientiam tenendam conſequentia; & converſationis leges, judiciique in probandis inſtitutis vitæ, adhibita prudentia, exponuntur: perſonarum pro ratione opum acceptio damnatur, labor, ſapientia, veritas, & reverentia Dei commendatur, civitatis decus, & civium inter ſe officia humanitatis, juſtitia, & prudentis obſequii prædicantur.*

1 SApientum [1] fœminarũm *quæque* [2] ædificat domum ſuam; ſtulta autem manibus ſuis deſtruit eam:

2 [3] Qui ambulat *a* rectè, reveretur Jehovam: præfractus verò viis ſuis, ſpernit eum.

3 Ori ſtulti ineſt [4] baculus ſuperbiæ; labiis vero ſapientum conſervatio ipſorum.

4 Quum deſunt [5] boves, [6] præſepe mundum *eſt*; amplitudo autem proventuum, *eſt* viribus bovis:

5 Teſtis *b* optimæ fidei non mentitur; ‖ efflat autem mendacia teſtis *c* falſus.

6 ‖ Quærenti deriſori ſapientiam, ea non exſtat; ſcientia autem, prudenti [7] facilis eſt.

7 Abi à conſpectu viri ſtolidi, & *d* quem noſti non *eſſe præditum* verbis ſcientiæ.

8 Sapientia aſtuti, *eſt* advertere ad viam ſuam; ſtultitia autem ſtolidorum, *ad* dolum.

1 Quæ Deum timent, & domeſticas ſuas occupationes curant in ſanctificatione & modeſtia. 2 i. ſervat & auget familiam: tranſlatio à ſtructoribus. a Heb. in rectitudine ſua. 3 i. ex genere vitæ, veluti fructibus, homo cognoſcitur, utrum pius ſit an impius. 4 i. præſtò eſt pœna & quaſi ferula, qua præſidentia & ſuperbia ipſius retundatur puniaturque. 5 aratores videlicet, domiti & aſſuefacti culturæ, ſynecdoche, pro operariis omnibus. 6 id eſt, omnia vacua, ſynecdochicè: ut Hamos 4. 6. b Heb fidelitatum. ‖ ſup 12. 16 c Heb. falſitatis. ‖ ſup. 3. 34. 7 inventu, ut quæ ſe omnibus exhibet, ſup. 1. 20. & 8. 1. d Heb. non noſti labiorum ſcientia, ὑστέρωσις.

9 ‖ [8] Stultos conciliat reatus; inter rectos autem, [9] quod acceptũ eſt *conciliationem facit*.

10 *e* [10] Animus agnoſcit *f* ſuam ipſius amaritudinem; & in lætitia ipſius non intermiſcet ſe [11] extraneum *quicquam*.

11 Domus improborum perdetur: tentorium autem rectorum florebit.

12 Eſt via *quæ* recta *videtur* in conſpectu virorum, cujus finis *eſt* [12] *g* via multiplex ad mortem.

13 Etiam ex riſu dolet animus: & *h* tandem lætitia *fit* mœror.

14 Viis ſuis ſatiabitur *vir* averſo animo, *abſiſtit* autem *i* à conſortio ejus vir bonus.

15 Fatuus credit omnibus rebus, aſtutus autem advertit ad greſſum ſuum.

16 Sapiens timet ac recedit à malo; ſtolidus verò [13] infert ſe, adeò præfidens eſt.

17 *k* Præceps ira efficit ſtultitiam, ſed *l* viro circumſpectiſſimo *eſt* odio.

18 Poſſident fatui [14] ſtultitiam, aſtuti autem [15] coronamentum texunt ſcientiæ.

19 Incurvant ſe mali coram bonis, & improbi ad portas juſti.

20 Etiam proximo ipſius odio eſt pauper, amici aurem divitis multi *ſunt*.

21 Qui contemnit proximum ſuum [16] futurus eſt peccator: qui autem gratiam facit pauperibns, ô beatum illum.

22 Nónne [17] errãt qui fabricant malũ? benignitas verò & fides *eſt* fabricãtium bonum.

23 In omni [18] labore *eſt* emolumentum; at *m* [19] in verbo labiorum tantùm egeſtas *eſt*.

24 [20] Corona ſapientum *ſunt* divitiæ ipſorum, ſtultitia ſtolidorum ſtultitia *manet*.

25 Liberat animas teſtis *n* verax, [21] conflat autem mendacia *o* doloſus.

26 In reverentia Jehovæ *eſt* fiducia *p* valida, qui [22] filiis ſuis eſſe ſolet receptui.

27 ‖ Reverentia Jehovæ *eſt* ſcaturigo vitæ, ad recedendum à tendiculis mortis.

28 In multitudine populi *eſt* decor regis; at defectu nationis contritio dominatoris *advenit*.

29 *q* ‖ Tardus ad iram abundat intelligentia: *r* præceps autem excitat ſtultitiam.

30 [23] Vita carnium *eſt* animus ſanans; putredo verò oſſium, invidentia.

31 Qui opprimit tenuem, probro afficit [24] opificem ejus: hunc autem honorat, qui gratiam facit egenti.

32 In malum ſuum impellit ſe improbus; [25] recipit ſe etiam in morte ſua juſtus.

33 In animo prudentis requieſcit ſapientia: *quod* autem *eſt* *ſ* in ſtolidis, [26] ſe cognoſcẽdum exhibet.

34 Juſtitia exaltat gentem, *t* probro autem *eſt* nationibus peccatum.

35 Benevolentia regis erga ſervum intelligentem; furor autem ejus *erit* contra [27] pudefacientem.

‖ *ſupr*.13.20.
a i. improborum nimos conjungit ſcelerum cõmunicatio.
9 i. quicquid Deo & rectis hominibus probatur, hoc rectos alios cum aliis conciliare ſolet.
e *Hebr. cor: ſic deinceps.*
10 ἀɣπον ſuperioris ſententiæ: malefici maleficos amant, & recti rectos: nam ita eſt comparatus ſingulorum animus; ut probet omnia, quæ grata ſunt adjũgat ſibi, & quæ ingrata amaraque ſunt refugiat.
f *Heb. anima ſua.*
11 i. alienum, abs quo abhorret animus.
12 ut oſtendunt duo ſequentes verſus.
g *Heb. viæ.*
h *Heb. fine ſuo.*
i *Heb. à juxta eum.*
13 i. nimirum in malum, quod ſequentis verſus exemplum commonſtrat.
k *Heb. brevis irarum.*
l *Heb. viro cogitationum.*
14 i. fructũ ſtultitiæ ſuæ recipiunt, metonymicè: de quo ſeq. verſu.
15 i. ſcientiæ ſuæ fructum glorioſiſſimum conſequuntur.
16 i. peccati condemnabitur: metalepſis, ut 1. Reg 1.21.
17 i. abſunt ab itinere vitæ, ad quam benignitas & veritas Dei ducit.
18 i. ſedula occupatione hominis ad functionem ſuam.
m *Hebr. verbum labiorum tantum egeſtati* eſt: *hypallage.*
19 i. ubi quieſcũt cætera membra ab operibus ſuis; & lingua tãtùm occupatur, éſtque actuoſiſſima ſtrepitu inani ſuo.
20 id eſt, ornamento ſunt divitiæ ad ſapientiam accedentes: ſtultorum verò poſſeſſorũ ſtultitiam nulla ex parte minuunt.
e *Heb. veritatis.*
21 ut animas perdat.
o *Heb. doli.*
p *Heb. roboris.* 22 quos genuit in Chriſto ſemine incorrupto verbi, ut in ſui reverentia ambulent. ‖ *ſup*. 13. 14. q *Hebr longus irarum.* ‖ *ſup*. ỳ. 17.
r *Heb. brevis ſpiritu attollit.* 23 i. vir animo humano atque benefico (qui propter ea metaphoricè ſanans appellatur) toto corpore benè habet, lætus vitam tranſigit, & alios lętificat: invidiæ verò tormentum ne valentiſſimas quidem partes corporis integras relinquit; ſed eas labefacit, corrumpit, putriditate infeſtat. & fœtidum omnium judicio totum hominem reddit. 24 i. Deum: vide Matth. 25.35. & ſequentibus. 25 à malo, adeò, ut ne mors quidem ipſa ſit ipſi mala.
ſ *Heb. in medio ſtolidorum.* 26 id eſt, diu diſſimulari non poteſt: eſt autem hîc ellipſis contrarii: ut Gen. 18.17.
t *Heb. probrum nationum.* 27 ut ſupra 10.5.

## Caput XV.

*Leges ſermonum qui inter homines habentur, & bona ex legitimo illorum uſu conſequẽtia, Dei judicium de bonis & malis, ſtultorum faſtidium in documentis boni & tota ſorte ſua: iracundiæ, pigritiæ, ſtultitiæ, imprudentiæ, carnalium ſtudiorum, ſuperbiæ, avaritiæ, temeritatis in homines & in Deum, immodeſtique erga doctrinam animi, & contrà, conſequentia explicantur.*

1 [1] Reſpõſio mollis avertit excãdeſcentiã: verbum autem *a* moleſtum excitat irã.

2 Lingua ſapientum bonam profert ſcientiam: os autem ſtolidorum eructat ſtultitiam.

3 In omni loco oculi Jehovæ *ſunt*, ſpeculantes malos & bonos.

4 Curatio linguæ, [2] arboris vitæ *eſt*: [3] perverſitas autem ex ea, *velut* confractio à vento.

5 Stultus ſpernit eruditionem patris ſui; qui aũt obſervat correptionẽ, valdè aſtut [9] *eſt*.

9 In domo juſti robur *eſt* magnũ: at *b* proventus improbi, [4] conturbatur ex ſeſe.

7 Labia ſapientum ſpargunt ſcientiam: *c* animus autẽ ſtolidorum, *d* quod abeſt à recto.

8 [5] Sacrificium improborum, abominationi *eſt* Jehovæ: oratio autem rectorum, *e* accepta *eſt* ei.

6 Abominationi *eſt* Jehovæ via improbi; cum autem qui ſectatur juſtitiam, diligit.

10 Eruditio *videtur* mala derelinquenti iter; qui odit correptionem, morietur.

11 Infernus & perditio coram Jehova *ſunt*, quantò magis *f* animi hominum?

12 Non diligit [7] deriſor corripientem ſe, ſapientes non adit.

13 Animus lætus benè afficit [8] vultum: & dolore animi [9] ſpiritus frangitur.

14 Animus prudentis quærit ſcientiam: os autem ſtolidorum paſcitur ſtultitia.

15 Omnes dies [10] pauperis, mali *ſunt*: *g* læti autem animo *ſunt* [11] convivium juge.

16 Melius *eſt* parũ cum [12] reverentia Jehovæ, quàm theſaurus amplus [13] ubi *eſt* vexatio.

17 Melius *eſt* cibarium oleris ubi *eſt* dilectio, quàm bovis ſaginati ubi *eſt* odium.

18 Vir *h* iracundus miſcet contentionem, longanimis autem ſedat litem.

19 Via [14] pigri *eſt* velut [15] ſepimentum ſpinoſum: iter autem rectorum [16] aggeſtum *eſt*.

20 ‖ Filius ſapiens lætificat patrem, ſtolidus autem homo ſpernit matrem ſuam.

21 Stultitia; lætitiæ *eſt* *i* dementi; at *k* vir intelligens rectè ambulaturus eſt.

22 ‖ *l* Irritæ fiunt cogitationes, quum deeſt *m* conſilium: at in amplitudine conſiliariorum aſſurgit *cogitatio*.

23 [17] Lætitia huic viro *eſt ex* ſermone oris ſui: nam res tempore ſuo, ô quàm bona *eſt*!

24 Iter vitæ [18] ſurſum *eſt* intelligenti, ut recedat [19] à ſepulcro deorſum.

25 Domum ſuperborum [20] evellit Jehova, conſtituit autem terminum [21] viduæ.

26 Abominationi *ſunt* Jehovæ cogitatio-

1 Quatuor primi verſus de ratione ſermonis noſtri, docent primùm quæ conſequãtur ex hominum ſermone, hoc verſu: deinde quæ ſit ſermonis habendi ratio, nimirum ut adhibeatur ſcientia, ỳ. 2. & reverentia Dei omnia pernoſcentis, ỳ. 3. ac poſtremò bona & mala conſequentia illuſtrantur comparationibus, verſ. 4.
a *Heb. molitia.*
2 i. medicina ſalutaris atque vivifica.
3 i. quum lingua perverſè agit, ſubitas & vehementiſſimas calamitates affert.
b *Heb. proventu improbi conturbatur*
4 videlicet nullo negotio, adeò infirmus eſt & maledictus proventus ille.
c *Heb. cor: ſic deinceps.*
d *Heb. non rectũ.*
5 i. quantumvis ſolennis & ſumtuoſa cultus divini oſtentatio: cui ſimplex juſtorum oratio comparatur.
e *Heb. benevolentia ejus.*
6 diſtributio improborum qui abominationi ſunt Jehovæ, ſuperiore verſu, alii, inquit, apertè eruditionem fugiunt, & viam juſtam: alii verò odium animo diſſimulant, & illudunt hominibus ſpecie cultus Dei; ſed penitiſſimas illorum cogitationes perſpicit Deus, ſeq. verſu.
f *Heb. corda filiorum hominis.*
7 ut ſupr. 1. 14. id eſt, contemtor Dei doctrinam odit, doctoſque pariter doctrinæ nomine.
8 id eſt, totum hominem, ſynecdochicè.
9 id eſt, veluti anhelus & ſuſpirioſus efficitur homo, & reſpiratio ipſius quaſi interſcinditur.
10 id eſt, hominis, ſua ſorte minimè contenti, ut ſequentia oſtendunt.
g *Heb. boni corde.* 11 id eſt, tam ſunt jucundi dies homini quieſcenti in ſua ſorte quàm ſi ſemper lautiſſimis epulis aleretur. 12 animum hominis tranquillante. 13 ubi poſſeſſor animo fluctuat atque incertus eſt, quia deſtituitur reverentia Dei. h *Heb. excandeſcentiæ.* 14 qui pigratur officium facere & rectum colere. 15 i. ita lenta eſt atque difficilis, ac ſi tota ſpinoſa & ſalebroſa eſſet. 16 i. facillimum & commodiſſimum, velut inſtrato aggere.
‖ *ſupr*. 10. 1. i *Heb. defecto corde.* k *Heb. vir intelligentiæ diriget ambulare.*
‖ *ſupr*. 11. 14. l *Heb. irritas facere cogitationes, infinitus pro finito modo.*
m *Heb. arcanum.* 17 vir iſte ſapiens & conſiliis ampliſſimis plurimùm recreatur & gratulatur ſibi, quum videt conſilia ſua bene cecidiſſe, & prout dixerat eveniſſe. 18 i. in cælis vita eſt, ac proinde cogitat de cæleſtibus, & ad cæleſtia tendit: Phil. 3.20. & Coloſſ. 3.1. 19 id eſt, à morte, quam ſtudium harum rerum terreſtrium eſſet allaturum. 20 i. funditus & radicitus perdit.
21 i. humilium abjectorumque, ſynecdochicè.

nes mali;

ⁿ Heb. quæſtuo-ſus quæſtus: ut ſupra 1.19.
22 temere incogitatéq; fundit.
23 i. non exaudit: humanitus dictum.
24 i. quemadmodum oculus rerum bonarum aſpectu hominem totum afficit, ita etiam auris rerum bonarum ſalutarium quæ auditu, de quibus ſeq. verſus.
° Heb. in medio ſapientum.
25 i. in ſalute erit, quam ſapientibus attribuit Deus.
p Heb. abſtrahit

nes mali; mundorum autem *ſermones, ſunt* ſermones amœni.

27 Conturbat domum ſuam, qui *n* deditus eſt quæſtui; qui verò odit dona, victurus eſt.

28 Animus juſti meditatur ad loquendum: os autem improborum [22] eructat mala.

29 [23] Procul *abeſt* Jehova ab improbis, orationem autem juſtorum exaudit.

30 [24] Ut lumen oculorum lætificat animum, *ita* auditio bona pinguefacit oſſa.

31 Auris auſcultans correptioni vitæ *o* [25] inter ſapientes commorabitur.

32 Qui *p* abſtrahit *ſe ab* eruditione, ſpernit animam ſuam: qui autem auſcultat correptioni, poſſidet animum.

33 [26] *Anteit* reverentiam Jehovæ eruditio ſapientiæ, [27] & ante honorem abjectio.

*eruditionem. ut ſup.* 1.25. 26 id eſt ante quam vir ſapientiam obtineat & reverentia Dei ducatur, quæ caput eſt ſapientiæ: eum erudiri oportet in documentis ſapientiæ. 27 id eſt, ordo idē eſt fructuum qui ex eruditione & reverentia Dei percipiuntur: nam eruditioni abjectio & humilitas; ſapientiæ verò & reverentiæ Dei conjunctus eſt ſummus honor, quo Deus ſui timentes proſequitur.

## Cap. XVI.

*Singularis Dei adminiſtratio ſcientiaq; prædicatur, qua homines ad fidem & obſequium evocantur: reverentibus ipſum gratia & pax, ſuperbis ruina denunciatur: etiam reges quacumq; auctoritate ſint, ad idē officium provocantur: ſapientiæ, juſtitiæ, modeſtiæ, ſtudii in verbo Dei, eloquentiæ, fideliſq; doctrinæ fructus exponuntur: cogitationū noſtrarum ſermonumque alienorum probatio, veneranda ſenectutis auctoritas, & hominis animum ſuum cohibentis virtus commendatur: poſtremò abdicata fortuna omnia eventa tribuuntur Deo.*

|| Infra 19.21.
1 id eſt, innumeras quidem cogitationes homo verſat animo; ſed ne hiſcere quidem poteſt, aut movere linguam ſine diſpoſitione Dei.
ª Heb. cordis: ſic deinceps.
b Heb. viis viri purus videatur: ut Gen. 9.6.
2 i. quaſi numero & pondere pernovit omnia, ut qui potentior eſt corde noſtro, 1. Ioan. 3.20.
|| Pſalm. 37.5.
3 documentum ex ſuperioribus: quaſi dicat: quũ extra ipſum nulla ſit operatio, & nulla cogitatio quamvis abſtruſa eum fugere poſſit; vide ut te committas ei.
4 de quibus ỽ. 1.
5 de quibus verſ. 1.
6 ætiologia præcedentium à creationis fine, cujus ipſe Deus in ſingulis rationem habet, & à nobis rationem haberi par eſt: ſummus eſt, inquit; creationis finis, gloria Dei; quæ optimè lucet atque explicatur tum in ſalute æterna vaſorum miſericordiæ, tum in perditione vaſorum iræ deſtinatorum exitio, Rom. 9.22. Etſi haud ſcio an hæc

1 || PEnes hominem *ſunt* [1] acies *cogitationum a* animi, ſed à Jehova *eſt* ſermo linguæ.

2 *Ut* omnibus *b* viis *ſuis* vir purus videatur in oculis ſuis; tamē [2] perpēdit ſpiritus Jehova.

3 || [3] Devolve in Jehovam [4] facta tua; & comparabuntur [5] cogitationes tuæ.

4 [6] Omnes operatus eſt Jehova propter ſe, etiamque improbum ad diem mali.

5 Abominationi *eſt* Jehovæ omnis altus animo; *c* [7] conjunctis operis non conſequitur impunitatem.

6 [8] Benignitate & veritate expiatur iniquitas: & [9] reverentiâ Jehovæ, receditur à malo.

7 Quum benevolentia proſequitur Jehova vias alicujus, etiam inimicos ejus pacatos reddit ei.

8 Melius *eſt* parum cum juſtitia, quàm *d* ampliſſimus proventus cum injuria.

9 Animus hominis excogitat viam ſuam; ſed Jehova ſtatuit greſſum ejus.

10 [10] Sagacitas in*ſideat* labiis regis, in judicio ne prævaricetur os ejus.

11 [11] Scapus ad lances judicii Jehovæ *ſunt*, opus ejus *ſunt* omnia *e* pondera loculi.

12 || Abominationi *ſit* regibus committere improbitatem: nam juſtitia ſtabilitur ſolium.

13 *f* Accepta *ſunt o* regibus labia juſta; &

melior ſit futura ex Hebræo contextu interpretatio: *Omne operatur Jehova ad id quod reſpondeat ipſi, etiamq; improbum ad diem mali.* Eſt enim ætiologia à providentia Dei, cujus ſapientiſſima vi & ordinatione ſic diſponuntur omnia, ut ſingula antecedentia facta cogitationeſque ſuis conſequentibus; & ſingula conſequentia ſuis antecedentibus reſpondeant. Hæc interpretatio magis Scripturæ verbis videtur reſpondere. c Heb. manu ad manum: ut ſup. 11.21.

7 i. quamvis omnes artes, vires & machinas adhibeat adjumentaque ad perficiendam voluntatem ſuam. 8 miſerentis Dei, ut patris benigniſſimi, ut exponitur ſeq. ỽ. 9 ut ſtudioſus filius fugit offenſam patris. d Heb. amplitudo proventuum. 10 i. conſultiſſima prudentia in rebus dijudicandis, præcavendis, & veluti addivinandis: nam vox Hebræa media eſt ſive anceps, quæ non tantùm in malam partem accipitur, ſed etiā in bonam hîc & Jeſchah. 3.2. vide Jeſchek. 13.6. 11 ætiologia ſuperioris præcepti, quod judicium Dei ac non hominum eſt, Deut. 1.17. & 2. Chr. 19.6. judicii autem accuratiſſimam obſervationē figurat enumeratis trutinæ partibus. e Heb. lapides: metonymicè.
|| Nom. 19.13. f Heb. benevolentia regum, labia juſtitia.

loquentem recta, *rex* diligito.

14 *Nuncii* excandeſcentiæ regis *ſunt* [12] nuncii mortis; ſed vir ſapiens expiabit eam.

15 *g* [13] In lucida facie regis vita *eſt*, ejúſque benevolentia *eſt* [14] velut denſa nubes pluviæ ſerotinæ.

16 || Comparare ſapientiam; ô quàm melius *eſt* auro effoſſo; & comparare prudentiam, optatius argento!

17 [15] Agger rectorum *eſt* recedere à malo; conſervat *h* ſe ipſum, [16] qui cuſtodit viam ſuā.

18 Ante confractionem ſuperbia; & ante lapſum *i* alti *ſunt* ſpiritus.

19 Melius *eſt* [17] ſubmiſſum eſſe ſpiritu cum māſuetis, quam [18] partiri ſpoliū cum ſuperbis.

20 Qui attendit [19] ad verbum, conſequitur bonū & qui cōfidit Jehovæ, ô beatum illum!

21 Sapiens animo vocandus eſt prudens, [20] ſuavitas autem labiorum addit diſciplinam.

22 [21] || Scaturigo vitæ *eſt* intelligentia *k* poſſidentis ipſam: at eruditio ſtultorum, *ſcaturigo* [22] ſtultitiæ.

23 Animus ſapientis intelligenter moderatur os ſuum, & per labia ſua addit diſciplinā.

24 [23] *Ut* favus mellis *ſunt* ſermones amœni; res dulcis animæ, & ſanans *l* oſſa.

25 || Eſt via *quæ videtur* recta in cōſpectu hominis, cujus finis *eſt m* via multiplex ad mortē.

26 *n* [24] Ipſe moleſtus moleſtiam affert ſibi; nam reflectitur in ipſum [25] os ejus.

27 [26] Vir nequam [27] effodit malum; ejuſque labiis inſidet, velut ignis adurens.

28 Vir *o* perverſitatibus deditus immittit contentionem, & [28] ſuſurro [29] disjungit [30] ducem.

29 [31] Vir *p* violentus pellicit proximum ſuum ut deducat eum *q* viâ iniquâ:

30 [32] Connivens oculis ſuis *connivet* dum cogitat res perverſas; [33] concidens *r* ſermones ſuos, perficit malum.

31 Corona *ſ* ornatiſſima *eſt* canities, [34] *quæ* in via juſtitiæ invenitur.

32 Melior eſt longanimis robuſto; & qui dominatur *t* in animum ſuum, eo qui capit civitatem.

33 [35] In gremium conjicitur ſors: à Jehova autem *eſt* [36] tota ratio ejus.

12 i. omnia tum minitātur mortem.
g Heb. in luce faciei.
13 i. quum placido & ſereno vultu jucundoq; reſpicit.
14 i. nō tantum vitam ſervat, ſed etiam omnibus bonis ad ſaturitatem cumulat.
|| Supr. 3.14.
15 i. velut in loco circummunito, aggeſto, tuto; editoque verſantur, qui cavent à malo: metaphora.
h Heb. animam ſuam.
16 i. qui ſe continet in iſto aggere.
i Hebr. altitudo ſpiritus. Sup. 1.2.
17 i. humiliter ſe gerere, ut qui ab hoſte victi & ſub jugum miſſi ſūt.
18 i. inſoleſcere, ſeque elatè gerere, ut quum milites victoria parta partiuntur prædam.
19 ut ſequente membro oſtenditur.
20 i. facundia ſive eloquentia permagna eſt ad prudentiam acceſſio, quo alios in prudentia vir bonus & ſapiens informare poſſit.
21 i. intelligentia ſubſidio eloquētiæ adjecto expoſita, vitam cōſervat ſuis diſcipulis, & contra.
|| Sup. 13.14.
k Heb. domini ipſius, id eſt intelligētis: ſimile ſu. 1.17.
22 ac proinde mortis.
23 i. ſermones pii ſunt jucundi, utiles, & neceſſarii animæ, & corpori.
l Hebr. os.
|| ſup. 14.12.
m Hebr. via.

n Heb. anima moleſti. 24 i. qui res moleſtas aut temerè, aut improbè eloquitur. 25 i. moleſtus ſermo in ipſum recidit, metonymicè. 26 i. malignus & maledicus. 27 i. omnibus artibus perveſtigat viam perficiendi mali: metaphora à cuniculariis. ° Heb. perverſitatum. 28 i. em flar us, explorator, qui captat rumores quos auribus amicorum inſuſurret ad inflammandas lites.

29 ſupple à popularibus vel ſubditis ſuis: pro eo quod eſt, in republica exitioſas diſſenſiones excitat: ecclipſis relat: ut Levit. 21.4. 30 i. principem reip. primarium, ſummum, ut infr. 17.9. & Pſalm. 55.14. 31 i. omnes juris, æqui & boni, leges perfringens: quo ſenſu violentia ferè accipitur, ut Gen. 6.11.

p Heb. violentiæ q Heb. non bona. 32 deſcriptio improbi, de quo ſuperiore verſu, à ſigno oculorum & à ſermone; quos accommodare dicitur ad conſilia ſua peſſima, donec perfecerit. 33 i. non apertè explicans conſilium ſuum; ſed dolosè ea tantùm in medium afferens, quæ ad perducendos homines judicat profutura, & ſtudiosè amputans contraria. r Heb. labia ſua, metonymicè.

ſ Heb. ornatus. 34 i. quæ piè & juſtè vitam tranſigit; non autē omnis canities promiſcuè. t Heb. in ſpiritum ſuum. 35 i. nihil eſt tam fortuitum judicio hominum, quam quum ſors in gremium aut urnam conjicitur, fortuitus enim videtur eventus ſortis: attamen ne ſors quidem ipſa caſu fortuito contingit; ſed Deus infinita providentia ſua quicquid ſortè accidit, ſigillatim diſponit.

36 id eſt, ſingularis ſingularum rerum diſpenſatio, quam infinita Dei providentia in infinitum rebus omnibus adhibet ſingulariter.

## Cap. XVII.

*Pacis & prudentiæ bonum Deo probatæ explicatur; malignitas & contemtus pauperum condemnatur; propagatio generis, dignitas incorrupta, charitatis officia, reprehenſionū effecta, vitatio ſtultorum, maleficorum, rixoſorum, injuſtorum, & inſipientium, certorum amicorum comparatio, litigioſorum, perverſorumque declinatio; generis depravati, triſtitiæ, corruptionis, temeritatis, injuſtæque reprehenſionis malum, & modeſtiæ bonum enarrantur.*

1 ‖ MElior eſt buccea *cibi* ſicci, quîcum *eſt*
tranquillitas; quàm domus [1] plena *a*
mactatis animalibus, in qua *ſit* contentio.
2 [2] Servus intelligens dominatur in filium
[3] pudefacientem, & [4] inter fratres partitur poſ-
ſeſſionem.
3 [5] Fuſorium vas argento *adhibetur*, & cati-
nus auro: qui autem probat corda, *eſt* Jehova.
4 Maleficus attendit ad *b* ſermonem mo-
leſtum, *c* fallax aurem advertit ad linguam *d*
ærumnoſam.
5 ‖ Qui ſubſannat pauperem, probro affi-
cit opificem ejus; qui delectatur calamitate, *e*
non impunis erit.
6 Corona ſenum *ſunt f* nepotes, & orna-
mentum filiorum *ſunt* patres ipſorum.
7 [6] Ingratus *eſt* ſtulto *g* ſermo excellentiæ,
multò magis ingenuo ſermo *h* vanus.
8 [7] *Velut i* gemma gratiſſima *eſt* munus in
oculis *k* dediti ei; [8] quocumque ſpectet, pro-
ſperatur.
9 [9] Qui tegit defectionem, quærit dilectio-
nē: qui verò [10] renovat rem, disjungit [11] ducē.
10 Urit increpatio prudentem, magis quàm
ſi *l* percutias ſtolidum centies.
11 Tantùm rebellionem quærit malus: tā-
dem [12] nuncius crudelis mittetur in eum.
12 [13] Occurrat urſa orba in virum, ac non
ſtolidus in ſtultitia ſua.
13 Qui reddit malum pro bono, non amo-
vetur malum à domo illius,
14 [14] Laxat aquas, *qui eſt* caput contentio-
nis: quare antequam [15] ſeſe immiſceat, litem
ipſam deſere.
15 Qui *m* abſolvit improbum, & qui *n* con-
demnat juſtum; abominationi Jehovæ *ſunt*
æquè ambo.
16 [16] Ecqua re pretiū *eſt* in manu ſtolidi? ad
poſſidendum ſapientiam? at deeſt animus *illi*.
17 Omni tempore diligit, qui amicus eſt;
& frater in anguſtia [17] enaſcitur.
18 Homo *o* demens [18] complodit manum,
ſpondens ſponſionem [19] ante amicum ſuum.
19 [20] Diligit defectionem, qui diligit jurgiū:
*p* [21] ampliat januā illius, qui quærit fracturam.
20 Perverſus animo nō *q* conſequetur bo-
num, & verſutus lingua ſua incidet in malum.
21 Qui gignit ſtolidum, *gignit* ad mœro-
rem ſibi; neque lætaturus eſt pater ſtulti.
22 Animus lætus [22] benè medicinam facit,
ſpiritus autem fractus exſiccat [23] oſſa.
23 Munus è ſinu [24] improbus accipit, ad
pervertendum itinera juris.
24 [25] Adeſt faciei prudētis ſapientia, [26] oculi
autem ſtolidi *vagantur* ad extremitatē terræ.
25 Indignationi *eſt* patri ſuo filius ſtolidus,
& amaritudini genitrici ſuæ.

‖ *ſupr*. 15.17.
1 id eſt, lautiſſimarum epularum locus, ac vino abundantium, quo invaleſcente contentiones fervent.
a *Heb. mactationibus contentionis.*
2 i. prudentia infimos extollit, ſummos verò dejicit impudentia.
3 ut ſup. 10.5.
4 i. hæreditatem cum fratribus adit, filii pudefacientis loco.
5 i. omnia probant homines arte, præterquam hominum mentes; quas unus Deus ſcrutatur: Jirmejæ 17.9. & 10.
b *Hebr. labium moleſtiæ.*
c *Hebr. vir falſitatis.*
d *Hebr. ærumnæ.*
‖ *ſupra* 14.21.
e *Hebr. non innocens erit.* *Exod.* 20.7.
f *Heb. filii filiorū.*
6 ſi homo nihili, inquit, elegantes ſermones & libero homine dignos inique ferre ſolet; quanto magis vir ingenuo & liberali animo ſermones illiberales & vanos odiſſe debet? vel ſi illum dedecent ſermones boni, quanto magis hunc mali?
g *Hebr labium: ſic deinceps.*
h *Heb. falſitatis.*
7 i. munus corruptionis in conſtuprandis judiciis gratioſiſſimum eſt apud avaros judices; ac proinde facit, ut qui judicia corrumpit, optatum ſuum conſequatur.
i *Heb. lapis gratiæ.*
k *Heb. domini ſui: ſic ſupr.* 1.19.
8 i. ad quemcūque finem munus corruptionis oblatum ſit, is ſuccedit ex ſententia animi.
9 i. qui defectiones & offenſas partium inter ipſas diſſimulat, is optimus eſt amicitiarum conſervator & conciliator.

10 i. recordādo refricat & offēſiones inſtaurat. 11 ut ſup. 16.28. l *Heb. percutere.*
12 i. carnifex, aut quiſquis eſt adminiſter judiciorū Dei in ſtultum non reſipiſcentem plagis. 13 i. ſatius fuerit in hoc quàm in illud incidere: de gravitate autem periculi ab urſis, vide 2. Sch. 17.8. Hoſch. 13.8. 14 i. perinde facit at ſi ora ſtagnorum & emiſſaria reſeraret, quibus exundet aqua, & abripiat quoſque obvios: neque de integro obturandi & coercendi aquas facultatem habet.
15 i. fundatur, & exundet latius: quaſi dicat, principiis obſta. m *Heb. juſtificat.*
n *Heb. improbat.* 16 quaſi dicat, nihil prodeſt ſtulto, imò miſerum eſt manibus plenis eſſe, & animo nullo, aut planè vacuo: indignus eſt bonis, qui dedignatur ſapientiam. 17 i. emergit vis amicitiæ illius germanæ, quæ priùs ſecundis rebus non fuerat explorata. o *Heb. defectus corde.* 18 ut ſup. 6.1. & 11.15.
19 i. leviſſimè, non exſpectans dum rogetur ab amico ſuo ut fidejubeat.
20 i. auctor contentionum & inflammator rixoſus diligit omne malum, quū nullum malum non oriatur ex contentionibus. p *Heb. exaltat.* 21 i. quo magis procurat ut diſſuantur & diſrumpantur amicitiæ, contentionibus excitatis, eo majorem januam nequitiæ & defectionis aperit. q *Hebr. inveniet.*
22 i. benè afficit hominem totum, adeò ſalubris eſt. 23 i. etiam intima & validiſſima corrumpit. 24 ſive litigator dans munus depromtum è ſinu ſuo, ſi ejus dex accipiens.
25 i. ipſe vultus ſapientis conſtans & placitus index eſt ſapientiæ.
26 i. oculi ipſi ſtultorum inconſtantes & vagi ſunt, adeò ut animorum inſtabilitatem indicent, & vacuitatem ſapientiæ.

26 Mulctare etiam juſtum, non *eſt* bonum;
percutere ingenuos præter rectum.
27 Cohibet ſermones ſuos *r* vir ſcitus; &
[27] frigidus *eſt* ſpiritu, vir *ſ* intelligens.
28 Etiam ſtultus *t* quietè conſiſtens, ſapi-
ens reputatur; obthurans labia ſua, prudens.

r *Hebr. ſciens ſcientiam.*
27 id eſt, moderatus, continens, ſedatus animo, qui non præceps exardeſcit in irā, ſed ab æſtu animi prudenter cavet.
s *Heb. intelligētia.*
t *Heb. ſilens ut Exod.* 14.14.

## Cap. XVIII.

*Obſtinatorum notæ, improbitatis fructus & ſapientiæ, judiciorum æquitas in ſermonibus & prudentia, ſuſurronum pigrorumque damna, fiduciæ in Deum fructus, confidentiæ in divitias & temeritatis effecta, patientiæ & prudētiæ bona maximè in contentionibus, linguæ uſus, piæ uxoris utilitas, divitum pauperumque ratio, & amicitiæ neceſſitas exponuntur.*

1 [1] PRo deſiderio quærit *a* cerebroſus, *b* o-
mnibus quæ ſunt [2] immiſcet ſe.
2 Non delectatur [3] ſtolidus intelligentia,
ſed *c* [4] iis quæ exſiſtunt in animo ipſius.
3 ‖ Adveniente improbo advenit etiā con-
temptus, & cum *d* ignominioſo probrum.
4 ‖ *Velut* aquæ profundæ *ſunt* verba ore
viri præſtantis *enunciata*; torrens eructans, *eſt* [5]
ſcaturigo *præditi* ſapientia.
5 ‖ Accipere *e* perſonam improbi non *eſt*
bonum, pervertere juſtum in judicio.
6 *f* Sermones ſtolidi ineunt contētionem,
& os ejus [6] contuſiones advocat.
7 Os ſtolidi contritioni *eſt* ei, & labia ejus
tendicula *g* vitæ ejus.
8 [7] Verba ſuſurronis ſimilia *ſunt verbis* eo-
rum qui ſæpenumerò contuſi ſunt: attamen
deſcendunt [8] in penetralia ventris.
9 Etiam ſe gerens remiſsè in opere ſuo, [9]
frater eſt *h* diſperdenti.
10 ‖ Turris *i* robuſta *eſt*, nomen Jehovæ;
quò accurrens juſtus, in edito collocatur.
11 ‖ Subſtantia divitis *eſt tamquam* urbs *k*
munita ejus, & tamquam murus editus in co-
gitatione ipſius.
12 ‖ Ante confractionem attollit ſe ani-
mus viri: anteit verò honorem abjectio.
13 Reſpondenti *l* aliquid, quum nondum
audierit; *id m* ſtultum *eſt* ei & ignominioſum.
14 Spiritus viri [10] ſuſtentat ægritudinem i-
pſius, ſpiritum autem fractum quis attollat?
15 Animus prudentis [11] poſſidet ſcientiam,
& auris ſapientum [12] quærit ſcientiam.
16 Donum hominis *n* [13] in lato collocat
eum, & ante faciem magnatum adducit eum.
17 [14] Juſtus videtur qui primus eſt in lite
ſua, donec adveniente proximo ejus, perveſti-
get illum *judex*.
18 Contentiones *o* ſubmovet ſors, & inter
robuſtos dirimit.
19 [15] Frater defectione provocatus *firmior*
*eſt* urbe munita, & contentiones *horum ſunt*
ut vectis arcis.
20 ‖ Fructus oris *p* cujuſque ſatiatur venter
ejus, proventu labiorum ſuorū *quiſq;* ſatiatur.
21 Mors & vita *ſunt q* in poteſtate linguæ:

1 id eſt, vir αὐθάδης, pervicax, in ſenſu animi ſui cōquieſcens, aliena conſilia ſpernens, ſéque ab omnium cōſortio & communicatione ſubducens, denique nihil non faſtidiens præ ſe, nihil procurat niſi pro libito.
a *Heb. diſparans ſe.*
b *Hebr. in omni eſſentia.*
2 nimirum pro deſiderio rebus æquè alienis ac ſuis.
3 nimirum cerebroſus ille, & pervicax.
c *Heb. revelantibus ſe cordi ſuo: infinitivus pro participio.*
4 i. omnibus quæ ipſi veniunt in mentem.
‖ *ſup.* 11.2.
d *Heb. viro ignominiæ.*
‖ *ſupr.* 13.14.
5 i. os ſapientis profundens & communicans largè ſapiētiam.
‖ *Deut.* 1.17.
e *Heb. vultus.*
f *Heb. labia.*
6 i. ſibi accerſit malum: ut ſequ. verſu.
g *Heb. animæ.*
7 i. ſuſurro apud eos quorū perniciem machinatur, ſe quam maximè abjicit, Deum & homines teſtatur, fidē implorat, & omnibus nervis cōtendit ut abjectiſſimus eſſe videatur ad tegendas fraudes ſuas, & conciliandam fidem: ut Pſalm. 10.10.
8 i. cor ipſum transfigunt.
9 i. alter bonorum diſſipator eſt: propè tantūdem facit quantum helluones, nepotes, & patrimoniorum decoctores.

b *Heb. domino diſperditionis.* ‖ *Pſal.* 61.4. & 91.14. i *Heb. roboris.*
‖ *ſupr.* 10.15. k *Heb. roboris.* ‖ *ſupr.* 16.18. & 15.33. l *Heb. verbum ſive rem.*
m *Hebr ſtultitia eſt ei & ignominia.* 10 id eſt, erectum conſervat, & conſolatur in afflictionibus ejus. 11 id eſt, ita obtinet, ut eam ſibi adimi non ſinat ulla ægritudine aut malo. 12 ſi ea ampliùs opus habet ad ſuſtentandum ſe.
n *Hebraic. dilatat eum.* 13 id eſt, liberat eum ab anguſtia, & evehit.
14 id eſt, qui primus cauſam ad judices defert, juſtam cauſam videtur agere, donec audiatur adverſarius & de lite cognoſcatur; aut, ſi nulla ſe offert cognoſcendi ratio, ſors litigantes dirimat, ſequente verſu. o *Heb. ceſſare facit.*
15 id eſt, fratrum offenſorum iræ ſunt acerbiſſimæ & violentiſſimæ: quæ non citiùs domari poſſint, quàm expugnari munita opida; aut citiùs frangi, quam vectes validiſſimi. ‖ *ſupr.* 12.13. & 13.2. p *Heb. viri.* q *Heb. in manu.*

16 prout

[16] prout *quiſque* amat uti ea, comedet fructum
ejus.
22 [17] ‖Conſequitur bonum *qui* conſequitur
uxorem; ut provehit benevolentia à Jehova.
23 Supplicationes eloquitur pauper, di-
ves autem loquitur *r* aſperè.
24 *ſ* Viro cui ſunt amici, colenda *eſt* amici-
tia: [18] Eſt enim amicus conjunctior fratre.

[16] i. ut ſeverit, ita metet: maledicentia quidem mortem, vitam verò bonus uſus linguæ.
[17] videlicet quum inde à creatione non fuerit bonum hominem eſſe ſolum, Gen. 2. 18. ordinem autem verborum evidentiæ cauſa vertimus. ‖ *Inf.* 19. 14. *r* *Heb. robuſta: ut Gen.* 42. 1. *ſ* *Heb. viro amicorum.* [18] i. inveniuntur amici, qui plus quam fraternas amicitias colant: ut ſup. 17. 17.

## Cappvt XIX.

*Integritatis laus, inconſideratæ vitæ reprehenſio, divitiarum pretium, paupertatis uſus, falſitatis, elationisque in ſtolidis & ſervis indignitas, clementia, regia auctoritas, domeſtica mala a liberis & uxore obvenientia, pigritia, obedientia, miſericordia, liberorum inſtitutio, cogitationum à Deo præſtatio, beneficientia, reverentia Dei, fatuorum informandorum ratio, filiorum inſtitutio falſorumque teſtium malitia & pœna exponuntur.*

1 Melior *eſt* pauper ambulans *a* integrè [1] *di-*
*vite* perverſo labiis ſuis qui *quidem* eſt
ſtolidus:
2 [2] Æquè *b* cujus nō dignoſcit animus quod
non eſt bonum, ac præceps pedibus peccat.
3 Stultitia hominis pervertit viam ipſius, &
adverſus Jehovam indignatur *c* animus ejus.
4 ‖ Subſtantia addit amicos multos, tenuis
autem ab amico ſuo diſiungitur.
5 ‖ Teſtis falſitatū non impunis erit, & con-
flator mendaciorum non proripiet ſe.
6 Multi precantur faciem ingenui, & quiſ-
que amicus adhæret viro *d* munifico.
7 Omnes fratres pauperis [4] odio habent
eum; quanto magis ſocii ejus procul abſunt
ab eo? [5] perſequente verbis, [6] non ſunt ii.
8 [7] Poſſidet animum, qui diligit *e* ſe ipſum;
qui obſervat intelligentiam *f* eſt conſequutu-
rus bonum.
9 ‖ Teſtis falſitatum non erit impunis, &
conflator mendaciorum peribit.
10 [8] ‖ Non decet ſtolidum oblectatio, mul-
tò minùs ſervum dominari in principes.
11 ‖ Intellectus hominis *g* longanimem ef-
ficit eum; & ornamento *eſt* ei, [9] præterire defe-
ctionem.
12 [10] ‖ Ut rugitus leonis juvenis, *eſt* indigna-
tio regis; ut ros autem ſuper herbam; benevo-
lentia ejus.
13 *h* ‖ Ærumnarum cauſa *eſt* patri ſuo filius
ſtolidus, [11] & ‖ ſtilla continua jurgia mulieris.
14 Domus & ſubſtātia poſſeſſio *eſt i* patria,
[12] ‖ à Jehova autem *eſt* uxor intelligens.
15 [13] ‖ *Dedita* pigritiæ, quæ injicit altum ſo-
porem; & doloſa anima eſuriet.
16 Qui obſervat præceptum, ſervat *k* ſe i-
pſum; qui ſpernit vias ſuas, [14] ſupplicio affectus
morietur.
17 [15] Mutuat Jehovæ, qui gratioſè largitur
tenui; & beneficium ipſius rependet ipſi.
18 Caſtiga filium tuum, dum eſt ſpes, & *l* ad

*a* *Heb. integritate ſua.*
[1] Eclipſis contrarii ſupplenda ex comparatione membri cō parati oppoſiti: vide Gen. 33. 10.
[2] i. quemadmodum ſibi malè conſulit qui non reſpicit ad pedes, ut diſcernet iter commodum ab incommodo; ita etiam peccat, qui animo inconſiderato fertur non ſecernens bonum à malo: cujus inconſiderati animi conſequentia exponitur verſ. ſeq.
*b* *Heb. ut ig. ſ. are animam non bonum.*
[3] i. non ſibi, ſed Deo attribuit caſum ſuum: ut qui inconſideratè offendit, arguit lapidem.
*c* *Heb. cor ſic deinceps.*
‖ *Sup.* 14. 20.
‖ *Inf.* v. 9.
*d* *Heb. domi.*
[4] i. tam negligunt quàm ſi odiſſent: ut Deu. 21.
[5] i. quantumvis illos verbis & precibus ſollicitet.
[6] putà qui ante fuerant, q. d. nemo jam frater aut ſocius illius, quamvis ſupplicis dignatur eſſe.
[7] i. pauper & afflictus, ſi amat ſalutem ſuam, non proptereà animum abjiciet; ſed patientiâ poſſidet animam ſuam Luc. 21. 19.
*e* *Heb. animam ſuam.*

*f* *Heb. ad inveniendum.* ‖ *Sup. v.* 5. [8] i. ſtolido conveniunt flagra, ut ſup. 10. 13. & ſervitus ſervo: non autem deliciarum copia, aut dominatio; quibus uti neſciunt. ‖ *Inf.* 30. 22. ‖ *Sup.* 16. 32. *g* *Heb. prolongat iram ejus.* [9] nimirum quum aut diſſimulari bona fide poteſt, aut ex uſu & neceſſitate futurum eſt: quo argumento exempla Davidis proponuntur 2. Sche. 3. 38. & 16. 10. [10] i. lethalis eſt illius indignatio, & vitalis benevolentia. ‖ *Sup.* 16. 14. & 15. *h* *Hebr. ærumna.* ‖ *Sup.* 17. 25. [11] i. virum familiamque exedit rixoſa mulier, ut ſtillicidium lapidem. ‖ *Inf.* 27. 15. *i* *Heb. patrum.* [12] ſingulari modo. ‖ *Suprà* 18. 22.
[13] i. & pigri ceſſantes ab officio, & fraudulenti contra officium venientes, judicio Dei punientur. ‖ *Sup.* 10. 4. & 5. & 13. 4. *k* *Hebr. animam ſuam.*
[14] hoc verbum, quia ſcripturâ compoſitum eſt, ita viſum eſt reddere.
[15] i. Jehova beneficium pauperi collatum, fert acceptum ſibi. *l* *Heb. ad mortem afficere eum: infinitivus pro nomine.*

perniciem ejus ne condonato animus tuus:
19 [16] Magnus eſto excandeſcentia, condo-
nans mulctam: *dicens* te, ſi eripias, deinde am-
pliùs *m* mulctaturum.
20 Auſculta conſilio; & accipe eruditionē;
ut ſapias *n* tandem.
21 ‖ Multæ cogitationes inſunt animo cu-
juſque, ſed conſilium Jehovæ ipſum ſtabit.
22 [17] Quod ſummè *o* deſideret homo, *eſt* be-
nignitas ipſius: at melior eſt pauper [18] viro
mendace.
23 Reverentia Jehovæ *p* vitalis eſt: [19] nam
ſatur *præditus ea* commoratur, nec viſitatur
malo.
24 ‖ Abditam habet piger manum ſuam
[20] in ſua manica, etiam ad os non reducit eam.
25 [21] Si deriſorem percutias, fatuus fiet aſtu-
tus; & corripiendo prudentem, intelliget ſci-
entiam.
26 [22] Devaſtat patrem, fugat matrem; filius
[23] pudefaciens, & afficiens probris.
27 [24] Deſine, fili mi, ut auſcultes eruditio-
ni, aberrare à ſermonibus ſcientiæ.
28 Teſtis nequam deridet jus: [25] adeò os
improborum abſorbet iniquitas:
29 *Sed* parata ſunt in deriſores iſtos judicia,
& contuſiones tergo ſtolidorum.

[16] i. quod ſi videbitur condonare pœnas meritas filio; ſaltè increpa graviſſimè, & indignationem præ te fer in peccatum ejus, addita interminatione hac; te ſi eripias, id eſt, abſolvas ab hac pœna merita, eò gravius deinceps hoc nomine caſtigaturum, quum in peccatum reciderit: ut Deus fecit Exod. 32. 34.
*m* *Heb. additurū mulctam.*
*n* *Heb. in extremitate tua.*
‖ *Sup.* 16. 1. & 9.
[17] i. nihil eſt tantoperè expetendum homini, imprimis diviti, quàm ut ex animo benefaciat.
*o* *Heb. deſiderium hominis.*
[18] i. divite beneficentiam denegante paupertatis ſpecie, aut non ex animo conferente:

*p* *Heb. ad vitam.* [19] i. vitam præſentem & futuram agit beatiſſimè: ut Pſal. 34. 10. & ſup. 14. 26. ‖ *Inf.* 26. 15. [20] i. piger ne tum quidem quum opus eſt maximè, manum exſerit extra os manicæ ſuæ, ut operi admoveat; ſed illam adeò ſtudioſè in ea continet, ut etiam cibum in os ſuum inſeri patienter ferat. Manicam autem reddidimus à forma gabatæ; cujus nomen per tranſlationem videtur manicis accommodari ironicè, hîc & inf. 26. 15.
[21] i. duob. modis inſtituuntur fatui ab alieno exēplo, verberibus improborum, & verbis documentiſque bonorum. [22] i. filius ſceleratus parentes evertit bonis; & eorum animos ita avertit à ſe, ut fugiant & exhorreſcant ipſum.
[23] vide ſup. 10. 5. [24] i. totum te dedito doctrinæ ſanctæ, ac proptereà animum & cogitationem avocato à rerum ſermonumque malorum conſuetudine. [25] i. quod iſte ludificatur jus, certa malitia facit; quæ ipſum totum poſſidet, ac velut abſorbet ſermones ejus, ut nihil niſi iniquitatem crepent eructentque. Quamobrem illorum ſupplicium ſeq. verſu exponitur.

## Capvt XX.

*Ebrioſorum, iras graves concitantium, pigrorumque vitia exponuntur: improborum probitatem ſermone, & opere externo fingentium hypocriſis repudiatur; ſimplicitas coram Deo & hominibus commendatur; pigritiæ, falſitatis in commerciis, temeritatis, malitiæq; damna, prudentium conſiliorum uſus, impietatis in parentes, ſubditarum opum, ultionis, falſitatis, ignorantiæ Dei, ſacrilegiiq; mala à Deo & hominum judicio obvenientia, juventutis, & ſenectutis ornamentum, improborumque fræni oſtenduntur.*

1 [1] Deriſor *eſt* vinum, tumultuoſus potus
inebrians: ideò quiſquis oberrat in eo,
non ſapit.
2 Ut ‖ rugitus leonis juvenis, *eſt* terror re-
gis; in quem furore percitus fuerit, peccaverit
*a in* vitam ſuam.
3 *b* Honorificum viro *eſt* ſuperſedere à lite:
quiſquis autem ſtultus *eſt*, immiſcebit ſe.
4 *Qui* propter hiemem piger, non arat;
mendicabit in æſtate, [2] quum nihil *aderit*.
5 [3] *Ut* aquæ profundæ, conſiliū *eſt* in *c* ani-
mo viri; attamen vir *d* intelligens haurit illud.
6 *e* Maxima pars hominum, prædicat quiſ-
que benignitatem ſuam: virum autem [4] uſque-
quaque *f* veracem quis inveniat?
7 Indeſinenter ambulans in integritate ſua
juſtus *beatus eſt*, beati filii ejus poſt eum.
8 Rex [5] inſidens ſolio judiciali, ventilat in
[6] oculis ſuis omne malum.

[1] i. vinum ita ludificatur vinolentos, ut deriſores & tumultuoſi fiant, itaque apud alios præbeant ſeſe ridiculos.
‖ *ſup.* 19. 12.
*a* *Heb. anima ſua.*
*b* *Heb. honor.*
[2] i. quum ſe egentem videt, & vacuitatem ſolam reportat pigritiæ fructum:
[3] i. adeò profundę ſunt hominis cogitationes, ut nemo noverit eas, niſi ſpiritus hominis qui eſt in ipſo, 1. Corint. 2. 11. ſed eas tamen rimatur, obſervat, recognoſcit, & expiſcatur prudens inf. v. 27.
*c* *Heb. corde: ſic deinceps.*
*d* *Heb. intelligentiæ.*
*e* *Heb. multitudo hominum.*

[4] i. qui quantum de ſe prædicat tantumdem bona fide præſtet. *f* *Heb. fidelitatum.* [5] i. jus dicens exſequitur: ſynecd. [6] i. inſpectionem faciens ipſe, cognitionem habens, judicium ferens, & judicatum fieri curans, ſynecdochicè:

|| 1.Reg.8.46. g Heb.lapis & lapis: Deu.25.13.& 14.ſup.11.& 16.1.& inf.v.23. 7 i. nemo unquam ſit hypocrita, aliudve lingua aut opere ſimulet, & aliud geſtet animo; ſed inde à pueritia ſe totum ad veritatem & ſimplicitatem cóponat. 8 ætiologia ſuperioris verſus: veritas & ſimplicitas (inquit) colenda eſt animo & ſenſibus. nam Deus homini animum & ſenſus indidit, ac proinde cognoſcit eos penitùs: ut pſal. 94.7 & ſeq. || ſup. 6. 9. & ſeq & 19.15. 9 i. invigila rebus tuis, & bene erit tibi. h Heb.malum malum: vide Gen. 9.25. 10 i.emtor ut merces minore comparet, linguam verſat & commaculat mendaciis, dicens, peſſimum eſt tanti facere te mercem tuã, & tantiſper (quod aiunt) aginatur dum merces auferat; profectus verò ſibi mercatum ſuum gratulatur: ſed utcumque pretioſas merces comparaverit, nihil eſt labiis ſcitis & ſanctis pretioſius ſeq.ver. Similiter autem de venditore dicendum eſt, qui itidem ut emtor, res ſuas pluris faciendo pretium oblatum averſatur dicés, hui, tantam rem tam parvi facere? quamobrem ſeq.ver. utrumque membrum apponitur, &

9 || Quis dicere poſſit, purificavi animum
meum; mundus ſum à peccato meo?
10 g Diverſa pondera, diverſæq; menſuræ;
abominationi *ſunt* Jehovæ æquè utraque.
11 [7] Actionibus ſuis præbeat ſe cognoſcen-
dum etiam puer, an purum & an rectum *ſit* o-
pus ejus.
12 [8] Aurem audientem & oculum viden-
tem, Jehova fecit æquè utrumque.
13 || Ne diligito ſomnum, ut non efficiaris
pauper; [9] aperi oculos tuos, ſatiare cibo.
14 *h* [10] Peſſimum *eſt*, ait emtor; ſed quum
*i* digreſſus fuerit, tum ſe ipſum laudat:
15 Eſt aurum & copia carbunculorum *pre-
tioſa*: at inſtrumentum *k* pretioſiſſimum *eſt*
labiorum ſcientiæ.
16 [11] Cape veſtem ejus, qui ſpopondit *pro*
extraneo; & pro aliena *ſpondentem*, pignerare
eum.
17 [12] Suavis *eſt* viro cibus falſitatis; ſed poſt-
eà impletur os ejus ſcrupis.
18 Cogitationibus in conſilio confirmator,
& prudentibus conſiliis gere bellum.
19 [13] || Revelanti arcanũ, qui ambulat cum
detractione; & ei qui ſeducitur labiis ſuis, ne
admiſceto te.
20 Maledicentis patri ſuo aut matri ſuæ;
[14] exſtinguetur lucerna *l* in nigris tenebris.
21 Poſſeſſioni [15] acceleratæ in principio, et-
jam fini illius non benedicetur.
22 [16] || Ne dicas; rependam malum; [17] ex-
ſpecta Jehovam, & ſervabit te.
23 || Abominationi *ſunt* Jehovæ *m* diverſa
pondera; & lances *n* doloſæ nõ *ſunt* res bona;
24 || A Jehova *ſunt* greſſus viri: [18] homo au-
tem quid intelligit viæ illius?
25 [19] Tendicula *eſt* homini deglutire ſa-
crum, & [20] poſt vota requirere.
26 [21] Ventilat improbos rex ſapiens, poſt-
quam [22] convertit in eos rotam.
27 [23] || *Velut* lucerna Jehovæ *eſt* anima ho-
minis, *qua* perveſtigat omnia penetralia ven-
tris.
28 [24] Benignitas & fides cuſtodiunt regem,
& ſuſtentat benignitate ſolium ſuum.
29 *o* Ornamento juvenibus *ſunt* vires ipſo-
rum; & *p* decori ſenibus canities.
30 Tumices, vulneraq; *q* [25] ſtrigiles *ſunt* pro
malo, & plagæ *pervadentes* penetralia ventris.

aurum quo emtor merces comparat, & gemmæ quas venditor pretio accepto tradit. i *Heb.digreſſus ſibi, ut Gen* 11.33. k *Heb.vreti.* 11 i.ab eo qui leviter ſe immiſcet negotiis alienis, & fidem ſuam interponit temerè, ne metuito pignus exigere: nam ſi temerarius eſt in rebus ſuis, non ſapiet in tuis; quod vulgo dici ſolet, Qui ſibi ipſi non ſapit, nec aliis ſapit: vide ſup 12.15. neque pugnat documentum hoc cum mandato Dei, Exod.22.26. nam illic agitur de paupere fratre propter difficultates ſuas domeſticas mutuante; hîc autem de ſponſore temerario; qui ſi pauper eſt, non poteſt creditoribus ſatisdare, ac proinde ſponſio illius accepta eſſe: vide inf.22.26. 12 i. primùm quidem delectat virum falſitatis fructus; ſed poſteà damnoſus eſt & exitialis ut ſup.9.17.& ſeq.& 14 & 12.
|| *ſup.*11.13. 13 i.conſilia ini cum ſapientibus. cave à malitioſis detractoribus, & ab imperitis futilibuſque vitis. 14 i.omni proſperitate privabitur, planè maledictus erit in hac & futura vita. l *Heb.in nigredine tenebrarum.* 15 i.celeriter comparatæ: nam non poſſunt opes celeriter, niſi ex vanitate comparari.
16 i.abſtine ab omni vindicta, & vindictæ ſtudio. || *Lev.*19.18. 17 i. vindictam committite Deo, dicenti, mea eſt ultio: ut Deut.32.35. || *ſup.v.*10.
m *Heb.lapis & lapis: ut ſup.v* 10. n *Heb doli.* || *Pſal.*37.23 *ſup.*16.9.
18 i.etſi Deus ſingulis hominum paſſibus actionibuſq; moderatur; tamen infinita eſt hominis ignorantia, cùm non intelligat; & oſcitantia, cùm non animadvertat mirificam & ſingularem adminiſtrationem illius. 19 i. laqueos mortis ſibi induit quiſquis Deum offendit, res ipſius aut ſacras aut conſecrandas avertendo, i.tollendo quod jam illius eſt, aut quod illi debetur retinendo.
20 i. laborem in eo conſumere, ut retineantur res votivæ & promiſſæ Deo, Deut.23.21.& ſeq. 21 i.bonus rex improbos ferre non poteſt; ſed quàm diligẽtiſſimè perſequitur atque exterminat, ut bonus colonus paleam & acus disjungit à tritico. 22 i.excuſſit, velut currente tota diſcutiuntur grana à paleis in trituratione: de hac trituræ forma, vide Jeſchah.28.ſub finem. 23 i. Deus in hominis animo accendit lucem, qua res penitiſſimas introſpiciat: ac proinde regis ſapientis animo prælucet, ut recognoſcat improbos terat, & ventilet, vide inf 25.2.& 3. || *ſup.v.*5. 24 vide pſal.101. o *Heb. ornamentum juvenum.* p *Heb decus ſenum.* q *Hebr. abſterſio.* 25 i.mali graviſſimis pœnis ſunt coërcendi, & in officio continendi: ut equis ſtrigoſis deſtringendis, & cogendis refractariis ſtrigiles, calcaria, & alia ejuſmodi adhibentur: ut ſuprà 10.13.

## Caput XXI.

*Potentiſſima Dei adminiſtratio juſtiſſimaque; inconſiderati animi, malè partarũ opum, improbitatis, inconſtantiæ muliebris, invidiæque damna; documentorum & judiciorum uſus; inhumanitatis pœna; donorum vis; injuſtitiæ, luxus, muliebrium contentionum mala cum juſti adminiſtratione comparata fructibuſque juſtitiæ & ſapientiæ; ſuperborum, pigrorum, improborum, mendacium, perverſorumque eventa proponuntur, & omnia conſilia Dei tribuuntur.*

1 [1] VT rivi aquarum, *ſic a* animus regis *eſt*
in manu Jehovæ; quocumque vult, in-
clinat eum.
2 || Unaquaque viâ *ſuâ* vir rectus *videtur* in
oculis ſuis; ſed perpendit animos Jehova.
3 [2] Exercere juſtitiam & jus, magis dilectum
*eſt* Jehovæ quàm ſacrificium:
4 *b* Elatio *verò* oculorũ, & amplitudo ani-
mi; [3] aratio *deniq;* improborũ, [4] peccatum *eſt*.
5 || Cogitationes ſeduli, tantùm emolumẽ-
to *ſunt*: omnes autem præcipitis, tantùm ad e-
geſtatem *pertinent*.
6 *c* [5] || Comportati theſauri lingua falſita-
tis; vanitas impulſa *ſunt hominum* quæren-
tium mortem.
7 [6] Vaſtitas improborum diſſecabit ipſos,
quia renuunt exercere jus.
8 Quiſquis *d* viâ *ſua* volubilis eſt, is [7] alie-
nus *eſt*: purus autem, cujus rectum *eſt* opus.
9 || Melius eſt habitare [8] in angulo tecti;
quàm *cum* muliere contentioſa, *e* & domo
communi *habitare*.
10 Animus improbi [9] deſiderat malum, nõ
gratioſus videtur in oculis ejus proximus ipſius.
11 || Quum mulctatur deriſor, reſipiſcit fa-
tuus; & quum intelligentia imbuitur ſapiens,
percipit ſcientiam.
12 [10] Intelligentiâ imbuit juſtum ad domum
improbi, qui pervertit improbos in ipſorum
malum.
13 Qui obthurat aurem ſuam à clamore te-
nuis; etiam ipſe clamabit, ſed non exaudietur.
14 [11] || Donum in abdito, evertit iram; & mu-
nus [12] in ſinu; excandeſcentiam vehementem.
15 Lætitiæ *eſt* juſto facere jus, contritioni
verò operam dantibus iniquitati.
16 Homo aberrans à via intelligentiæ, [13] in
cœtu vitæ expertium [14] quieſcet.
17 *f* Vir egens *erit*, [15] qui amat lætitiam; qui
amat vinum & *g* unguentum, non erit dives.
18 [16] Redemtio pro juſto *erit* improbus, &
loco rectorum perfidus.
19 || Melius eſt habitare in terra deſerti, quã
*cum* muliere contentioſa & indignabunda.
20 [17] Theſaurus deſideratiſſimus & un-
guentum *eſt* in habitaculo ſapientis; ſtolidus
autem homo abſorbet illud.
21 Qui ſectatur juſtitiam & benignitatem

1 i.eſt quidem animus hominum inſtabilis, & regum ac principum incertus maximè; de quo Artabanus optimè apud Herod. in Polymniâ, κατάπερ τὴν πάντων χρησιμωτάτην ἀνθρώποισι θάλασσαν, πνεύματά φασι ἀνέμων ἐμπίπτοντα οὐ περιορᾶν φύσι τῇ ἑωυτῆς χρῆσθαι. verumtamen ne ipſorum quidẽ regum animus ex ſeipſo permovetur, impellitur, inhibetúrque; ſed Deus in ſingulorum animis veluti clavum tenet agitque arbitratu ſuo, quemadmodũ agricola in aquæductibus & ſulcis rivos per prata ſolet diducere. a *Heb. cor: ſic deinceps.* || *ſuprà* 16.2. 2 i.mavult Deus obedientiam quàm ſacrificium, 1.Schem.15.22. & Jeſchah.1.10.& ſeq. Hoſch 6.7.& Micæ 6. ſuperciliosa verò, inſolens, & Phariſaica improborum juſtitia eſt abominationi, ſeq.ver. b *Heb efferri oculorum, &c. infinitivi pro nominibus.* 3 i. quicquid exarare & perficere improbi operibus ſuis moliuntur. 4 ac proinde ſunt exoſi Jehovæ: noſtima. || *Supra* 10.4.& 11.4. c *Heb.opus theſaurorum.* 5 id eſt, malè parta, malè dilabũtur, & ſuos auctores perdunt, ut ſequente verſu. || *Supra* 10.2.& 13.11.

6 id eſt, ipſi vaſtabuntur, peribuntque malo ſuo cum theſauris ſuis.
d *Heb.volubilis eſt vita viri. eclipſis. ut Gen.*9.6. 7 ſupple à puritate, de qua ſequentibus verbis: ſic Jacobi 1.8. || *Suprà* 19.13. *infrà* 25.24.
8 id eſt, loco importuniſſimo ſub dio, ubi ſolis, ventorum, pluviæ, omnibus denique cæli injuriis ſis expoſitus. e *Hebr. idque domo conſociationis.*
9 id eſt, flagrat invidia, & omnibus malè cupit præterquam ſibi.
|| *Suprà* 19.25. 10 id eſt, Deus judicia ſua per ſe aut per adminiſtros ſuos perficiendo in improbis, informat bonos. 11 & oblatum, & acceptum.
|| *Suprà* 17.8.& 18.16. 12 ut ſuprà 17.23. 13 id eſt, corruet ad mortem, in qua ſiſtere gradum & in æternum manere compelletur. 14 nimirum à ſua aberratione, conſtrictus vinculis mortis. f *Heb. egeſtatis.*
15 id eſt, quiſquis Sybariſſat, genio indulget, & luxui: ut duo exempla ſequentia docent. g *Heb.oleum, ut verſ.*20. 16 id eſt, in malum quod juſtis comparatur, improbi decidunt, & quaſi juſtorum redemptura eſſet, obtruduntur malo: ut ſuprà 11.8. juſti verò ab anguſtiis liberantur. || *Suprà verſ.* 9.
17 id eſt, ſapiens bona & ornamenta ſibi abundè comparat, & conſervat parta; quæ ſtolidus contrà abligurit.

conſe-

conſequetur vitam, juſtitiam,& honorem.
22 [18] Civitatem potentium conſcendit ſa-
piens, ac dejicit robur fiduciæ ejus.
23 || Qui obſervat os ſuum & linguã ſuam,
conſervat ab anguſtiis animam ſuam.
24 Superbi, contumacis, deriſoris nomen
*eſt* illi; qui exercet furore *ſuo* ſuperbiam.
25 || Deſiderium pigri [20] morte afficit eum:
quia renuunt manus ejus facere *quicquam*.
26 Totum diem *h* afficitur [21] deſiderio; ju-
ſtus verò dat, [22] neque cohibet *manum*.
27 || Sacrificiũ improborũ abominationi
*eſt*; quãtò magis, [23] *quum* ſceleratè offert illud?
28 [24] || Teſtis mendaciorum peribit; vir au-
tem [25] qui auſcultat, [26] in æternum loquetur.
29 [27] Obfirmat vir improbus faciem ſuam?
rectus autem, ipſe aptat viam quamque ſuam.
30 Nulla *eſt* ſapientia, nullaq; intelligentia,
& nullum conſilium; [28] ex adverſo Jehovæ.
31 || Equus aptatur ad diem prælii, ſed Je-
hovæ *eſt* ipſa ſalus.

[18] i. præſtat & ſuperat ſapientia robur: ut Eccleſiaſtæ 9.14. & duobus ſequentibus. || *Sup.* 18.21. [19] i. qui ſuperbè facit, dignus eſt cui publica ſuperbiæ nota inuratur. Hanc autem interpretationem, ex fide antiquiſſimi codicis manu ſcripti de bibliotheca Illuſt. Principis Palatini electoris amplexi ſumus. || *Suprà* 13.4. [20] quia non advenit; ut dicitur ſuprà 10.4. contrà enim arbor eſt vitæ deſiderium adveniens: ſup. 13.12. h *Heb. deſiderat deſiderio.* [21] tantum abeſt ut bona aliis largiri poſſit. [22] nimirum ab opere, ut piger facit: ac proinde comparat in dies quod det labore ſuo: ut Eph.4.28. || *ſup.* 1.8. [23] i. ſcelerato animo, ut Bilham, Nu.23. & rationibus ſceleratis interdictiſque à Deo, ut Mal.1. [24] i. qui temerè mendacia pro teſtimonio dicit, & res incompertas inauditaſque effudit. || *Sup.* 19.5. [25] i. auritus teſtis, etiamque oculatus; denique quiſquis res compertas cognitaſque teſtatur, ſynecdochicè. [26] i. omni tempore & loco ſecurè teſtari poteſt: figuratum dicendi genus, & hyperbolicum; ut Horatius, Serviet æternum, qui parvo neſciet uti. [27] i. improbus obſtinatè libidinem ſuam, non officium curat, & pudorem omnem abjicit: contrà verò rectus officio incũbit, neglectiſque omnibus ſtudiis & perturbationibus carnis honori ſuo conſulit: metaphora à viatoribus, quorum illi tumultuariè oberrãt, hi verò circũſpiciunt & cõparant iter ſuũ. [28] i. quæ cũ ſapiẽtia, intelligentia, conſiliove Dei cõparati poſſint, aut ei obſiſtere: ut ſequẽtis v. exẽplo demõſtratur. || *Pſal.* 3.9. & 33.17.

## CAPUT XXII.

*Fama prædicatur, prudentia & timore Dei comparata: juventutis inſtitutio, divitiarum uſus, ſuperbiæ abdicatio, ſimplicitatis & gratiæ cura, inertiæ & ſcortationis malum, puerilis diſciplinæ bonum, & mala ex avaritiæ ſtudio provenientia exponuntur: deinde propoſita novæ doctrinæ commendatione ſubjiciuntur interdicta de non opprimendis infirmioribus, non adjungendis iracundis, non exhibenda temeritate, neque movendo termino; ſed diligentia ad opus adhibenda.*

1 OPtatius *eſt* [1] nomen divitiis amplis ar-
gento & auro gratia melior.
2 [2] Dives & pauper inter ſe occurrunt, effi-
ciente hos omnes Jehova.
3 Aſtutus prævidens malum abſcondit ſe,
fatui autem [3] tranſeuntes mulctantur.
4 Præmium manſuetudinis *cum* reveren-
tia Jehovæ; *ſunt* divitiæ & honor, & vita.
5 [4] Aculei, laquei *ſunt* in via perverſi: qui
obſervat animam ſuam, procul erit ab eis.
6 Inſtrue puerum *a* [5] pro ratione viæ ipſi-
us; etiam quum valdè ſenuerit, non recedet ab
illa.
7 [6] Dives in pauperes dominatur: & ſervus
*fit* qui mutuatur viro danti mutuum.
8 [7] || Qui ſeminat iniquitatem, metet mo-
leſtiam: & [8] virgâ furoris ſui deficiet.
9 [9] Bonus oculo, ipſe benedicetur; quum
dederit de pane ſuo tenui.
10 [10] Ejiciendo deriſorẽ, ſimul exibit con-
tentio; ceſſabitq; litigium & ignominia.

[1] i. fama & gloria, ut Eccleſiaſtæ 7.1. [2] ἐναντία ſuperioris documenti: nõ eſt (inquit) bonum conſtãs in divitiis, aut malum in paupertate poſitũ; commeant ſemper, ac veluti viatores, divites in pauperum locum, pauperesq; in divitum bona tranſeunt, auctore & diſpenſatore Deo: ſed prudentia, manſuetudo & reverentia Dei, duobus ſeq. ꝟ. nomen & gloriam comparat, quæ omnibus illis caducis divitiis longè anteponenda eſt. [3] i. temerè & imprudenter quocumque rapit animus animus ſeſe inferentes, itaque ſubeuntes mala. [4] antitheſis ſuperioris verſus: ut prudentibus, manſuetis, reverentibuſque Jehovam ſunt opulentiſſimi honores & vita; ſic contrà perverſos confodiunt duriſſimi infamiæ aculei, & mortis laquei, ſtrangulant juſto Dei judicio. a *Heb. ſecundum os.* [5] i. omninò prout ad vitam piè, juſtè, honeſtè, & legitimè tranſigendam informandus eſt, in iis rebus quæ ad Dei cultum hominum ſocietatem, ſingulariaque officia pertinent. [6] cujus duo genera exponuntur ꝟ. 8. & 9. [7] i. ut ſementis, ita eſt meſſis. || *Job.* 4.8. [8] i. ut arrogante ſua indignatione flagellavit pauperes, ita flagellabitur, & conſumetur flabello iræ Dei, quod ſibi improbitate ſua accerſiverit. [9] i. miſericors atque beneficus. [10] i. deriſore præſente litigia excitantur ad ignominiam; abſente verò ceſſant.

11 [11] Qui amat munditiẽ *b* animi; *pro* gratia
labiorum ejus, Rex amicus ejus *futurus eſt*.
12 Oculi Jehovæ cuſtodiunt [12] ſcientiam,
pervertit autem res perfidioſi.
13 [13] || Dicit piger, leo foris *eſt*, in medio pla-
tearum occideter.
14 || Ut foſſa profunda, *eſt* os extranearum;
qui deteſtationi *eſt* Jehovæ, corruet illuc.
15 || Stultitiam alligatam animo pueri, eam
virga eruditionis amovebit procul ab ipſo.
16 [14] Qui opprimit tenuem, ut amplificet
*c* rem ſuam: & qui dat diviti, tantùm ad egen-
ſtatem *deveniet*.
17 [15] Inclina aurem tuam, & auſculta verbis
ſapientum; & *d* animum tuum adhibe ad ſci-
entiam meam;
18 Nã amœnum erit, ſi ſervaveris hæc [16] in
ventre tuo; *ſi* cõparentur pariter in labiis tuis:
19 *e Si* fuerit in Jehova fiducia tua; & *quod*
notum facio tibi hodie, etiam tu *feceris*.
20 Nonne ſcripſi tibi *f* præſtantiſſima *do-
cumenta, poſita* in conſiliis & ſcientia,
21 Notum faciendò tibi quod certum eſt,
ſermones *g* veraces; [17] ut referas ſermonibus
veritatem, miſſuris ad te?
22 [18] Ne deripias tenuem, eò quòd tenuis
ſit; neque conteras pauperem [19] in porta.
23 || Nam Jehova agit cauſam eorum, & ra-
piet rapientium eos animam.
24 Ne colas amicitiam cum *h* iracundo, &
cum *i* furibundo ne congrediaris:
25 Ut non diſcas itinera ejus, & aſſumas
tendiculam *k* tibi ipſi.
26 || Ne ſis ex complodentibus manu, ex
ſpondentibus debita:
[20] Si non ſit tibi *l* quod reddas, quare acci-
peret *creditor* cubile tuum *m* à te?
28 || Ne moveto terminum *n* antiquum,
quem aptârunt majores tui.
29 Vidiſti virũ diligentẽ in opere ſuo? ante
reges [21] conſiſtet, non cõſiſtet ante obſcuros.

[11] i. hujuſmodi hominem etiam reges ſtudiosè adjungunt ſibi, non ut deriſorem ejiciunt: quin etiam Deus ipſe curat eum ſtudioſiſſimè, ſeq. ꝟ. b *Heb. cordis: ſic deinc. ps.* [12] i. ſcitam puritatem cordis, & gratiam labiorum. [13] i. laborem fugit, pigritiamque fovet quibuſcumque modis, & defendit eam. || *Sup* 15.19. || *Sup.* 7.45. *& ſeq.* || *Sup.* 13.24. & 19.18. [14] i. æquè peccant qui ex impotentiorum detrimento ſuã emolumenta captant, & qui beneficia quæ in pauperes jure fuiſſent collaturi avertunt ut ad divites transferant; proinde utriſque maledicturus eſt Deus. c *Heb. ſibi.* [15] hortatio ad documenta hæc percipienda, à ſuavitate & utilitate eorum, ꝟ. 18. & 19. & à præſtantia, ꝟ. 20. & 21. d *Heb cor appone.* [16] i. in animo vel corde: metonymia. e *Heb. eſſendo Jehova.* f *Heb. ducum verba: ſimile ſup.* 8.6. *Heb. veritatis.* [17] i. ut conſulentibus te reſponſa certa & vera dare poſſis. [18] ſequentia documenta binis aut pluribus verſibus ferè continentur, uſque ad c. 25. quia ſingulis ſuæ cauſæ, aut eventa ſubnectuntur. [19] i. in judicio, ſpecie juris. || *Inf.* 23.11. h *Heb. domino iræ.* i *Heb: viro aſtuum.* k *Heb. anima tua.* || *Sup.* 6.1 & 11.15. [20] q.d. qui pro alienis debitis ſpondet, ſe divitem, aut certe ſolvendo eſſe profitetur: quamobrem quum ad diem ſolutionis ventum eſt non poteſt ſe defendere exceptione legis Exodi. 22.26. ſed ſponſione minimè præſtita ita condemnatur, quaſi poſſit ac nolit facere, quid ergo (inquit) adeò temerarius eſſes? vide ſup. 20.16. l *Heb. ad reddendum.* m *Heb. à ſub te.* || *Deut.* 19.14. *inf.* 23.10. n *Heb. ſeculi.* [21] i. dignus eſt qui conſiſtat; atque etiam in precio erit per benedictionẽ Dei.

## CAPUT XXIII.

*Modeſtiæ apud principes adhibendæ, avaritiæ, & avarorum ſtultorumque converſationis omittendæ præcepta: termini non movendi diſciplinæ tradendæ, & accipiendæ, zeli ſancti amplectendi, ſapientiæ colendæ, comeſſatores fugiendi, parentum colendorum, & meretricis averſandæ documenta proponuntur: ac poſtremò ebrietatis forma effectaque traduntur.*

1 [1] QUando ſedebis ad veſcendũ cum do-
minante, *a* diligenter conſidera [2] quid
propoſiturus ſis tibi:
2 Alioquin [3] inderes cultellum faucibus
tuis, ſi *b* præditus appetentia eſſes.
3 Ne afficiaris deſiderio cupediarum ejus:
eſt enim [4] cibis *c* mendax.
4 Ne fatiges te ut diteſcas; à [5] prudentia tua
deſiſte.
5 An facies ut involent oculi tui in ea quæ

[1] i. cum principibus ſummiſque viris agens, judiciũ & prudentiam adhibeto, ut animũ tuum temperes: nã hoc à convictus ratione ad omnem converſationem accommodandũ eſt ἀναλόγως. a *Heb. conſiderando conſidera id quod ante te.* [2] i. quem cibum ſumturus. [3] i. ipſe tibi creates periculum mortis intemperantia tua. b *Heb. dominus animæ.* [4] id eſt, cupediæ aulicæ ſuos homines decipiunt, quia cõvictus aulicus & gratia eſt inſtabilis. c *He. mendaciorũ.* [5] videlicet hac carnali, quæ potiùs eſt diffidentia, quum homo rapitur diteſcendi ſtudio.

*mox* non futura ſunt? nam *d* omninocompa-
rant ſibi alas;ut aquila avolat cælum verſus,*a-*
*volantia.*
6 Ne veſcitor cibo [6] maligni oculo; neque
afficitor deſiderio cupediarum ejus:
7 Nam [7] ut æſtimat *te*, cum animo ſuo, ita
ille *cibus* eſt:comede & bibe,dicet tibi;ſed ani-
mus ejus *e* non adhæret tibi:
8 Buccea̅ tuam *quam* comederis, [7] ipſam e-
vomes; [9] ubi corruperis res tuas amœniſſimas.
9 *f* ‖ Audiente ſtolido ne loquaris;na̅ ſper-
net *te* cum prudentia dictorum tuorum.
10 ‖ Ne moveas terminum *g* antiquum,&
agros [10] pupillorum ne invadas:
11 ‖ Nam vindex eorum fortis, ipſe aget
cauſam illorum contra te.
12 *h* Adhibe ad eruditionem animum
tuum, & aures tuas ad ſermones ſcientiæ.
13 ‖ Ne ſubtrahas à puero caſtigationem,
quum percuſſeris eum virgâ, non morietur:
14 Tu virgâ percutito eum:& animam ejus
à ſepulchro eripies.
15 ‖ Fili mi,ſi ſapit animus tuus;lætabitur a-
nimus meus, etiam ego *lætabor*;
16 Et [11] exſultabunt renes mei,loquentibus
labiis tuis recta.
17 ‖ Ne æmuletur animus tuus peccatores,
ſed *i* reverentes Jehovæ toto die:
18 [12] Cùm enim ſit *k* merces,utique exſpe-
ctatio tua non ſuccidetur.
19 Auſculta tu fili mi, & ſape: ac dirige *in*
hac via animum tuum.
20 Ne ſis ex ebrioſis vino,& *l* comeſſatori-
bus *ingurgitantibus* carne ſeſe:
21 ‖ Nam ebrioſus & comeſſator pauper fi-
et;& *m* pannunculos induit [13] dormitator.
22 ‖ Auſculta patri tuo qui genuit te,neque
contemnas,quum ſenuerit,matrem tuam:
23 Veritatem compara;ac non vendito,ſa-
pientiæ eruditionisque, & prudentiæ.
24 *n* Valde exſultat pater juſti; genitor ſa-
pientis lætatur de eo.
25 Lætetur pater tuus & mater tua, exſul-
tetque genitrix tua.
26 Cedò, fili mi,animum tuum mihi;& o-
culi tui [15] vias meas ſtudioſè cuſtodiant:
27 ‖ Nam foſſa [16] profunda meretrix *eſt*, &
puteus anguſtus aliena:
28 Etiam ipſa ut prædator inſidiatur,& per-
fidos inter homines adjicit.
29 [17] Cui væ? cui eheu? cui contentiones?
cui loquacitas?cui vulnera impunè? cui rubor
oculorum *eſt*?
30 ‖ Immorantibus apud vinum, euntibus
ad inveſtigandum [18] *vinum* miſtum.
31 ‖ Ne reſpicito vinum, quum rubeſcit:
quum *o* exhibet in poculo *p* colorem ſuum, [19]
indeſinenter *q* movetur rectiſſimè:
32 *r* Tandem velut ſerpens mordebit, & ut
hæmorrhois punget.
33 [20] Oculi tui reſpicient alienas,& animus
tuus eloquetur perverſitates:

d *Heb. faciendo faciunt.* [6] i. ſordidi,præparci, & illiberalis viri, cui opponitur bonus oculo, ſuprà 22.9. [7] i. pluris facit cibum ſuum quam te ipſum, ut ſequẽtia hoc verſu oſtẽdunt: quamobrem viciſſim oportet cibum illius nihil abs te fieri, ac potius tibi faſtidioſum eſſe, ſeq. verſ. e *Heb. cor non eſt tecum.* [8] i. quam celerrimè evomet ſtomachus tuus, velut gravem & faſtidioſam ſibi. [9] i. quum primùm ex tædio feceris ut ea quæ tibi ſapiebant maximè putiſca̅t cieántque nauſeam tibi. f *Heb. in auribus ſtolidi.* ‖ *Mat.* 7.6. ‖ *Sup.* 22.28. g *Heb. ſeculi.* [10] i. infimorũ omnium, ſynecdochicè. ‖ *Supra* 22.23. h *Heb. adduc.* ‖ *Sup.* 13.24. & 19.18. & 22.15. ‖ *Sup.* 10.1. [11] i. ex intimo animi affectu exſultabo: nam renibus voluntatis ſedem ſcriptura tribuit. ‖ *Pſal.* 37.1. *inf.* 24.1. i *Heb. viros reverentiæ Jehovæ.* [12] i. cùm certiſſimum & conſtantiſſimum præmium ſit à Deo reverentibus ſe repoſitũ; te quoque fiducia eadem fretum convenit in ſancto zelo pergere. k *Heb. finis: metonymicè.* l *Heb. comeſſatoribus carnis ſibi.* ‖ *Sup.* 19.15. m *Heb. laceris induit dormitatio.* [13] ex crapula & ingluvie videlicet. ‖ *ſuprà* 1.8. [14] i. nullo pretio, nullave ex cauſa abalienato à te veram ſapientiam &c. n *Heb. exſultando exſultat.* [15] i. quas ego doceo te: verbum autem Hebræum ſtudioſè cuſtodire interpretati ſumus compoſita ſignificatione, quia in ſcriptura compoſitum eſt ex volendi & cuſtodiendi verbo. ‖ *Supra* 22.14.

[16] i. malum eſt lubricum, & vix evitabile iis qui ſemel in illud barathrum & anguſtias abrepti ſunt. [17] quæſtio ænigmatica, cujus ſubjectio habetur verſ. ſequente, & documentum inde eruitur, reliquis verſ. ſenſus eſt ænigmatis: quiſnam eſt vir idem quiritabundus, ſuſpitioſus, rixator, loquax, plagis abundans, & rubicundus? ‖ *Jeſch.* 5.22.
[18] i. infuſum quod bibatur, & temperatum ex regionis uſu: ut ſup 9.2. & 5. ‖ *Epheſ.* 5.18. o *Heb. dat.* p *Heb. oculum: vid. Levi.* 13.5.
[19] i. ſpeciem ambulantis in poculo exhibet, & fervet ſua generoſitate atque exſilit, quæ rectiſſima ſunt generoſi vini indicia.
q *Heb. ad rectitudines: ſic Cantic.* 7.9. r *Heb. fine ſuo.* [20] i. impudicus, impurus, & perverſus omnibus modis efficieris: ſi te dedas vino: ut proverbio dici ſolet, ſine Cerere & Baccho friget Venus.

34 Et eris ut qui jacet *s* in medio mari,& ut
qui jacet [21] in corona carcheſii.
35 [22] Percutientibus me, *inquies*, *aliis* non
ægrotavi, tundentibus me non ſenſi: quando
expergiſcar,pergam, requiram iſtud ampliùs.

s *Heb. in corde maris.* [21] ſive galea (ut Ammianus vocat) ubi maxima ſentitur maris agitatio, hunc verò antennonem, ſive antennonem Atticus una voce appellabat in epiſtolis ſuis ad Tullium. [22] i. & eò quidem miſeriorem te efficiet ebrietas, quòd tibi ipſe de ſtupore corporis & animi gratulaberis; & (quod longè pejus eſt) te ipſum de induſtria provocabis ad continuandam & augendam laſciviam tuam.

## CAPUT XXIV.

*Maleficorum averſatio, ſapientiæ procuratio & uſus, diligentia in difficultatibus alienis leva̅dis & ſapientia comparanda imperatur: afflictionum noſtrarum modus, alienarum commiſeratio, maleficorum inſtabilitas, reverentia Dei & magiſtratus, effectaque reverentiæ tum publica tũ privata erga noſtros & exteros exponuntur: ac poſtremo pigri co̅ditio figuratur.*

1 NE æmulator *a* malignos, neque deſide-
rato eſſe cum eis:
2 Nam vaſtatione̅ meditatur *b* animus eo-
rum, & moleſtiam labia eorum proloquũtur.
3 [1] ‖ Sapientiâ ædificator domus;& intelli-
gentiâ ſtabilitor:
4 [2] Et ſcientiâ penetralia implebuntur, o-
mni ſubſtantia pretioſa & amœna.
5 Vir ſapiens *eſt* cum robore, & vir ſciens
ſacrificat vires:
6 Nam prudentibus conſiliis geres [3] tibi
bellum, & ſalutem *comparabis* amplitudine
conſiliariorum.
7 [4] *Nimis* altæ *ſunt* ſtulto ſapientiæ: [5] porta
non aperit os ſuum,
8 [6] Cogitans malefacere, *c* is vocatur ſcele-
ratiſſimus.
9 [7] Scelus *d* ſtulti *eſt* damnabile;abominan-
dum verò cuique,deriſoris.
10 [8] *Si* remiſſè te geras, tempore anguſtiæ
[9] anguſta *erit* virtus tua.
11 Eripe [10] raptos ad mortem;nam à decli-
nantibus ad necem an cohiberes te?
12 [11] Si dicas,en,ignoramus hoc:nónne ex-
pendens animos ipſe intelliget,& [12] qui cuſto-
dit animam tuam ipſe cognoſcet, & reddet
cuique ſecundùm opus ipſius?
13 Comede fili mi, [13] mel,quia bonum *eſt*;
& favum,dulcem palato tuo.
14 Ita ſapientiæ cognitio *eſt* animæ tuæ: ſi
aſſequutus fueris, utique erit *e* merces, & ex-
ſpectatio tua non exſcindetur.
15 Ne inſidiator,ô improbe,habitaculo ju-
ſti;ne devaſtato accubitum ejus:
16 Nam *ut* ſepties [14] cadat juſtus, [15] exſur-
git tamen: improbi verò corruunt [16] malo:
17 ‖ Quum cadit inimicus tuus,ne lætator,
quumque corruit, ne exſultato animus tuus:
18 *f* Ut aſpicientis Jehovæ in oculis non vi-
deatur malũ, & convertat ab eo ira̅ ſua̅ *in te*.
19 ‖ Ne accendaris irâ propter maleficos,
ne invideas improbis:

a *Heb. viros mali: ſup.* 23.17. b *Heb. cor: ſic deinceps.* [1] Antitheſis ſuperiorum verſuum, ad quam demõſtrandam imperativo utimur. ‖ *Sup.* 11.14. & 15.22. & 20.18. [2] i. quum ſcienter adminiſtrabitur domus, omne genus benedictionum obtinebit. [3] i. bono tuo. [4] i. non poteſt ſapientiam ſtultus pertingere, quæ tamen prudenti facilis eſt, ſupra 14.6. quamobrem μιμητικῶς vocat ſapientias, quia ſtultus diffidit ſe poſſe tam multa aſſequi; prout nimis multa ſunt opinione ejus. [5] i. in publicum conſeſſum minimè vocatur, aut vocatus obmuteſcit ſtultitiæ ſuæ nomine. [6] i. qui verò incumbit maleficiis, publico judicio & communi conſenſu condemnatur. c *Heb. dominum ſcelerum vocant.* [7] concluſio duorum præcedẽtium verſuũ: longè iniquiùs ferri quæ à deriſoribus & contemtoribus æqui boniq́ue perpetrantur, quàm ea quæ ſtultu committunt: quia illa omnibus abominationi ſunt; hæc verò etſi reprobantur, tamen non judicantur tantæ atrocitatis eſſe. ſic accipi vocem peccati oſtendit antitheſis;ut & peccatoris nomen, 1. Reg. 1.21. d *Heb. hominis ſtultitiæ, peccatum.* [8] i. niſi ſedulò & proximos tuos adjuveris, duobus verſ. ſequentibus; & tibi conſulueris in comparanda ſapientia, ver. 13. & 14. tandem peſſimè futurum eſt tibi: quapropter age, incumbe documentis quæ ſequuntur.
[9] id eſt, quicquid virtutis habere tibi videberis, enervabitur, eritq́ue nihili quum pervadet calamitas. [10] id eſt, iniquè oppreſſos.
[11] q. d. ne putes tibi excuſationem fore ſegnitiæ tuæ, obductis cauſis ignorantiæ aut infirmitatis, quaſi aut neſciveris peſſimè cum illis agi, aut rationem juvandi illos atque liberandi minimè tenueris: nam Deus judex ejuſmodi eſt, qui perpendat intima corda, optimè cognoſcat, & juſtiſſimè judicaturus ſit.
[12] à malo videlicet, quò devenit proximus tuus; tu autem ab eo liberatis, ut oppreſſis opituleris: ſic Eſtheræ 4.13. & 14.
[13] nimirum ſapientiæ, de qua ſeq. ℣. e *Heb finis: ut ſup.* 23.18.
[14] in afflictiones ſcilicet, inſidiante & procurante te. [15] i. reſtituitur & redintegratur à malo. [16] i. vel unico malo deficiunt diſpereuntq́ue: cùm multis ac propè infinitis non frangatur juſtus. Jobi 5.12. & ſequentibus.
‖ *Sup.* 17.5. f *Heb. ne videat Jehova, & malum ſit in oculis ejus.* ‖ *Sup.* 23.17.

20 [17] ‖ Nam non erit finis malo, *ſed* lucer-
na improborum exſtinguetur.
21 Reverere Jehovam, fili mi, & regem; [18]
cum variis ne commiſceto te:
22 [19] Nam repentè conſurget calamitas eo-
rum, & [20] oppreſſionem iſtorum amborum
quis novit?
23 [21] Etiam hæc ad ſapientes *pertinent*, [22] a-
gnoſcere *g* perſonã in judicio non *eſt* bonum.
24 Dicentem improbo, juſtus es; exſecra-
buntur populi, deteſtabuntur nationes:
25 Corripientibus verò erit amœnitas, &
obveniet eis benedictio [25] *cujuſque* boni:
26 [24] ‖ Labia oſculabitur ejus [25] qui reſpon-
det verba recta.
27 [26] Apta foris opus tuum; & para illud in
agro tibi: poſteà etiam exſtrues domũ tuam.
28 Ne ſis teſtis temerè contra proximum
tuum, aut [27] fatuum agito labiis tuis:
29 Ne dicito, quẽadmodum fecit mihi, ita
faciã ei; reddã iſti viro ſecundùm opus ipſius.
30 [28] Juxta agrum viri pigri tranſivi, & jux-
ta vineam hominis *h* dementis:
31 Ecce autem, *i* aſſurrexerant in eo toto
chamæleones, tegebatur ſuperficies ejus urti-
cis; & maceria ejus *k* lapidea deſtructa erat.
32 Quod videns ego, appoſui animum
meum; reſpiciens percepi eruditionem.
33 ‖ Pauculis ſomnis, pauculis dormitationi-
bus, paucula cõplicatione manuũ cubando,
34 Intereà advenit *ut* viator expeditus, pau-
pertas tua; & egeſtas tua, tãquã vir *l* clypeatus.

17 i. malum quod intenditur bonis, ad finem exitumque ſuum minimè perducetur, abibit irritum. ‖ *Suprà* 13. 9.
18 i. variantibus ac perfringentibus Dei ſuorúmque principum mandata, denique deficientibus vita ſua immorigera à reverentia Dei & regis.
19 ætiologia documenti de reverentia, primùm à malo contra venientibus acceſſuro, hoc verſu; deinde à ſapientum exemplo, verſ. ſequente.
20 i. momentũ, quo futurum eſt ut iſta duo hominum genera opprimantur.
21 i. nam etiam ſapientes reverentur Deum & regem colunt.
22 regreſſio ad præceptum verſ. 21. qua exponitur fructus uſusque legitimus reverentiæ Dei & regis, tũ in publicis officiis, uſque ad ✠. 27 tum in privatis.

g *Heb. vultum: ut Deut.* 1. 7. [23] i. ab omnibus viris bonis. [24] i. omnes boni colent te, & ſponte ſe ſubjicient tibi: vide Gen. 41. 40. ‖ *Suprà* 16. 12. [25] i. qui juſtè judicat. [26] i. primùm proſpice & cura res neceſſarias, ut ſunt quæ foris afferuntur domum, deinde per commoditatem licebit colere domum tuam, & rebus non ita neceſſariis verbo incumbere: quemadmodum de apibus narrat Plin. li. 11. c. 10. [27] huic verbo, quod licenter à nomine ductum eſt & ſine exemplo, novam interpretationem tribuimus: pro eo quod eſt, neque publicè neque privatim ita deſipito aut otium habeto à rebus tuis, ut in proximum tuum inveharis verbis, hoc & ſeq. verſ. [28] Apologus, ſpectans ad documentum, verſ 27. h *Heb. deficit corde.* i *Heb. aſcenderat ille totus chamæleonibus: hypallage.* k *Heb. lapidum.* ‖ *Sup.* 6. 10. *&* 11. l *Heb. clypei.*

## CAPUT XXV.

*Officium regis in ſuos & horum in regem, litigiorum modus, reprehenſionumque commodè & modeſtè faciendarum & accipiendarum uſus: amicitia, veritasq; officiciorũ erga amicos, & inimicos: fugiendæ detractionis & rixæ leges, boni ſermonis fructus, adverſitatum bonis evenientium à ſceleratis indignitas, deniq; vanitas hominum honori ſuo velificantium: & effrænatorum proponitur.*

1 [1] ETiam hæc proverbia Schelomonis *ſunt*,
[2] quæ contulerunt homines Chizkijæ
regis Jehudæ.
2 [3] Honor Dei *eſt* abſcondere rem, honor
autem regum [4] perveſtigare rem.
3 [5] *Ut* cælo altitudine, terræq; profundita-
te; ita animo regum non *eſt* perveſtigatio.
4 *Ut* auferendo ſcorias ab argento, prodit
conflatori vas;
5 ‖ *Ita* auferendo improbum à conſpectu
regis, ſtabilitur juſtitiâ ſolium ejus.
6 [6] Ne arrogato tibi decorem coram rege,
& in loco magnatum ne ſtato:

1 vide ſup. 1. 1.
2 i. ex variis ſcriptis decerpta in unum corpus redegerunt, ac fortaſſe ex actis publicis & commentariis rerum geſtarum Schelomonis: prout ſequentia apophthegmata bona ex parte ad ethicam & civilem adminiſtrationem pertinentia videntur oſtendere.
3 i. gloria Dei eo maximè illuſtris eſt, quod inſcrutabilia ſunt judicia, viæ imperveſtigabiles, incognita mens & conſilium ejus. Rom. 11. 33 ſed contrà Regi nihil eſt tam honorificum, quàm omnia penitùs introſpicere, de ſingulis rebus cognoſcere, & in lucem proferre quæcumque ad regiæ dignitatis cognitionem pertinent, quæ quanta ſit docetur verſ. ſeq.
4 & notam facere ſententiam ſuam judicando juſtè. 5 explicatio ſuperioris documenti de officio regis. q. d. infinita quodammodo eſſe debet regis ſollicitudo & imperveſtigabilis de cognoſcendis & ſapienter adminiſtrandis rebus; neque magis ab ullo homine definiri aut circumſcribi poteſt terminus verè regalis animi in perveſtigandis rebus, quam cæli altitudo aut profunditas terræ comprehendi. ‖ *Sup.* 20. 8. 6 hactenus de officio Principis; jam de officio ſubditorum in principes, & aliorum in alios. Hîc autem datur præceptum modeſtiæ; ut ſup. 23. 1.

7 ‖ Nam meliùs eſt *a* dici tibi, aſcende hûc,
quàm deprimi te coram ingenuo: [7] quòd vi-
dent oculi tui.
8 Ne prodito ad litigandum [8] feſtinanter:
reſpice quid ſis facturus *b* [9] tandem, [10] afficien-
te ignominia te proximo tuo.
9 *c* [11] Cauſam tuam age cum proximo tuo;
ſed arcanum alterius ne retegito:
10 [12] Ne probro afficiat te qui audit, & in-
famia tua ſit *d* irrevocabilis.
11 [13] *Velut* mala aurea cum figuris argenteis,
*eſt* verbum dictum *e* [14] commodè.
12 [15] ‖ *Velut* monile aureum, & ornamen-
tum ex inſigni auro; *eſt* reprehenſor [16] ſapiens
apud aurem auſcultantem.
13 ‖ [17] Ut frigus nivale tempore meſſis, *eſt*
legatus fidus mittentibus ipſum: nã [18] animam
dominorum ſuorum reſtituit.
14 [19] *Velut* vapores & ventus, quibus non
*adeſt* pluvia; *eſt* vir q ſe jactat de dono *f* falſo.
15 Longanimitate pellicitur ductor, & ‖
lingua mollis frangit *g* [20] oſſeum.
16 ‖ [21] Mel inveniens *h* comedes quod ſatis
eſt tibi, ne ſaturatus illo evomas illud:
17 *i* Studioſè contine pedem tuum à domo
proximi tui, ne ſaturatus tui odio habeat te.
18 [22] *Ut* marculus, gladiuſque, ac ſagitta a-
cuta; *eſt* vir teſtans contra proximum ſuum
teſtimonium falſum.
19 [23] *Ut* dens fractus, & pes luxatus; *eſt* fidu-
cia *k* in perfidum die anguſtiæ.
20 [24] *Ut* qui *l* imponit *ſibi* veſtem tempore
frigoris, aut acetum nitro; ita *eſt* qui canit can-
tica apud animum malè affectum.
21 [25] Si eſuriat oſor tuus, ciba eum pane; &
ſi ſitiat, da ei bibendam aquam:
22 [26] Nam *velut* prunas coacervabis ſuper
caput ejus, & Jehova rependet tibi.
23 [27] *Ut m* cæcias gignit pluviam, ita vul-
tum indignabundum lingua *n* ſimulantis.
24 ‖ Melius eſt habitare in angulo tecti;
quàm *cum* muliere cõtentioſa, & domo com-
muni *habitare*.
25 ‖ *Ut* aquæ frigidæ erga animam feſſam,
ita auditio bona è terra longinqua *eſt*.

‖ *Luc.* 14. 10.
a *He. dicere tibi magiſtrũ aulæ, aſcende hûc, quã deprimere te*
7 i. quod te cõmunis experiẽtia, & quotidiana exempla docent.
8 i. inconſideratè litem ſuſcipiẽdo, vel agendo.
b *He. in fine ejus.*
9 ex lege Deut. 19. ſub finem.
10 i. quum te ignominioſæ calumniæ evicerit, teúmque peregerit.
c *Heb. litem tuã litiga.*
11 pro eo ac poteſt abſtinetò à proximo in jus vocando: fraternè illum accedito, cum eo rẽ perficito, & honori ipſius conſulito: Mat. 5. 25. & 18. 15.
12 i. ne tibi ipſi ignominioſum ſit, & proximo tuo: tibi quidẽ, quod ſummo jure ac potiùs ſumma injuria proximũ perſequens videris inexorabilis & implacabilis: proximo verò, quod eâdem afficietur infamia diuturna: quorum utrumque eſt ab humanitate alienum.
d *Heb. non revertatur.*
13 i. precioſiſſimũ eſt ac jucundiſſimũ: quemadmodum precioſa ſunt opera ex auro & argento, figuris venuſtis & toris guttiſque interſurſantibus diſtincta.
e *Heb. ſecundum modos ſuos.*
14 i. apte habita temporis, loci, hominúmque ratione: ut Cic. lib. de oratore definit. [15] exemplum ſuperioris documenti à ſpecie reprehenſionũ. ‖ *ſup.* 3. 17. [16] i. prudens conſideratus, ac non ineptus, ut ibidem Tullius loquitur. ‖ *Inf.* v. 25. [17] i. tam ſuavis eſt legatus hujuſmodi, quàm nivarium colum vel ſaccus æſtivo tempore ad refrigerandum adhibitus potui: quo veteres in regionibus illis calidioribus fuiſſe uſos hiſtoriæ omnes teſtantur. [18] quæ exſpectatione nuncii, velut gravi æſtu, prius cõficí videbatur.
[19] i. jactator chreſtologus, qui mõtes auri & argenti pollicetur, & nihil efficit (ut ille Antiochus δώρων propterea nominatus) eſt velut nubes ſine aquis: ut loquitur in Epiſtola Juda ✠. 12. f *Heb. falſitatis ſic* ✠. 18. ‖ *Sup.* 15. 1. g *Heb. oſſu virũ.* [20] i. duriſſimũ & rigidiſſimum: ut Gen. 49. 14. Hujus autem rei exẽpla habentur Judic. 8. & 1. Schem. 25. ‖ *Inf.* v. 27. [21] documentũ de legitimo uſu amicitiæ per cõparationem mellis: docet enim utriuſq; uſum ſuavẽ ac mellitum eſſe, abuſum verò ἐμετικόν. h *Heb. comedere, infinitivus pro præſente: ut Pſ* 8. 2. i *He. pretioſum habe.* [22] i. omnibus modis pernicioſiſſimus eſt: ut exemplum eſt 1. Reg. 21.
[23] i. amicus certus in re incerta cernitur; ut dens fractus aut pes eliſus, quum edendum vel incedendum eſt. k *He. perfidi.* [24] i. triſtitiam diſſolvit cantus; ut veſtes diſcutiunt frigus, & acetum diſſolvit nitrũ; & quidem diſſolvit omnium maximè, quia eſt frigidiſſimũ: hanc enim eſſe naturam nitri (quod terræ quoddã opificium eſt ſicco calore condenſatũ) docet Ariſt. lib. 4. meteor. c. 6. & 7. muſicæ verò harmoniæ (quemadmodum etiam vini inf. 31. 7.) uſum juſtum eſſe docent exempla Schaulis, 1. Sche. 16. 24. Eliſchahi, 2. Reg. 3. 15 & Darii regis, Dan. 6. 19.
l *Heb. ornat ſe veſte, &c.* [25] i. benefac ei qui odio proſequitur te; Matth. 5. 44. ‖ *Exo.* 23. 5. *Rom.* 12. 20. [26] i. benefaciens inimico, duo præſtabis: primùm beneficiis vincies illius malum; deinde ſi non ipſi, ſaltem ſeres domino: quibus ex rebus hæc conſequutura ſunt, tum quòd beneficia tua illi velut prunæ candentes videbuntur, ſive ipſe revocet ſive obfirmet ſe, tum quod Deus copioſam meſſem rependet tibi. Sic accommodanda eſſe hujus beneficentiæ conſilia cum eventis, oſtendit membrorum inter ſe comparatio: nam priore beneficii cõſilium exponitur, eventus Deo relinquitur, ac propterea reticetur; poſteriore verò eventus ponitur, & reticetur conſilium piorum. Eſt autem illud, ut gratè ſerant domino etiamſi non eſſet ulla remunerationis, aut vitæ æternæ exſpectatio.
[27] hunc ventum, quia Judæam perflat à ſuperiore Aſſyriæ parte, quam ſcriptura Aquilonalem vocat, ita interpretamur; etſi ventus hic propriè inter Aquilonem & Orientem ſitus eſt: nam ſcriptura non ita accuratè duodecim, ſexdecim, aut triginta duos (ut nautæ) ventos obſervat; ſed cælum ventoſque in regiones dumtaxat quatuor diſtinguere contenta eſt. Hanc porrò cæciæ naturam eſſe ut obliquè feratur, nubiluſque & pluvioſus ſit, docet Ariſtot. li. 2. meteor. cap. 6. unde proverbium, Ut cæcias nubes. m *Heb. ventus Aquilonis.* n *Heb. viri abſconſionis.* ‖ *Sup* 19. 13. *&* 21. 9. ‖ *Sup* v. 13.

28 i. indigniſſimum eſt juſtum ab improbo perturbari. quemadmodum amœnum fontem corrumpi fertur iniquiſſimè: prout cavebatur duodecim tabulis, teſte Frontino de aquæductibus lib. 2.

26 [18] Ut fons calcibus conturbatus, aut ſca-
turigo corrupta; *eſt* juſtus qui dimovetur co-
ram improbo.
27 ‖ Comedere mellis plurimum, non eſt
bonum; ita perveſtigare honorem ſuum *o* in-
honeſtum.
28 ‖ *Ut* civitas diſrupta abſq; muro; ita *eſt*
cuicumq; nō *eſt* imperium in ſpiritum ſuum.

‖ *Supra verſ.16.* ° Heb. non *honor.* ‖ *Supra 16.32.*

## Capput XXVI.

*Inhonora ſtultorum conditio, inanis maledictio, ſupplicii in ſtultum & reprehenſionis leges, ejuſdem importunitas & imprudentia; arrogantis pigri, turbulenti, fallacis, ſuſurronis, & inimici fingentis amicum conditio exponitur, cautio imperatur, ſuppliciumq; denunciatur.*

a Heb. *gratis.*
1 i. in aërem abibit, ac non incidet in eum cui immeritò maledicitur.
‖ *Sup.* 10.13.
2 i. prudentiam adhibeto in ſermonibus cum ſtulto; & diligenter obſervato tum quid, quando, quomodo reſpondeas, tum etiam quando non reſpondeas.
3 i. imiteris ſtultitiam ejus, & æquè ſtolidus habearis.
4 altera ſententia antithetos, quando ſit reſpondendum ſtulto: cui adhærent ſequentia documenta; de ſermonibus illi minimè cōmittendis, & retundenda ipſius arrogantia, adimendiſque cothurnis quorum nomine gloriatur.
5 i. tam ſibi injuriam facit qui ſtolido ſermones perferendos committit, quàm qui truncat ſeipſum pedibus. Nam neque ſtultus mādata, neque fractis cruribus iter inſtitutum conficit.
b Heb. *violentiā.*
c Hebr. *per manū ſtolidi.*
6 i. ut loripedē recti derident cothurnos induentem quibus ineptus eſt, & perſonam ſive larvam abutenti detrahūt, ita etiam retegendus eſt ac multò minus ferendus ſtolidus in ſuperbo ſermone ſuo, quem ille vel maximè ridiculum, tamen tot ſententiis quot verbis abundare putat.

1 VT nix æſtati, & ut pluvia meſſi; ita non
convenit ſtulto honor.
2 Ut avicula errando, ut hirundo volitādo;
ita maledictio *a* immerita [1] nō adventura eſt.
3 ‖ Ut flagellum *adhibetur* equo, frænum
aſino; ita virga tergo ſtolidorum.
4 [2] Ne reſpondeto ſtolido ſecundùm ſtul-
titiam ejus, [3] ne adæqueris ei tu quoque.
5 [4] Reſponde ſtolido ſecundùm ſtultitiam
ejus, ne ſit ſapiens in oculis ſuis.
6 [5] *Ut* qui *ſibi* detruncat pedes; *b* ita violētiæ
pœnam ebibet, qui mittit verba *c* per ſtolidū.
7 [6] Tollite *d* cothurnos à claudo, & ſenten-
tiam *quæ eſt* in ore ſtolidorum.
8 *e* [7] Ut qui applicat lapidem baliſtæ; ita qui
præbet ſtolido honorem *facit.*
9 [8] *Ut* ſpina veniens in manum ebrii, ita *eſt*
ſententia in ore ſtolidorum:
10 Plurimum dolore afficit omnes; [9] mer-
cedem dans ſtolido, & mercedem dans tran-
ſeuntibus.
1 [10] Ut canis redit ad vomitum ſuum, ita
ſtolidus iterat ſtultitiam ſuam.
12 Vidiſti virum ſapientem in oculis ſuis?
exſpectatio *eſt* de ſtolido *melior* quàm de illo.
13 ‖ Dicit piger, immanis leo *eſt* in via: leo
*eſt* inter plateas:
14 *Ut* janua circumagitur in cardine ſuo,
ita piger in lecto ſuo:
15 ‖ Abditā habet piger manū ſuam in ſua
manica, defetiſcitur reducendo eā ad os ſuum:
16 Sapientior *videtur* piger in oculis ſuis,
quàm [11] ſeptem *f* revocantes ad rationē *ipſum.*
17 [12] Prehendit aures canis, qui tranſiens fu-
rentem agit in lite non ſua.
18 [13] *Ut* inſaniens, qui jaculatur *g* malleo-
los, ſagittas, & *h* lethalia:
19 Ita *eſt* quiſquis decipit proximum ſuum;
& dicit, nónne ridebam?
20 ‖ *Ut* deficientibus lignis exſtinguitur i-
gnis; ita quum non *eſt* ſuſurro, ſilet contentio.
21 *Ut* carbo ad prunas, & lingua ad ignem;
ita vir contentioſus *eſt* ad accendendū litem.
22 ‖ Verba ſuſurronis ſimilia ſunt *verbis* eo-
rum qui ſæpenumerò contuſi ſunt; tamen ea
deſcendunt in penetralia ventris.
23 [14] *Ut i* argenti ſcoria obducta teſtæ, *ita*
ſunt labia proſequentia, & animus malus.
24 Labiis ſuis alium ſe ſimulat oſor, quum
in medio ſui diſponit dolum.
25 [15] Quando gratioſam præbebit vocem
ſuam, ne fidito ei: nam [16] ſeptem abominatio-
nes ſunt in animo ejus:
26 [17] Tegit odium deceptionem; *ſed* reve-
labitur malitia ejus [18] in congregatione.
27 ‖ Qui fodit foveā, in eā decidet; & [19] qui
devolvit lapidem, in ipſum revertetur *lapis.*
28 *Vir* lingua fallace odit *k* quos attriturus
eſt, & ore *l* blando perficit impulſionem.

d Heb. *crura pro cruralibus ornamentis, metonymicè.* e Heb. *ut ligare, i. qui gravem lapidem alligat quem baliſta imponat: ſynecdoche. eſt autem infinitum pro finito tempore.* 7 i. qui ſtolidi perſonæ aut verbis honorem habet indebitum, gladium porrigit manui furioſi, & ei quodammodo arma ſubminiſtrat ad nocendum, eumque confirmat in malo; perinde ac ſi quis lapidem aut miſſile quodvis graviſſimum imponeret tormento illius qui temerè ejaculaturus eſſet.
8 i. non meliùs utitur ſtultus verbis, quam ebrius ſpinis; qui & ſe ipſum, & quoſque obvios vino mentem abripiente ulcerat. 9 i. plagas infert & damnoſus eſt publico, in rempub. injurius; qui præmia confert hominibus de publico malè meritis, aut nihil: nam malè merentur ſtolidi, viatores nihil merentur de repub. 10 q. d. neque tamen ut Phryx, ſapit plagis; ſed eodem ſtultitiæ ſubinde recidit: ſimile vide 2. Pet. 2.22. ‖ *ſup.* 22.13. ‖ *ſup.* 19.24. 11 i. plurimi: numerus finitus pro infinito, ſup. 24.16. f Heb. *reducentes rationem.*
12 i. malum accerſit ſibi, ut qui canem auribus prehenſum irritat ad mordendum ſe. 13 i. non majoris faciendus eſt vir fallax & circumveniens amicum ſuum ſpecie ludicra, quàm vir furioſus planè. g Heb. *ſcintillarum* tela.
h Heb. *mortis* inſtrumenta. ‖ *ſup.* 22.10. ‖ *ſup.* 18.8.

14 i. inimicus animo ſpeciem amici officioſi præ ſe ferens, ſimilis eſt teſtæ deargentatæ ſcoria.
i Heb. *argentum ſcoriarum: hypallage.*
15 lex de cautione à perfidioſis.
16 ut ſup. v. 16.
17 hactenus de maleficiis & cautione: nunc de pœna ad fallaces perventura.

18 i. palàm & publicè. ‖ *Pſal.* 7.16. 19 furſum verſus videlicet, ac velut in adverſum montem. k Heb. *atterendos.* l Heb. *molli.*

## Caput XXVII.

*Præfidentis gloriationis & ſtultorum indignationis malum, piæ reprehenſionis uſus, ſaturitatis & inconſtantiæ damna, amicorum uſus: filiorum officium, prudentis & imprudentis comparatio, aſſentatoris malū rixoſæque mulieris, conſuetudinis & officiorum uſus, humani vultus & animi inſtabilitas, ſtultitiæ vis indomita, & frugalitatis præſtantia exponitur.*

1 ‖ NE glorieris de die craſtino, quia neſcis
quid pariturus ſit dies.
2 Laudet te *os* extranei, non autem os tu-
um: alieni, non autem labia tua.
3 Gravitas lapidi *eſt*, & pondus arenæ; ſed
indignatio ſtulti [1] gravior *eſt* duobus illis.
4 [2] Crudelitas excandeſcentiæ *eſt* & exun-
datio iræ: at quis conſiſtat coram invidentia?
ſ Melior *eſt* correptio manifeſta, amore [3] oc-
culto.
6 [4] ‖ Fidelia *ſunt* vulnera amici, [5] deprecan-
da verò oſcula oſoris.
7 Anima ſatura calcat favum; animæ verò
famelicæ omne amarum dulce *eſt.*
8 [6] Ut avicula *quæ* errat à nido ſuo; ita *eſt*
vir qui errat à loco ſuo.
9 Ut unguentum & ſuffitus lætificat ani-
mum: ita [7] dulcedo amici ſui *quemque* magis
quàm conſilium *a* proprium.
10 Amicum tuū & amicum paternū tuum:
ne derelinquito, [8] domūque fratris tui ne in-
greditor tempore calamitatis tuæ: melior eſt
vicinus [9] propinquus fratre longinquo.
11 Sape fili mi, & [10] lætifica animum meum
ut [11] reſpondere poſſim ei qui exprobraturus
eſſet mihi rem *aliquam.*
12 ‖ Aſtutus prævidens malum abſcondit
ſe; fatui tranſeuntes mulctantur.
13 ‖ Cape veſtē ejus qui ſpopōdit *pro* extra-
neo, & pro aliena ſpondentē pignerare eum.
14 [12] Et qui benedicit amico ſuo voce ma-
gna manè, tempeſtivè ſurgendo; maledictio
imputabitur ei.
15 ‖ Stilla continua tempore imbris vehe-
mentiſſimi, & mulier *b* contentioſa æquę ſunt
inter ſe.
16 [13] Abſcondentium eam *quiſque* abſcon-

‖ *Jacobi* 4.13. & *ſeq*
1 i. minùs ferri poteſt; ut ſequēs verſ. exponit.
2 q. d. omnia illius ſtudia neq; modum neque finem habent, donec ipſum auctorem perimant: Jobi 5.2.
3 i. otioſo, ceſſante ab amicitiæ officiis.
4 i. tutum eſt, ac proinde expetendum, ut amicus ab amico reprehendatur etiam graviſſime: quod hyperbolicè ſignificatur vulnerū appellatione.
‖ *Pſal.* 141.4. & 5.
5 quia ſunt infida & ad perniciem ſpectātia: ut habentur Joabi exempla, 2. Schem. 3.27. & 20.9.
6 i. qui temerè ſedes mutat, & conditioni ſuæ non acquieſcit, ſed nova conſilia ſuſcipit non bene explorata voluntate Dei & vocatione ſua; is non magis ſapit aut conſtat ſibi quàm avicula.
7 i. ſuavis conſiliorum communicatio: ſic accommodati dulcedinis vocem conſiliis in ſcriptura receptum eſt: ut pſal. 55.15.
a Heb. *animæ ſuæ*

8 videlicet potiùs quàm amici domum, qui omni tempore diligit: ut ſuprà 17.17. & 18.24. 9 id eſt, qui præſtò ſemper eſt & velut ad manum, ut difficultates tuas ſublevet. 10 ſapientia animi tui & prudentiâ inſtituens in honeſtate vitam: quibus modis liberi ſunt parentibus lætitiæ & honori: ſuprà 10.1. & 23.24. & ſeq. 11 i. tua ipſius vita confirmem, quàm benè functus ſim officio parentis boni. ‖ *ſuprà* 22.3. ‖ *ſuprà* 20.16.
12 id eſt, aſſentator fallax, qui officia ſua ſingulis momentis fingit & prædicat, maledictus eſt: hîc enim aſſentatio uno ſimulati officii genere deſcribitur ſynecdochicè. ‖ *ſup.* 19.13. b Heb. *contentionum.*
13 id eſt, nulla ratione poteſt cohiberi malum iſtud, aut ignominia contineri, quin pervagetur in aures omnium; citiùs ventum pugno detinueris, aut odorem unguenti compreſſeris, ne ad alios perferatur, quàm ignominiam hanc averteris ne latè diffundatur.

derit ventum: ut unguentum dexteræ ipſius c
[14] ſeſe prodit *illa*.
17 [15] Ut ferrum ferro acuit *vir*, ita virum a-
cuit facies amici ſui.
18 *Ut* qui cuſtodit ficum, comedet fructum
ejus; ita qui obſervat dominum ſuum, honora-
bitur.
19 [16] Ut *in* aquis facies faciei *obſervatur*, ita
*d* animus hominis unius alteri.
20 *Ut* ſepulcrum & perditio non ſatiantur;
ita [17] oculi hominis non ſatiantur.
21 [18] Fuſorium vas argento, & catinum au-
ro; denique *adhibetur e* res quæque ex *f* præ-
ſcripto laudationis ejus.
22 *Sed* ſi contunderes ſtultum in mortario
*g* cum mola piſtillo, non recederet ab eo ſtul-
titia ejus.
23 [19] *h* Diligenter cognoſce præſentes pecu-
des tuas, appone animum tuum ad greges:
24 [20] Nam num *eſt* in ſeculum robur, & an
coronamentum *futurum eſt* in *i* quamque ge-
nerationem?
25 [21] Simulac prodit fœnum, & conſpicua
eſt tenera herba; colliguntur herbæ montium.
26 Agni *erunt* ad veſtitum tuum, & [22] pre-
tium agri hirci:
27 Inſuper quantum ſatis *erit* lactis *k* capri-
ni ad cibum tuum; ad cibum familiæ tuæ, & *l*
victum puellis tuis.

c *Heb. proclamat.* 14 ſtatim vi ſe prodit, ac ſi quis clamet: metaphora. 15 amicus amici conſuetudine præſentiaq; informatur, augeſcitque, ac veluti acuitur: metaphora ſimilitudinem accómodans. cujus habetur affinis altera. Geneſ. 4. 22. 16 i. animus quidem hominis indicatur vultu: ſed tamen ita multiplex eſt & inſtabilis vultus; ut tantum quodammodo internoſcere poſſit alter animum alterius: quemadmodum in aqua fluctuante atque inſtabili imago faciei humanæ varius & contortis modis tantum effingitur. d *Heb. cor hominis homini: ſic deinceps.* 17 i. concupiſcentia oculorũ, ſive animus oculis utens adminiſtris: ſynecdoche. 18 hic verſus cum ſequente conjungendus eſt hoc ſenſu: eſt ſuus ſingulis rebus & inſtrumentis uſus, ſuaque ad uſum adhibendi ratio: purgantur aurum & argentum ſuis modis, omnia denique humana arte ſuo juſto & laudato uſui aptantur; ſed ſtultum purgandi, aptandi, informandique nulla ratio eſt.
e *Heb. vir.* f *Heb. ore.* g *Heb. in medio molarum.* 19 i. rei tuæ familiari atque domeſticæ induſtriam & diligentiam adhibeto coram. h *Heb. cognoſcendo cognoſce faciem pecudum.* 20 i. putareſne opes tuas tibi velut affixas eſſe, neque poſſe amitti unquam à facultate tua? imo vero lubricæ ſunt & fluxæ, quãtumvis magnæ atque glorioſæ: propterea convenit te diligentiam in conſervandis illis, & adminiſtrandis adhibere, idque coram, non autem ſegniter in aliena opera conquieſcere. i *Heb. generationem & generationem.* 21 exemplum præceptorum domeſticorum à re ruſtica, cujus fructus ſequentibus verſibus exponitur.
22 i copioſiſſime ſoboleſcent, atque adeo ſuppeditabunt pretium comparandi agri & amplificandi poſſeſſiones tuas. k *Heb. caprarum.* l *Heb. vitam.*

## CAPUT XXVIII.

*Conſcientiæ affectus; improborum inſtabilitas, judiciaque perverſa, integritatis in paupertate & obſequii fructus; uſuræ improbitatis, arrogantiæ, & affinis adminiſtrationis eventa; reſipiſcentiæ & timoris Dei commodum; tyrannidis conditio, homicidarũ averſatio; frugalitatis & diligẽtiæ; corrupti judicii, ſubitarum divitiarum, filii contumacis, præſidentis viri, maleficiorumq; eventa exponuntur, & contra.*

1 || FUgiunt improbus *quiſque*, nemine per-
ſequente: juſti autem *ſunt* ſimiles juveni
leoni confidenti.
2 *a* [1] Ubi defectione laborat regio, multi
*ſunt* principes ejus: ubi autem homo *eſt* prudẽs
& peritus, prorogat ſtatum.
3 Vir pauper qui opprimit tenues, *ſimilis eſt*
pluviæ everrenti, adeo ut deſit panis:
4 Qui derelinquunt legem, laudant impro-
bos, at qui obſervant legem, [2] miſcent *prælia*
cum illis.
5 *b* Homines dediti malo non animadver-
tunt jus, [3] quærentes autem Jehovam animad-
vertunt omnia.
6 Melior eſt pauper ambulans *c* integrè;
quàm perverſus [4] huc illuc ſe flectẽs, quamvis
ſit dives.

|| *Levit. 26.27. & 36. & Deut. 28. 7. & 28.* a *Heb. in defectione regionis.* 1 ſenſus eſt: quũ in Republica aut reges principeſque viri, aut populus, aut utrique ſimul deſciſcunt ab officio ſuo, frequentes mutationes oriuntur: ſed ubi aut utrique ſimul in officio permanent aut ab una tantũ parte, principum populariumve, unus aliquis vir prudens & peritus ſua auctoritate utroſq; aut certe partem alteram moderatur, ſtatus manet diuturnior. Exemplum vide 2. Sche. 20.16. & ſeq. 2 i. non tantum damnant, ſed etiam re ipſa obluctantur.
b *Hebr. mali.*
3 i. ſpirituales iudicant omnia, 1. Cor. 2. 15.
c *Heb. in integritate ſua, quam perverſus duabus viis.*
4 i. dextera aut ſiniſtra: ſive ea quæ per exceſſum diſcedit ab integritate, ſive ea quæ per defectum aberrat: ut omnis virtus duobus extremis vitiis circumcluſa eſt: ſic inf. verſ. 18. viarum nomen accipitur ſynecdochicè.

7 Qui cuſtodit [5] legem, filius *eſt* prudẽs, qui
autem ſe cõſociat comeſſatoribus ignominia
afficit patrem ſuum:
8 || Qui auget ſubſtantiam ſuam uſura &
fœnore, gratioſè largituro tenuibus congre-
gaverit eam.
9 Qui avertit aurem ſuam ab audienda le-
ge, etiam oratio ejus abominationi *eſt*.
10 Qui ſeducit rectos in viam malam, || in
[6] foveam ſuam ipſe decidit; integri verò poſſi-
debunt bonum.
11 Sapiens *videtur* in oculis ſuis vir dives;
Sed tenuis prudens [7] perſcrutatur eum.
12 || [8] Exſultãtibus juſtis amplus eſt ornatus;
*d* erectis autem improbis perveſtigatur homo.
13 Qui tegit defectiones ſuas, non proſpe-
rabitur; qui verò fatetur & derelinquit, affici-
etur miſericordia.
14 Beatus homo, qui admodum [9] pavet ju-
giter, qui autem obdurat animum ſuũ, ruet in
malum.
15 [10] Ut leo rugiens & urſus diſcurſans, eſt
dominator improbus in populum tenuem.
16 Anteceſſor carens *e* omni intelligentia;
& multus oppreſſionibus [11] *decurtabit*; qui *au-
tem* odit quæſtum, prolongabit dies.
17 [12] || Homo oppreſſus propter ſanguinem
*f* hominis; ad foveam uſque fugiat, ne ſuſten-
tanto eum.
18 [13] Qui ambulat integrè, ſervabitur: qui
verò perverſus eſt *g* altera viarum, corruit *h*
in eam.
19 || Qui colit tellurem ſuam, ſatiatur ci-
bo: qui verò ſectatur *homines* vanos, ſatiatur
paupertate.
20 Vir *i* optimæ fidei amplus *eſt* benedi-
ctionibus; || at [14] præceps ad diteſcendum non
erit impunis.
21 || Agnoſcere *k* perſonam non eſt bonum:
[15] nam propter bucceam panis deficeret vir.
22 || Accelerat ad ſubſtantiam *parandam* vir
[16] malignus oculo; ſed ignorat inopiam obvẽ-
turam ſibi.
23 Qui corripit hominem [17] ut *l* ſequatur
me; gratiam conſequetur potiùs, quàm *m* qui
blanditur linguâ.
24 Qui [18] diripiens patrem ſuum, aut ma-
trem ſuam dicit, non *eſt* defectio; ſocius eſt vi-
ro *n* interfectori.
25 [19] *o* Amplus animo ſuo miſcet contentio-
nẽ: qui autẽ cõfidit Jehovæ, pinguis efficietur.
26 || Qui confidit *p* animo ſuo, eſt ſtolidus,
qui autem ambulat *q* ſapienter, is eripiet ſe.
27 Ei qui dat pauperi, nõ *erit* egeſtas; occul-
tans verò [20] oculos ſuos, amplus *erit* maledi-
ctionibus.
28 || Erectis improbis abſcondit ſe homo;
ſed pereuntibus illis augentur juſti.

5 i. Dei parentumq; doctrinã quos obſequio ſuo honorat: ut ſup. 10.1. || *Sup* 13.22. || *Sup.* 26.27. 6 nimirum quã ipſe aliis paravit; ac proinde, bonum, quod ab aliis avertere tentabat minimè obtinebit. 7 non ex ſpecie tantùm judicat, ut dives facit: ſed etiam ex doctrina Dei inſipientiam divitiis præſidentis optime poteſt cognoſcere. q. d. dives non ſeipſum, ſed res ſuas ſcrutatur, & ſe ex illis æſtimat: prudens verò, etiamſi pauper ſit, & ſeipsũ ſcrutatur & divitem. || *Sup.* 11.10. 8 i. ubi imperiũ eſt penes juſtos, beati ſunt omnes, & omni ornamentorum genere cumulati: dominantibꝰ autem improbis nemo res ſuas ſecurè poſſidet, aut ipſe ſecurus eſt: ſed vi & fraude etiam res penitiſſimæ perquiruntur, ut prædæ ſint improbis: vide ꝟ. ultimo. d *Heb. ſurgendo autem improbos: ſic infr. ꝟ. ultimo.* || *ſup.* 14 16. 9 i. ſerio pavore ad confeſſionem peccati ſui, & ad fugam ac reſipiſcentiam illius ſemper abducitur: ut dixerat verſ. præcedente, ex quo hic pavor circumſcribendus eſt. 10 i. tyrannus in populũ tenuem infirmumque graſſans, leones & urſos feritate ſua ſuperat. e *Heb. intelligentiis.* 11 eclipſis contrarii, ut dictum eſt Gen. 33.10. 12 i. nemo homicidæ miſeretor, aut privatè publicéve foveto: ut Gen 9.7. & Exod. 21.14. || *ſup.* 24.11. f *Heb. animæ.* 13 exornatio ſuperioris præcepti per antitheſin. g *Heb duabus viis. ut ſup. verſ. 6.* h *Heb. in una.* || *ſup.* 12.11.
i *Heb. fidelitatum.* || *ſup.* 20 21. 14 nimirum mala fide corradens, ut demonſtrat antitheſis. ſic ꝟ. 22. || *ſup.* 18. 5. & 24.23. k *Heb. vultum.*
15 i. qui ſemel in judicio fines integritatis tranſilit; poſtea nulla reverentia aut honeſtate retinetur: ſed corrũpere judicia non dubitat ſpe leviſſimi emolumenti.
|| *ſup.* 20.21. 16 ut ſup. 23.6. 17 i. documenta Dei, quæ ego trado.
l *Heb. poſt me.* m *Heb. qui mollit linguam; ut ſup.* 2. 16.
18 i. filius contumax, qui parentum facultates intervertens reprehenſiones ludificatur, tam reus eſt capitalis criminis quam ſi homicida eſſet, Deut. 21. 18.
n *Heb. corruptori: ut Exod.* 12 13. 19 i. qui ſibi, ac non Jehovæ fidit, ſuſcipiet rixas, quibus tandem conficietur: pius vero conquieſcens in Deo, ditatur Dei benedictionibus: vide ſupra 11. 25. o *Heb. latus.* || *ſup.* 13.10. p *Heb. cordis.*
q *Heb. in ſapientia.* 20 nimirum à paupere. || *ſup. verſ.* 12.

## CAP. XXIX.

*Contumacium ruina, publicæ & privatæ adminiſtrationis, corruptionis, aſſentationis, defectionis, negligentiæ in judiciis, ludificationis,*

*ſtultitiæ, inhumanitatis, ſtolididatis, inclinationis ad res falſas, integritatis, fidei, correctionis privatæ & publicæ; indulgentiæ, iracundiæ, ſuperbiæ, maleficii perpetrati, aut diſsimulati, infidelitatis, impietatiſque & contra effecta oſtenduntur.*

1 a VIr qui ſæpius correptus obdurat cer-
vicem, repentè confringetur ita ut nõ
ſit curatio.
2 ‖ Quum augentur juſti, lætatur populus:
quum autem dominatur improbus, ſuſpirat
populus.
3 ‖ Vir amans ſapientiam, lætificat patrem
ſuum; qui autem conſociat ſe meretricibus, [1]
perdit ſubſtantiam.
4 Rex judicio ſtabilit regionem; *b* vir au-
tem oblatis muneribus ſerviens deſtruit eam.
5 Vir qui blanditur amico ſuo, [2] rete pãdit
contra pedes ejus.
6 [3] Defectioni viri mali ineſt tendicula; ju-
ſtus autem cantat & lætus *eſt*.
7 Cognoſcit juſtus cauſam tenuium, im-
probus [4] non animadvertit ut cognoſcat.
8 Homines *c* deriſores *d* inflammant urbẽ:
at ſapientes avertunt iram.
9 [5] Vir ſapiens ſi diſceptat cũ viro ſtulto; ſive
[6] cõmoveatur, ſive rideat, nulla tamẽ eſt quies.
10 Homines ſanguinarii [7] oderunt inte-
grum: recti autem quærunt *e* ipſum.
11 ‖ Totum ſpiritum ſuum profert ſtolidus:
at ſapiens *f* ponè reprimit [8] eum.
12 Dominatoris attendentis verba falſita-
tis, omnes miniſtri *ſunt* improbi.
13 *g* [9] Rudis & induſtrius inter ſe occurrunt;
illuminat oculos amborum Jehova.
14 Regis qui judicat *h* fideliter tenues, ipſius
ſolium in perpetuum ſtabilitur.
15 ‖ Virga & correptio dat ſapientiam, at
puer permiſſus *ſibi* pudefacit matrem ſuam.
16 [10] Quum creſcunt improbi, creſcit de-
fectio: ‖ juſti verò caſum eorum vident.
17 ‖ Caſtiga filium tuum, & quietem affe-
ret tibi, dabit etiam delicias animæ tuæ.
18 ‖ Quum nõ *eſt* [11] viſio, nudatur populus:
qui autem obſervat legem, ô beatum illum.
19 [12] Verbis non caſtigatur ſervus, qùum
intelligit tamen non reſpondet.
20 ‖ Vidiſti virum præcipitem verbis ſuis;
exſpectatio *eſt* de ſtolido *melior* quã de illo.
21 [13] Qui delicatè educat à pueritia ſervum
ſuum, *i* tandem erit orbus liberis.
22 ‖ *k* Iracundus miſcet contentionem: &
*l* furibundus multus *eſt* defectione.
23 ‖ Elatio hominis deprimit eum, depreſ-
ſum autem ſpiritu ſuſtentat honor.
24 [14] Qui partitur cum fure, odit ſe ipſum;
& qui exſecrationem audiens, non indicat.
25 [15] *m* Trepidus homo *ſibi* ponit tendiculã,
qui autẽ confidit Jehovæ, in edito collocatur.
26 [16] Multi quærunt faciem domi-
nantis: verum à Jehova *eſt*; jus *o* uniuſcu-
juſque.
27 Abominationi *eſt* juſtis vir *p* iniquus
& abominationi improbo rectus via.

## CAPUT XXX.

*Agur piorum fidem in Chriſtum & abnegationem ſui proponit ex verbo Dei: precationem adhibet de iis rebus quæ ad animum & corpus pertinent: detractione interdicit, reproborum genera explicat: deinde ſpecies inſatiabiles, incognitas, hominibus intolerabiles, ſapientes, & invictas in exemplum proponit: omneſque ad humilitatem & modeſtiam hortatur.*

1 [1] VErborum Aguris filii Jake [2] compor-
tatio: [3] dictum viri [4] de Ithiele, de I-
thiele *inquam* & Ucale *ſit*.
2 [5] Nam brutus ſum ego [6] ex *quo* vir *ſum*,
nec *eſt* intelligentia [7] hominis mihi:
3 Neque didici ſapientiam, aut [8] ſcientiam
ſanctorum novi.
4 [9] Quis aſcendat cælos & deſcendat? quis
colligat ventum pugillis ſuis? quis liget aquas
ſuo pallio? quis ſtabiliat ullos fines terræ? [10]
quod *eſt* nomen hujus, & quod nomen filii i-
pſius? ſi noveris?
5 [11] Totus ſermo Dei purgatiſſimus *eſt*, ſcu-
tum eſt recipientibus ſe ad ipſum.
6 Ne adjicito ad verba ejus; ut non corripi-
at te, [12] & efficiaris mendax.
7 [13] Duo peto abs te: ne prohibeas à me,
tantiſperdum vivo.
8 [14] Vanitatem & rem *b* [15] mendacem longe

a Heb. *vir correptionum.* ‖ *ſup.* 11.10. & 28.28. ‖ *ſup.* 10.1. & 15.20. [1] i. ſe & facultates, omnes, ſynecdochicè: ac proinde triſtitiã parẽtibus affert: ſup. 5.9. & ſequentibus. b Heb. *vir oblationum.* [2] i. perinde facit ac ſi inſidiaretur vitę: ut Jeſch. 3.11. [3] i. ſuum cuique peccatum tãdem malum & triſtitiam affert: qui autem ſibi bene ſunt conſcii & juſtitiam colũt, pacem & gaudium poſſident. 4 i. negligit. c Heb. *deriſionis.* d Heb. *ſufflant.* i. *ſufflando inflammãt, ſynecdochicè.* [5] i. quocumque modo ſapiens conetur ſtultum corrigere, nihil efficit tamen; ſed ille inquieto animo permanet. [6] ſapiens videlicet, hoc eſt ſeverè, aut jocosè agat, nihil ampliùs præſtat. [7] ideoque averſantur, cum recti contra requirant, quia amãt, ut eum adjungant ſibi. e Heb. *animam ejus: ſic inf.* 24. ‖ *ſup.* 14.33. & 15.2. f Heb. *in poſteriore.* [8] nimirum animum ſuum, i. continet quicquid habet in animo, ut ſuo tẽpore & loco proferat. g Heb. *pauper & vir induſtriarum.* [9] i. duo ſunt in hac vita hominum genera, alii rudes, imperiti & idiotę ſunt, ac velut pauperes animi facultatibus: alii verò callidi & fraudulenti; quumq; & humanæ ſocietatis & privatorum negotiorum ratio poſtulet ut inter ſe occurrant; videndum eſt utrique ut coram Deo gerant res ſuas, & integrè ambulent; qui idem vitam utrique contulit, & adhuc præſentem lucem commodat. h Heb. *in fide ſup.* 20.28. & 25.5. ‖ *ſupr.* 13.24. & 22.15. & 23.13. & 14. [10] Expoſitio quomodo filius ſibi permiſſus pudefaciat parentes: malitia enim (inquit) cum ætate creſcit, ſi flagris non expellitur: unde conſequitur defectio, & poſtremò ruina miſerabilis. ‖ *Pſal.* 91.8. *Malea.* 4.21. ‖ *ſup.* ỳ.15. [11] i. doctrinæ Dei ex lege & prophetis prædicatio. [12] utiliter, hoc eſt, nuda verborũ caſtigatione non emendatur ſervus ſurdũ agens, ac proinde hero nõ obſequens. ‖ *ſup.* 26.12. 13 i. qui ſervo indulget, dominum cõparat ſibi & familiæ ſuæ: qui tandem vel ipſos liberos extrudat miſere, aut etiam enecet. Hanc interpretationem ex R. Jehuda aliis prætulimus: cujus exemplum eſt in Jerobhamo, & compluribus regibus Jiſraelis.
i Heb. *in fine ſuo.* ‖ *ſup.* 15.18.
k Heb *vir iræ.* l Heb. *dominus excandeſcentiæ.*
‖ *ſup.* 15.33. & 18.12. *Luc.* 14.11.
14 i. in ſe ipſum injurius eſt, non tantum qui committit ſcelus, verùm etiam qui commiſſum diſſimulat: vide Levit. 5.1.
15 i. non ſecurus de benevolentia Dei: vide ſup. 28.14.
m Heb. *trepidatio hominis hypallage.*

16 i. merito quidẽ adeuntur judices; ſed inprimis adeundus eſt Deus, in cujus manu eſt animus regis, ſuprà 21.1. o Heb. *viri.* p Heb. *iniquitatis.*

1 Hoc caput nõ eſſe Schelomonis evincunt inſcriptio, ſcribẽdi forma, & petitio ipſa, ỳ.7. & ſequentibus. Hac enim inſcriptione docetur auctor fuiſſe Agur filius Jake, cujus mentionem alibi in ſcriptura fieri non meminimus. Eſt autẽ proverbiis Schelomonis hoc caput adjũctum propter argumẽti ſimilitudinem, & brevitatem ipſius. 2 i. collecta documentorũ, quæ ex Aguris verbis decerpta ſunt & coacervata: ut infrà 31.1. quod Hebræa voce, ut polyſema eſt, plane ſignificatur eadem ratione, qua verbum alterum eſt adhibitum ſup. 25.1. Continentur autem hoc capite documenta primùm ſpiritualis vitæ, uſque ad verſum 7. deinde præſentis, uſque ad 10. ac poſtremò miſcella documenta & obſervationes.
3 id eſt, hæc eſt ſententia, tum Aguris Prophetæ, tum virorum omnium qui aguntur ſpiritu Dei, quam debent conſtituere apud ſe, de exſpectatione Chriſti & ſalutis ſuæ. 4 id eſt, Chriſto Deo, qui nobis præſens eſt, & per quem omnia poſſumus: nam Ithiel vox eſt compoſita ex tribus partibus, quaſi dicas, mecum Deus fortis, ut Himmanuel. Jeſchah. 7.14. Ucal vero ſimiliter nomen eſt factum à verbo quod ſignificat poſſe: ut his duabus appellationibus moneentur pii de ſui ſanctificatione per Dei præſentiam & potentiam infinitam in Chriſto: prout quinque ſequẽtibus verſibus exponitur. Tantum hoc obſervandum eſt ex vocali brevi & puncto quod Grammatici vocant Dagheſch confectã eſſe vocalẽ longam in prima ſyllaba prioris vocabuli. Repetitionis porro cauſa nõ obſcura eſt, nimirum amplior declaratio præcedentis nominis, hoc modo: Ac meritò quidem pii in Chriſto gloriari debẽt, tum quia idem eſt Deus & homo, adunata hypoſtaticè perſonæ natura noſtra in ipſo; tum quia omnis poteſtas data eſt ipſi in cælo & terra ad perficiendam ſalutem noſtram. Hæc prior eſt documenti ſpiritualis confirmatio à perſona Chriſti. Sunt autem hujus ſpiritualis documenti partes duæ: una, de ſumma ſalutis noſtræ, quam ſinguli fideles debent extra ſe in Chriſto ponere, uſque ad verſum 5. altera, de ratione illius ſalutis participandæ verbo, verſ. 5. & 6.
5 altera confirmatio ſuperioris propoſitionis à natura noſtra: quia à natura nihil ſcimus eorum quæ ad ſalutẽ pertinent, duobus verſibus, & nihil poſſumus extra Chriſtum, verſ. 4. 6 id eſt, inde ab ortu meo.
7 id eſt, quæ primum fuit in homine antequam obbruteſceret, ac proinde in homine ineſſe deberet. 8 id eſt, ſalutis & vitæ æternæ, quò ſoli ſancti perveniunt. 9 ſupple alius quam Ithiel. Jam confirmat ab imbecillitate noſtra, quaſi dicat, neque ſcimus viam ſalutis, neque poſſumus ex nobis ipſis cognoſcere: nam ſalutis fons apud Deum eſt ſupra omnes cælos: non poteſt autem quiſquam cælos conſcendere, ut cognoſcat viam ſalutis noſtræ & deſcendens ad nos afferat: deinde ſubjungitur his verbis gradatio elegantiſſima ad evincendam infirmitatem noſtram: quid dico (inquit) neminem in cælos aſcendere? imo ne vẽtos quidem in aëre, ac ne aquas quidem inferiores gubernare, poſtremo ne terræ quidẽ ipſius quam calcamus, finem tantillum ſtabilire poteſt: qui ergo aſcenderet homo & expiſcaretur voluntatem Dei? & quis alius hæc faceret niſi Ithiel, & Ucal, id eſt, Chriſtus, omnipotens Propheta, Sacerdos, & Rex noſter? vide Joan. 3.13.
10 q. d. expone ſi vel de nomine ſaltem, id eſt leviſſimè, à natura poſſis eum cognoſcere, qui hæc omnia præſtat in rebus creatis, & in nobis quoque pręſtiturus eſt; qui & auctor ſit ſalutis quam exſpectamus, & ea de cælis ad nos afferat: hæc non naturæ ſunt bona, ſed gratiæ munera: caro & ſanguis non revelat iſta, ſed Pater qui eſt in cœlis, Matth. 16.17. nemo novit filium niſi pater, neque patrem agnoſcit quiſquam niſi filius, & cui voluerit filius revelare, Matth. 11.27.
11 altera pars documenti ſpiritualis de ratione ſalutis conſequendæ: in qua ſpectantur duo: unum à Deo, nimirum verbum ſalutis, & efficacitas Spiritus, hoc verſu; alterum à nobis, nimirum fides & obſequium integrum, verſu ſequẽte. ‖ *Pſalm.* 12.7. & 18.31. ‖ *Deut.* 12.32.
12 id eſt evincaris mendacii: ſenſus eſt, ne minuito aut mutato de veritate illius quicquam; quod mendacii eſt.
13 ad vitam ſpiritualem & corporalem pertinentia, uſumque ejus legitimum; ut oſtendunt duo ſequẽtes verſus ſic orare nos docuit Chriſtus altera parte orationis ſuæ, poſt quam preces expoſuit ad gloriam Dei pertinentes; ut hactenus Propheta regnum Dei in nobis explicavit.
a Heb. *quum nondum morior.*
24 id eſt, remitte nobis peccata noſtra, & ne nos induca in tentationem; ſed libera nos à malo. b Heb. *mendacii.* 25 id eſt, alienam à verbo veritatis, ut ſupra verſ. 6.

amove

amove à me: [16] paupertatem aut divitias ne
des mihi; ale me cibo demenſi mei:
9 ‖ Ne [17] ſaturatus ementiar ac dicam; quis
*eſt* Jehova? neve pauper factus furer, denique
*c* abutar nomine Dei mei.
10 [18] Ne *d* inſimules ſervum apud domi-
num ſuum, [19] ne maledicat tibi, & reus pera-
garis.
11 [20] Generatio *eſt quæ vel* patri ſuo male-
dicit, & matri ſuæ non benedicit:
12 Generatio munda in oculis ſuis, quam-
vis à ſorde ſua non ſit abluta:
13 Generatio cujus oculi quam elati ſunt:
& cujus palpebræ extollunt ſeſe:
14 Generatio cujus dentes *ſunt* gladii, &
cujus molares, cultri; ad conſumendum pau-
peres è terra, & egentes ab hominibus.
15 Præter hirudinem [21] *cui* duo ſunt *f* rami,
[22] præbe præbe; tria ſunt inſatiabilia, *imò* qua-
tuor non dicentia, ohe:
16 Sepulcrum, & *g* [23] occluſa vulva; terra
non ſatiatur aquis, & ignis non dicit, ohe.
17 [24] Oculum *qui* ſubſannat patrē, aut ſper-
nit obedientiam matris; hunc effodient corvi
vallis, aut comedent eum *h* juvenes aquilæ.
18 Tria iſta occulta à me, imò quatuor hæc
non novi:
19 Viam aquilæ in cælo, viam ſerpentis in
rupe; viam navis in *i* alto mari, & viam viri in
[25] virgine.
20 Ita *eſt* via mulieris ſcortantis: [26] come-
dit, deinde abſtergit os ſuum; tum dicit, non
ſum operata iniquitatem.
21 Sub tribus commovetur terra; imo ſub
quatuor, [27] *quæ* non poteſt ferre;
22 Sub ſervo, quum regnat, & ſtulto quum
ſatur eſt cibo:
23 Sub exoſa, quum maritatur; deniq; ſub
ancilla, quum hæres efficitur heræ ſuæ.
24 Quatuor iſta parva *ſunt*, *k* humilia; ta-
men ſunt ſapientia apprimè ſapientia:
25 ‖ Formicæ populus *l* infirmus; quæ com-
parant æſtate cibum ſuum:
26 [28] Mures montani populus invalidus; di-
ſponunt in petra domum ſuam:
27 Rex non *eſt m* locuſtis, tamen proce-
dunt confertæ omnes:
28 [29] Aranea [30] manibus prehendit, quæ *eſt*
in palatiis *n* regalibus.
29 Tria iſta *o* bene procedunt, imo quatuor
bene ambulant:
30 Vetus leo robuſtiſſimus inter beſtias,
qui non retrogreditur metu cujuſquam:
31 [31] Accinctus lumbis *equus*, aut caper: &
rex, [32] *p* in quem nemo inſurgit.
32 [33] Si ſtultus fuiſti efferendo te; ſive co-
gitaſti, [34] manum ori imponito:
33 [35] Nam *ut* preſſura lactis educit butyrum,
& preſſura naſi educit ſanguinem; ita preſſura
irarum educit litem.

[16] quod dixit Chriſtus, panem noſtrum quotidianum, &c. ‖ *Deut.* 8.10. & *ſeq.* & 32.5. & *ſeq.* 17. ut Deut. 8.11. c *Heb. prehendam nomen.* [18] i. pacem & amicitiam cum quibuſque vel tenuiſſimis colito, & concordiam inter omnes foveto. d *Heb. lingua offendas.* [19] i. Deum imploret contra te, qui miſerorum patronus eſt & vindex: Exod. 22. 23. 20 ſequentes ſententiæ ferè ſunt tetracoli. Hac autem prima quatuor improborum genera deſcribūtur: pervicaces, hypocritæ, ſuperbi, & calumniatores inhumani. e *Heb. ab excremento, ſive ſtercore.* ‖ *ſup* 11.17. 21 quæ biſulcam habet linguam, itaque binis ramis ſanguinem indeſinenter ſugit, ex quibus etiam præciſo ore veluti ſiphonibus defluit ſanguis, ut loquitur Plinius lib. 32. cap. 10. f *Heb. filiæ, ut Gen.* 49.22. 22 i. indeſinenter ſugentes & ſanguinem attrahētes, tam aperto ſtudio quaſi loquerentur. g *Heb. occluſio vulvæ.* 23 videlicet ne concipiat. q.d. quæ ſemen injectum minimè continet. 24 i. filium immorigerum, aut parentibus iniquum in malam rem condemnabit Deus. h *Heb. filii aquilæ.* i *Heb. corde maris.* 25 i. lupa perfrictæ frontis, quæ ſe poſt maleficium virginem impudenter aſſerit & pro intacta vendicat: quomodo accipiendum eſſe ſequēs verſus oſtendit. 26 id eſt, perpetrato maleficio ita ſe obfirmat quaſi integra eſſet à viro: euphemiſmus res obſcœnas honeſtis verbis exprimens. 27 nimirum quin commoveatur, q.d. quatuor hæc ſunt apud homines intolerabilia. k *Heb. terræ.* ‖ *Sup.* 6.6.
l *Heb. non robuſtus.* 28 quos Græci chœrogylios ſive arctomyas vocaut. quibus abundare Syriam teſtatur Hieronymus ad Suniam & Fretelam vide in Levit. 11. m *Heb. locuſtæ tamen procedit, &c. Enallage numeri.* 29 de cujus ſolertia vide Plinium lib. 11. cap. 24.
30 i. pedibus, qui utrimque ita conſtituti ſunt ut patula hominum manus, ad tractanda fila, & eſcam retibus ſuis deprehendendam.
n *Heb. regis.*
o *Heb. benefaciunt proceſſum, benefaciunt ambulando.*
32 i. equus edoctus militiam, ſternax, pugnax, & generoſus, de quo Ijobi 39.22. & ſequ. Hanc autem interpretationem etymo vocis & argumento adducti aliis prætulimus. 33 vide ſuprà 12.27.
p *Heb. non ſurgere contra ipſum.* 33 ſenſus eſt, iſta quæ modo diximus ſe efferant per nos licet: ſed virum Dei nolo altum loqui aut ſapere.
34 i. contineto ſermones tuos, proverbiale dictum, ut Ijobi 9.9.
35 i. ſtulto ſermone tuo litem accenderes; & tibi malum accerſeres.

## CAPUT XXXI.

*Rex docetur cavere à mulieribus & vino, juſtitiamque diligenter colere: deinde inſtituitur ut bonam uxorem a Deo expetat, & encomium illius deſcribitur.*

1 [1] VErborum Lemuelis regis [2] comporta-
tio, quibus erudiverat ipſum [3] mater
ipſius.
2 [4] Quid *dicam*, fili mi? ecquid fili uteri
mei? & quid fili [5] votorum meorum?
3 [6] ‖ Ne dedito fœminis robur tuum, & vias
tuas [7] facientibus ut deleantur reges.
4 Abſit regibus, ô Lemoel, abſit regibus [8]
bibere vinum; & dominatoribus deſiderium
potus inebriantis:
5 Ut non cum biberit, obliviſcatur ſtatuti,
& mutet jus *a* ullorum afflictorum.
6 [9] Date potum inebriantem perituro, &
vinum amaris animo:
7 Bibat ut obliviſcatur [10] paupertatis ſuæ; &
moleſtiæ ſuæ non ſit memor ampliùs.
8 [11] Aperi os tuum [12] pro muto, in cauſa o-
mnium *b* [13] qui jam traduntur excidio.
9 Aperi os tuum, judica *c* juſtè; cauſam age
pauperis & egentis.
א 10 [14] Fœminam *d* ſtrenuam quis inveniet,
quū *e* longè ſuperet carbunculos pretiū ejus?
ב 11 [15] Confidit ei *f* animus mariti ejus, & [16]
ſpolia non deficiunt.
ג 12 ‖ [17] Afficit eum bono, non autem ma-
lo; omnibus diebus vitæ ſuæ.
ד 13 [18] Quærit [19] lanam aut lina, conficitque
pro voluntate manuum ſuarum.
ה 14 Eſt ſimilis navibus *g* negotiatoriis, è
longinquo advehit cibum ſuum.
ו 15 Et ſurgens dum adhuc nox *eſt*; dat *h* e-
ſcam domui ſuæ, & penſum puellis ſuis.
ז 16 Cogitat agrum, & [20] accipit eum, [21]
de fructu manuum ſuarum plantat vineam.
ח 17 [22] Accingit robore lumbos ſuos & con-
firmat brachia ſua.
ט 18 Ipſius guſtantis bonum eſſe mercimo-
nium ſuum [23] nō exſtinguitur noctu lucerna.
י 19 Manus ſuas immittit ad verticulum, &
manus ejus tenent fuſum.
כ 20 [24] Volam ſuam pandit pauperi, & ma-
nus ſuas extendit egenti.
ל 21 Non timet familiæ ſuæ à nive: nam to-
ta familia ipſius veſtitur *i* penulis duplicibus.

[1] i. quæ Schelomo priùs ad ſe à matre habita monimentis literarū tradidit, quum rex eſſet: nam etſi mutatum eſt Schelomonis nomen, & ſervatis tantū litteris poſterioribus nomen alterum à matre inditum: tamen non dubium eſt quin illa auditis promiſſionibus Dei Schelomoni puero, hoc nomine facto gratulata ſit, eumqi informarit in futura adminiſtratione regni. Formatum eſt autem nomen Lemuel ſive Lemoel. v 4 à blāda matre per aphæreſin primæ literæ de nomine Schelomonis, & adjectionem nominis El, quod eſt Deus fortis, ſignificátque Lemuel cū qui Dei fortis eſt. [2] ut ſup 30.1. [3] Bathſchebah certior facta de inſtitutione Dei, ut manifeſtum eſt ex 1. Reg. 1.13. Continentur autem his verbis primū exordium 2. verſ. deinde genera documētorum duo, unū; de adminiſtratione publica & rebus eò pertinentibus, uſq; ad verſum 10. alterum œconomicum, inde ad finem uſque. [4] exordium ἐξ ἀπορίας, i. à dubitatione; quæ ſermonis qui mox ſubjicitur, gravitatem demōſtrat evidentiſſimè.

[5] i. pro quo non deſino nuncupare vota Deo, quem unicè diligo.
[6] prius genus documentorum πολιτικῶν, continens partes duas; unam, eorū à quibus cavendum eſt, quinque verſibus; alteram, eorum quæ ſunt præſtanda in tota adminiſtratione, verſ. 8 9. ‖ *Deut.* 17.16.
[7] i. fœminis, quarum cauſa ſæpe domus, opida, & regna univerſa deleta ſunt.
[8] Avide & voluptuarie, ut ſequens membrum oſtendit, & ætiologia verſūs proximi. a *Heb. filiorū afflictionis.* [9] i. ei qui præ anxietate & amaritudine animi prope eſt ut pereat, vinum dandum eſſet ut exhilaretur animo & obſit nemini, ſi quando dari oporteret: conceſſio duobus verſibus.
10 i. mali, ſynecdochicè. 11 altera pars documētorum πολιτικῶν, ut dictum eſt in verſum 3. 12 qui ſuam cauſam agere, & ſe defendere nō audet vel poteſt: ſynecdoche. b *Heb. filiorum excidii: ſimile Pſalm.* 79.11.
13 i. miſeros verſantes in præſentiſſimo vitæ diſcrimine juſtè vindicato, ut ſequens verſ. imperat. c *Heb. juſtitiam.* 14 altera pars documentorum, continens encomium mulieris alphabetico ordine exaratum: quo videtur Bathſchebah Schelomonem filium præmonuiſſe, tum ut ſtudioſe obſervaret, quam ſibi uxorem adjuncturus eſſet, tum ut ſollicite rem ſuam commendaret Deo & aſſiduis precibus piam uxorem exoraret, quam ſola benevolentia Jehovæ offerre poteſt, non autem homo ſua induſtria conſequi: ſupr. 18.22. & 19.14. Sunt autem hujus encomij partes tres: exordium, hoc verſu: propoſitio ſive deſcriptio ſtrenuæ mulieris, uſque ad verſ. 29. & concluſio, inde ad finem uſque.
d *Heb. roboris.* e *Heb. longinquius eſt carbunculis.* [15] deſcriptio mulieris ſtrenuæ à corpore & ſpiritu: corporalis adminiſtratio continet duo membra: unum, officii erga virum ſuum: alterum, erga familiam totam: quæ duo prolepticè hoc verſu poſita ſequentibus exponuntur uſque ad verſ. 25. f *Heb. cor.*
[16] i. tam circumfluit bonis omnibus familia ejus, quam milites ſpoliis expugnata urbe, aut hoſte ſuperato. ‖ *ſup.* 12.4. [17] de officio in virum.
18 de officio domeſtico in familiam totam. 19 i. materiam quamlibet opificii, in quo ſe familia exerceat. g *Heb. mercatoris.* h *Heb prædam: ut Pſ* 111.5.
20 i. dato pretio comparat, quem colat. 21 i. ex lucro manibus facto.
22 i. ut aliis penſum tribuit, ſic ipſa quoq; eſt in opere. 23 i. vigilantiam & diligentiam adhibet operi. 24 i. de fructu laboris ſui cum egenis bus liberaliter communicat. i *Heb. diploidibus, quas Latini notarunt appellatione lanæ,*

25 i. ſtudiũ ipſius perſpicitur etiã in ornamentis viri decoris & convenientibus dignitati ejus: ſic enim accipiendũ eſſe verſum hũc commonſtrant antecedentia & conſequentia. 26 alter locus encomii de cõſtitutione animi ſermonũque, & ratione quã mulier ſancta ſervat tota vita ſua.

מ 22 Cadurca parat ſibi, xylinum & purpu-
reum *eſt* veſtimentum ipſius.
נ 23 [25] Notus eſt in portis maritus ejus, con-
ſidens cum Senioribus regionis.
ס 24 Sindonem conficit ac vendit, & cin-
gulum tradit negotiatori.
ע 25 [26] Robur & decor *eſt* veſtitus ejus, &
[27] ridet *k* ad tempora ſequentia.
פ 26 Os ſuum aperit *l* ſapienter, & doctrina
benignitatis inſidet linguæ ejus.
צ 27 Speculatur *m* rationes familiæ ſuæ ci-
bumque pigritiæ non comedit.
ק 28 [28] Aſſurgentes filii ejus beatam prædi-
cant eam, maritus ejus ſimiliter laudat eam,
ר 29 *Dicens*: [29] multæ *n* fœminæ fecerunt
ſtrenuè, tu vero *o* ſuperas omnes illas.
ש 30 *p* Fallax *eſt* gratia, & vana pulchritudo;
‖ mulier reverentia Jehovæ *prædita*, ipſa lau-
dem comparat ſibi.
ת 31 [30] Date ei de fructu manuum ejus, &
laudent eam [31] in portis facta ejus.

28 id eſt, ſapiente hac adminiſtratione ſua laudem ſibi cõparat, quæ ſequentibus verſibus concluſionis loco proponitur. 29 cõcluſio laudativa, ut dictũ eſt ſupra in ℣. 10. ſunt autem laudationis loci ſumti à comparatione, primum adminiſtrationis aliarum mulierum, hoc verſu; deinde ipſarum perſonarum inter ſe, verſu ſequente.

27 hoc eſt nihil eſt anxia aut ſollicita de rebus venturis, ſed freta bona cõſcientia ſe cõparat in omnẽ eventum, & ab imminentibus malis, adeoq; morte ſecura eſt: quæ ſecuritas ferè ridẽdi verbo exprimitur: ut Ijobi 39.10. & 25. k *Heb. ad diem poſterum: ſynecdoche.* l *Heb. in ſapientia.* m *Heb. ambulationes.* n *Heb. filiæ.* o *Heb. aſcendis ſupra omnes eas.* p *Heb. falſitas, gratia & vanitas pulchritudo.* ‖ 1. Pet 3.3. & ſequent. 30 id eſt, tribuite ei laudem quam officiis ſuis promeretur. 31 i. palàm, & publica conſenſione omnium.

# ECCLESIASTES.

## ARGUMENTUM.

Conf. Seb. Castellionis Argumentum in Adnotatis ad calcem; qui mihi, ut alibi ita et ibi, non desipere videtur.

LIBER *Eccleſiaſtæ profeſſionem continet, qua Schelomo ductus ſpiritu Dei voluit coram Eccleſia ejus teſtificari ſeriam reſipiſcentiam ſuam, & inſtituere omnes in via veritatis. Propterea exponit primùm rationem ſtudiorum ſuorum & inſtitutæ vitæ: deinde obſervationem omnium earum occupationum quibus ſe homines dedunt, & impias cogitationes quibus ſe implicant; ac poſtremò multiplicem adminiſtrationem tum inconſtantiſſimorum hominum, tum Dei ſapientiſſimi: quæ omnia (hac una excepta adminiſtratione Dei) omnino vanitatis damnat, adminiſtrationem Dei aſſerit, homines ad publica privataque humanitatis officia & pietatis revocat, mortem & judicium Dei rebellantibus denunciat, & in officio confirmat pios.*

## CAPUT PRIMUM.

*Sapiens omnis humani ſtudii laboriſque vanitatem in hac vita ſummam eſſe docet, tum propter hominum ipſorum, tum propter rerum vanitatem de quibus laborant: & ab experientia ſua hoc argumentum confirmat de iis rebus quæ in ſcientia & cognitione poſitæ ſunt.*

1 Totus hic liber didaſcalicus eſt conſtans ex duobus potiſſimum documentis: unum eſt, de vanitate ſtudiorum omnium mundi, quibus homo ſe addicit natura duce; alterum, de ſtabilitate pietatis & reverentiæ Dei

1 VERBA [1] *a* Eccleſiaſtę filii Davi-
dis, regis Jeruſchalaimis.
2 Vanitas *b* vaniſſima, inquit
Eccleſiaſtes, vanitas vaniſſima, [2]
iſta omnia *ſunt* vanitas.
3 Quid emolumenti *eſt* homini, ex toto la-
bore ſuo quo laborat, [3] ſub ſole?
4 *c* [4] Generatio una abit, & altera advenit:
[5] quamvis terra [6] in ſeculum permaneat.
5 Oritur Sol, & occidit ſol; iterumque [7] ad
locum ſuum aſpirat, *d* ubi oriatur.
6 [8] Properat ad meridiem, & circumit ad
Aquilonem; *e* converſatione ſua circumiens
properat *f* aër, & ſecundum circuitus ſuos re-
vertitur aër.
7 Omnia flumina properant ad mare, nec
tamen mare impletur; [9] quocumque loci flu-
mina properant eõdẽ [10] revertuntur *g* properè.
8 [11] Singulæ res iſtæ [12] fatigantur, [13] non poſ-
ſet quiſquam eloqui; non ſatiaretur oculis vi-
dendo, neque impleretur auris auditu.
9 [14] Id quod fuit, idem *eſt* quod futurum
eſt, & id quod fit idem *eſt* quod fiet; neque *eſt*
quidquam novi ſub ſole.
10 [15] Eſt-ne aliquid *de* quo dicitur, aſpice
hoc novum eſt? jam fuit per ſecula, *h certè* fuit
ante nos.
11 Non *eſt* memoria de prioribus: etiamq; de
poſterioribus quæ futura ſunt, non erit de ipſis
memoria apud *illos* qui erunt in poſterum.
12 [16] Ego Eccleſiaſtes, [17] quum eſſem rex
ſuper Jiſraelem Jeruſchalaimis;

7 i. ad orientem: periphraſis, vide Pſ. 19.6. & 7. d *Heb. oriatur ipſe ibi.* 8 i. perpetuo motu agitatur, & per cunctas res meabilis totoque mundo confertus ultro citròque commeat: ut loquitur Plin. lib. 2. cap. 5. & 38. e *Heb. circumiens circumiens.* f *Heb. ſpiritus: ut Plinius lib. 2. cap. 5. vocat.* 9 i. aquæ in mare profluentes iterum ad eadẽ principia remeant: ſive nubibus liquore egreſſo in ſublime, & ex ſede aëris coacto in liquorem genitis (ut ex Ariſtotele legendum eſt apud Plinium lib. 2. cap. 42.) ſive aquis ſe mutuo implexu jungentibus terrę & per venas illius diſcurrentibus ſiphonumq; modo emicantibus: qua ratione manifeſtum eſt, quare tot fluminũ quotidiano acceſſu maria non creſcant, fineſve ſuos tranſiliant: ut loquitur idem Plin. lib. 2. c. 65.

ſupra omnẽ mundum: quod poſterius ex occaſione per antitheſes quaſdam pluribus locis hîc illic inculcatum copioſe tandem ſub finem libri explicatur. Præfigitur autem toti huic operi inſcriptio, qua Schelomo conſilium ſuum in hac ſcriptione, tempus, & locum explicat. Nam quum ſe ipſum animam i. perſonam Eccleſiaſticam nominat; aperte conſilium & tempus definiuntur, quo hæc verba ab ipſo fuerunt habita: conſilium quidem, ut abjuraret ſceleratam vitam ſuam inde à defectione (de qua 1. Reg. 11.) peſſime traductam, ut reſipiſcentiam profiteretur, & ſolemni hoc ſcripto reconciliatus haberetur cum Deo & cum Eccleſia, abs quà fuerat abſtentus, ut loquuntur patres: tempus verò, quia hæc à Schelomone tum demum ſcripta ſunt, quum à Deo reprehenſus eſſet, & reſipiſceret, ætate jã provecta, & comparata rerũ tam multarum quæ hoc libro continentur longa experientia: ut obſervatum eſt 2. Chron. 11.17. Quum autem nominat Jeruſchalaima, Eccleſiam Dei intelligit, in qua tum hos ſermones habuit, & cui traditos in ſempiternam memoriam literis conſignavit. Quamobrem ſive Eccleſiaſtem interpretemur, i. ſermonem in Eccleſia habentem, ut pœnitentes faciunt: ſive Eccleſiaſticum, i. de integro Eccleſiæ adunatum, non magni intereſt: quia duo hæc conjuncta ſunt inter ſe, pœnitere in Eccleſia, & in eam recipi. Illa autem ſtudiorum humanorũ vanitas tractatur primùm γενικῶς propoſitis rebus quæ tum in cognitione, tum in uſu verſantur, duob. primis capitibus, deinde verò κατὰ μέρος, i. particulatim ſive membratim ab exemplis ſingularibus ad ſcientiam & uſum pertinentibus, inde à c. 3. Cæterum hujus capitis reliquæ partes ſunt tres: prima eſt, propoſitio ſumma de vanitate. ℣. 2. & 3. quæ etiam repetitur in concluſione libri; ſecunda, confirmatio propoſitionis à noſtra ipſorum vanitate & ſtudiorum noſtrorum. à ℣. 4. ad 12. tertia, confirmatio à ſingulari ipſius Schelomonis obſervatione & experientia; quæ reliquo hoc capite ſtudio ſcientiæ, deinceps verò ſtudio aliarum rerum accommodatur. a *Heb. animæ Eccleſiaſticæ: ſic deinceps.* b *Heb. vanitatum: vide Gen. 9.25. ſic deinceps.*

2 de quibus deinceps acturus in hoc argumento. 3 i. in hac vita, quid eſt quod homo ſuo labore poſſit efficere? c *Heb. generatio abit & generatio advenit.*

4 ſubjectio ad præcedentem quęſtionem, q. d. nihil profecto emolumenti humanitus poteſt homini accedere duabus de cauſis: una, à natura hominis quum ipſe homo vanitati ſubjectus ſit & celerrimè decedat hoc ℣. imò quamvis non decederet, tenuior tamen eſt quàm ut ea ipſa quibus operam dat vel abſolutè eloqui, vel mente poſſit cõprehendere, verſ. 8. altera à natura rerum creatarum omnium inſtabili, & vices innumeras quotidie ſubeunte, 4. ſequentibus, in primis verò factorũ in quibus occupatur homo, verſ. 8. & ſeq. 5 amplificatio vanitatis humanæ per comparationem aliarũ rerũ quæ in natura ſunt, quarũ hæ perſtant, aliæ verò etſi ad tẽpus diſparent, tamẽ in ſtatũ ſuum priſtinum revertũtur perpetua ſua converſatione. q. d. homo rerum omnium res vaniſſima eſt: nã neque immotus permanet; ut terra; ſed momento deficit; neque poſtquam ſemel abiit revertitur. ut alia faciunt, de quibus tribus ſequentibus: ſed ſemel mortuus ad vitam hanc nunquã revertitur. 6 hominis vani comparatione; hoc enim κατὰ τί, non ſimpliciter eſt accipiendum, ut apparet ex Pſalm. 102.27. & 2. Pet. 3.10.

10 à mari in quod influunt. g *Heb. properando.* 11 nimirũ in quib. laborat homo ſub ſole: alterum membrum pertinens ad ſecundam cauſam vanitatis, ut obſervatum eſt in ℣. 4. 12 perpetua ſui agitatione, ac proinde ſua infirmitate in vanitatẽ abeunt verſ. 2. metalepſis. 13 i. priùs emoriatur homo & ipſe vanitati cedat, quàm poſſit rerum iſtarum vanitatem ſermone cõplecti, ſenſibus percipere, aut mente comprehendere. 14 exornatio ſuperioris documenti de fatigatione & vanitate rerum omnium: tum à naturali earum corruptione: generatione, mutatione, ortu, & interitu, duobus verſibus: tum à perpetua earum oblivione, ℣. 11. Senſus eſt, res iſtæ, facta & eventa eadem ſunt quidem, ſpecie tenus, ſed mutantur in dies individua (ut vocant) ſingularia: ſive (ut paucis dicamus) omnia ſunt eadem ſpecie: ſed differente numero, factiſq; & eventis variis.

15 i. nihil eſt, quantumvis videatur novum & inauditum ſit, quod non ſemper fuerit antehac, aut certè aliquo tempore præcedente. h. *Heb. ab ante nos.*

16 tertia pars, confirmatio ſingularis, ut obſervatũ eſt ſup. in verſ. 1. ſub finem.

17 ac proinde potẽtia, opibus, & facultate plus valerem quã alii omnes ad illa exploranda: ut ipſe loquitur inf. 2. 7. & 12. Ponuntur autem deinceps ſingularia capita earum rerum quas Schelomo ſe obſervaſſe & exploraſſe confitetur, ad confirmandum locum de rerum iſtarum omnium vanitate. Quamobrem nos ea ſuo quæque loco notabimus.

13 [18] Appli-

13 [18] Applicans animum meum ad diſquirendum & ad explorandum ſapientiam de omni [19] eo quod fit ſub cælis (hanc occupationem [20] malam dedit Deus filiis hominum, ut occuparent ſe in ea)

13 Vidi omnia facta quæ fiũt ſub ſole: quod ecce, [21] iſta omnia *ſunt* [22] vanitas & afflictio ſpiritus:

15 [23] Perverſum non poſſe corrigi, & defectum non poſſe *i* in numerum venire.

16 [24] Loquutus ego cum *k* animo meo dicendo; ecce, ego amplificavi & adjeci ſapientiam ſupra omnes qui præfuerunt ante me Jeruſchalaimis, & animus meus *l* percepit multum ſapientiæ & ſcientiæ,

17 Adjeci quoque animum meum ad cognoſcendum [25] ſapientiam; & ſcientiam *m* omnis inſaniæ & ſtoliditatis; cognovi [26] etiam hoc eſſe afflictionem ſpiritus.

18 primũ caput obſervationum Schelomonis, de rebus ſcientia & cognitione cõprehenſis, hiſtoricis atque ethicis. Hiſtoricarũ autẽ genera duo ponũtur, phyſica ſive naturalis hiſtoria, & geſta: incubui (inquit) comparãdæ cognitioni rerum naturalium & geſtarũ; ſed deprehendi tandẽ, ut res ipſas, ita earum cognitionem vanã eſſe, homini laborioſam, & ad regnũ cælorum inutilem.

19 ſive naturæ ordine productum, ut 1. Reg. 3. & 4. ſive extra ordinem à Deo aut rebus creatis effectum. 20 i. laborioſam & moleſtam, ut poſtea interpretatur, verſ. 14. 21 tum res, factaque ipſa, tum accurata iſtorum perveſtigatio natura duce, ac non præeunte verbo Dei & percipiente fide.

22 duo de his rebus earumque ſcientia hoc loco prædicantur: unum, quod ipſæ per ſe vanæ ſunt, neque ſalutem nobis regnumque cælorum afferunt; alterũ, quod magis animos humanos torquent & affligunt: quorum prius verſ. ſeq. poſterius verſ. 16. & 17. explicatur. 23 i. totam hanc peritiam, & perveſtigationẽ rerum adeo vanam eſſe, ut ne minimam rem quidem contortam corrigere, aut perditam repræſentare poſſit; nedum cæleſtem vitam ſubminiſtrare.

i Heb. *numerari.* 24 tranſitio à phyſica ad obſervationem ethicam, de qua hoc & ſeq. verſ. k *Heb. corde: ſic deinceps.* l *Heb. vidit.* 25 i. ethicam ſive moralem doctrinam, quæ in ſapientia vitam informat, & de ſtultitia monet eamque fugiendam docet: periphraſis diſciplinæ moralis.

m *Heb. inſaniarum.* 26 ut de hiſtorica notitia dictum verſ. 14.

## CAP. II.

*Sapiens vanitatẽ rerum humanarum docet ab incerto illarum uſu, quem ſe expertum confitetur: itaque oſtendit primum vanitatem lætitiæ, quã ex uſu vel maximarum commoditatum perceperat; deinde humanæ illius ſapientiæ cum ſtultitia comparatæ: ac poſtremò imbecillitatem hominis in bono ſuo fruendo, aut transferendo; quia omnia pendent ex œconomia Dei.*

1 [1] DEinde quia multitudini ſapientiæ ineſt multum indignationis, & qui auget ſcientiam, auget dolorem;

### CAPUT II.

2 Dixi ego cum *a* animo meo, agedum [2] probem te *b* lætitia; fruere igitur bono: ſed ecce, etiam *illud* eſt vanitas.

3 De riſu [3] dico; [4] inſanus *eſt*; & de lætitia, [5] ecquid iſta facit?

4 Exploravi animo meo, *c* continuando potationem in carne mea: idq; [6] animum meum ducens in ſapientiâ ipſa *exploravi d* amplectẽdo [7] ſtoliditatem, [8] uſque dum viderem [9] utrũ *hoc* bonum ſit filiis hominũ, quod facturi ſint ſub cælis numero dierum vitæ ſuæ.

5 *e* Maxima opera feci; ædificavi mihi domos, plantavi mihi vineas:

6 *f* Paravi mihi hortos & pomaria; in quibus conſevi arbores *g* quaſque fructiferas:

7 Paravi mihi piſcinas aquarum, ad irrigandum illis nemus *h* ferax arborum:

8 Comparavi ſervos & ancillas, & vernæ fuerunt mihi: etiam poſſeſſio armentorum & gregũ multa fuit mihi præ omnibus qui fuerunt ante me Jeruſchalaimis:

9 Congeſſi mihi etiam argentum & aurum, & peculium regum ac provinciarum; comparavi mihi cantores & cantatrices, denique delicias filiorum hominis, [10] ſymphoniam *i* & quidem omnimodam:

10 Ita magnus fui & auxi *iſta* plus quam ullus qui fuerit ante me Jeruſchalaimis; etiam [11] ſapientia mea perſtante mihi.

11 Quum autem quicquid expetiverant oculi mei non ſepoſuiſſem ab eis; nõ cohibuiſſem animum meum ab ulla lætitia; ſed animus meus lætaretur ex omni labore meo, & hoc *k* ceſſiſſet in partẽ meam ex omni labore meo:

12 Reſpexi ego ad omnia opera mea quę fecerant manus meæ; & ad laborem quem *l* laborioſè feceram: ecce autem, iſta omnia *ſunt* vanitas *&* afflictio ſpiritus; [12] ut non *eſt* emolumentum ſub ſole.

13 [13] Quamobrem converti me ego ut aſpicerem ſapientiam, & *m* omnem inſaniam ac ſtoliditatem: ([14] quid enim *facturus eſſet* homo qui *n* ſequeretur eum regẽ? id quod jam *o* factum eſt)

14 [15] Vidi quidem ego eſſe emolumentum ſapientiæ prę ſtoliditate, ut *eſt* emolumentum [16] lucis præ tenebris:

15 [17] Sapientem ipſum *ut* cui *ſunt* oculi in capite; [18] ſtolidum autem in tenebris ambulare: ſed agnovi ſimiliter ego eventum eumdem evenire omnibus iſtis.

16 Propterea [19] dixi ego cum animo meo, [20] ſecundum eventum ſtolidi etiam mihi, mihi eventurum eſt, cur ergo ſapuero ego [21] tum amplius? & dixi cum animo meo hoc quoque eſſe vanitatem.

17 [22] Nam non erit memoria tum *p* ſapientis, tum ſtolidi in ſeculum; quãdoquidem quæ jam *ſunt*, diebus advẽturis ea omnia oblivioni traduntur. [23] atqui moritur ſapiẽs ipſe cum ſtolido?

18 Itaque odi hanc vitam, quia malum videtur mihi hoc opus quod fit ſub ſole: nã hęc omnia ſunt *vanitas* & afflictio ſpiritus.

19 [24] Odi etiam ego omnem laborem meũ, quem ego laboro ſub ſole, [25] quod relicturus ſum eum homini qui futurus eſt poſt me:

1 Hunc verſum, quia tranſitum facit à ſcientia & cognitione animi ad uſum corpori animoque communem, à ſuperiore capite ad ſecundum tranſtulimus. Senſus enim eſt: quum animadverterem nõ hiſtoricam ſcientiam modo, ſed ethicam quoque humanitus nunquam hominem explere; ſed ſi tota vita nihil velit aliud agere (ut ait Tullius lib. 3. de oratore) ipſa tractatione & quæſtione quotidie ex ſe gigni aliquid quod cum deſidioſa delectatione veſtigetur, & agitatione rerum ſit infinita cognitio, laborem alium ex alio nectens, aut denique faſtidium afferens; tum retuli me ad obſervationem commoditatum omnium quæ ad hãc vitam pertinere videbantur, & exploravi, ſi qui tandẽ earum uſus præſtaret homini. Sunt autem hujus capitis membra tria: unum eſt, de uſu cõmoditatum ad hãc vitam pervenientium, uſque ad verſ. 12. alterum, de uſu ſapientiæ ad vitam tranſigendam pertinentis. inde uſque ad verſ. 18. tertium, de jure ſive facultate percipiendi ex ſe bona & commoda hujus vitæ, aut ea in alios arbitratu ſuo transferendi, ad finem uſque. a *Hebr. corde: ſic deinceps.* 2 verba hominis ſe ipſum ad hilariter agendam vitam cohortantis. Hic autem conſilium, deinde factum, verſ. 4. & ſeq. poſtremò eventus verſ. 11. & 12. proponitur; quæ omnia proleptice hi duo verſus continent: quem ordinem Schelomo ferè in ſequentibus obſervavit, priore loco rei veritatem, poſteriorẽ judicium carnis explicãdo, ut inf. 3. 17. b *Heb. cum lætitia, & vide bonum.* 3 i. nunc demum ſtatuo, humano riſu lætitiaq; expenſa quæ de rebus iſtis percipitur. 4 i. hominem malè ſanum arguit: metonymia. 5 hoc eſt, quid emolumenti affert tandem? c *Heb. ut protrahere in vinum.* 6 i. quum nondum defeciſſem à reverẽtia Jehovæ, quæ caput eſt ſapientiæ; ſed me ipſum adhuc in cultu illius externo continerem: ſic inf. verſ. 10. Senſus eſt, adhuc integro ſtatu religionis & reipublicæ, ſivi me delabi in iſtas delicias, iiſque ita ineſcati ut paulatim in Dei & mei ipſius oblivionẽ traduceret. d *Heb. ut prehenderem.* 7 i. inirem hanc ſtolidã viã & rationẽ vivendi voluptariam. 8 i. re ipſa ſenſi, factoque ex me periculo ſui ad reſipiſcentiam provocatus. 9 ſupple, an vero futurum ſit melius ut deducant & regant animum ſuum via ipſa ſapientiæ in timore Dei. e *Heb. magnificavi opera mea.*

f *Heb. feci: ſic deinceps.* g *Heb. cujuſque fructus.* h *Heb. pullulans arboribus.* 10 i. muſicã harmoniam quamque vocis, ſoni, aut utriuſque, & omne genus melodiæ: nã vox Hebræa, de qua tantopere interpretes laborarunt: ſignificat propriè vaſtationem: & quia ea eſt natura melodiæ, ut vocib⁹ paribus diſparibuſque itemque ſonis ſimilibus & contrariis cõficiatur ipſa, in quorum mixtura & temperatione alterum ab altero ita frãgitur ac veluti vaſtatur, ut ex omnibus concinnum aſſurgat μέλος concordiaque diſcors (ut Ovidius loquitur) propterea huic muſicæ commoditati nomen vaſtationis inditum eſt. i *Heb. ſymphonias.* 11 ut ſup. verſ. 4. k *Heb. fuiſſet pars mea.* l *Heb. laboraverã faciendo.* 12 i. ut nullum eſſe iſtorũ emolumentũ confirmavim⁹ ſup. 1. 13. 13 tranſitio ad uſum & evẽtum ſapientiæ mundanæ ac ſtultitię: quem ſecundum locum eſſe diximus ſupr. in verſ. 1. m *Heb. inſanias.* 14 occupatio, qua explicat Schelomo emphaſim pronominis, quo ſupra uſus eſt dicens, converti me ego, & ubiq; ferè utitur. Dixerit quiſpiam, quid ergo? tunc facere potes judicium de rebus omnibus, vanitatemq; earum evincere à tua unius experientia? falleris; neq; enim noviſti res omnes, neq; potuiſti noſſe. Reſpondet, ego vero novi & potui noſcere: quia tantus ſum rex, ut omnes alios tum ſcientia, tum facultate ſuperarim. Quamobrem quiſquis amplius laboraverit in rebus explorandis & cognoſcendis, is actum (quod aiunt) egerit; nedum æquaverit me, aut aliqua cognitione vel facultate anteiverit.

n *Heb. veniret poſt.* o *Heb fecerunt, perſonale pro imperſonali: ut Ijobi 7.*

15 conceſſio elegans de dignitate ſapientiæ præ ſtultitia in hac vita.

16 i. videntis præ cæco, aut viſus præ cæcitate; quo modo accipiendum eſſe docet verſus ſequens. 17 i. ut in viro oculato ipſius oculi tanquam ſpeculatores, & in capite tamquam in arce mirificè ad uſus neceſſarios & facti & collocati altiſſimum locum obtinent, ex quo plurima conſpicientes funguntur ſuo munere, (ut loquitur Cicero lib. 2. de natura Deorum) ita ſapienti viro ſua eſt ſapientia: qua circumſpicit multa, res bonas adhibet, & fugit contrarias.

18 ut cæcum, ſine judicio & ſapientiæ luce vitam hanc tranſigere.

19 nimirum ex ſapientia mundana, & ſpecie rerum quæ huic vitæ eveniunt judicans.

20 i. æque, moriuntur utrique.

21 i. quum mors invadet me quid profuerit mihi ſapuiſſe iſta humana ſapiẽtia? 22 confirmatio proxime præcedentis propoſitionis: nam (inquit) non tantum morte evaneſcit iſta ſapientia, ſed etiam memoria illius oblitteratur tempore. p *Heb. ipſi ſapienti cum ſtolido.*

23 epiphonema, tamquam indignè ferentis communem illum & perſpectum omnibus eventũ mortis, qua ſapiens ipſe, ſapientia, & memoria ipſius intercidit: quæ indignatio amplificatur ſeq. verſ. 24 tertius locus, de jure aut facultate percipiendi transferendive commoda hujus vitæ arbitratu noſtro: ut dictum eſt in verſ. 1.

25 id eſt, non poſſum ipſe toto frui.

20 [26] Et quis ſcit utrum ſapiẽs futurus ſit an ſtolidus, qui dominaturus eſt in omnem laborẽ meum quẽ elaboravero & quem *q* ſapiẽter comparavero ſub ſole? etiam hoc vanitas *eſt*.

21 Quapropter ego averti me, [27] deſtituendo ſpe animum meum; de iſto omni labore quem elaboravi ſub ſole:

22 [28] Siquidem eſt homo cujus labor *confectus ſit* ſapientiâ, ſcientiaque, & æquitate: homini autem qui non laboraverit in illo, traditurum eſſe illum *in* partem ipſius, hoc quoque vanitas *eſt* & malum magnum.

23 Nam quid ſupereſt illi homini ex omni labore ſuo, & ex afflictione animi ſui, qua ille laboravit ſub ſole?

24 Quum omnibus diebus illius dolores, & indignatio *r* occupaverint eũ, ne nocte quidẽ quieverit animus ejus? etiam hoc vanitas *eſt*.

25 [29] Non *eſt* bonum penes hominem; ut comedat, bibat, efficiatq; ut *ſ* anim⁹ ſuus fruatur bono ex labore ſuo: etiã hoc vidi ego [30] à manu Dei ipſius eſſe.

26 [31] (Nam quis *t* eſſet fruiturus *eo*, & quis *u* confeſtim fruiturus præterquam ego?)

27 Homini enim qui bonus *videtur* in conſpectu ipſius, *Deus* dat [32] ſapientiam & ſcientiã [33] cum lætitia: [34] peccatori autem dat occupationem ad congregandum & ad congerendũ, ut tradat ei qui bonus *videbitur* in conſpectu *x* ſuo. [35] Etiam illud vanitas eſt, & afflictio ſpiritus.

26 alterum incõmodum quod bona quæ relinquit homo non poteſt transferre ex animi ſui ſententia. Hæc autẽ duo mala proleptice his duobus verſibus poſita, per ὕστερον πρότερον ſequentib⁹ explicantur.
q Heb. ſapuero comparando.
27 i. ſpem abjiciendo facultati iſtius conſequẽdæ, nam utrumque revera Schelomo expertus eſt, quum & de Rechabhamo incertus eſſet quod genus vitæ ſequeretur, & de bona regni parte avertenda interminationem audiviſſet, 1. Reg. 11.
28 amplificatio indignationis & abjectionis animi, à comparatione plebeii hominis cujuſque. Non mirum eſt (inquit) ſi hãc vitam acerbam puto; cum nemo vel tenuiſſimus ſit æquo animo peſſaturus, ut bona ſua ad exterum trãsferantur.
r Heb. fuerit occupatio ejus.
29 ἐργατία alterius partis prolepſeos, quæ poſita eſt ſup. ℣. 19. de impotentia hominis ad utendum fruendum ex ſe bonum. ſ Heb. videat anima ſua bonum. 30 ut homo utatur fruatur bono ex animi ſui ſententia.
31 ſimilis occupatio, ut ſup verſ. 13. q.d. Ego verò hoc poſſum confirmare, ſi quiſquam poteſt; qui alios & commodorum abundantia & facultate ſupero, diligentiâque mea comparavi. t Heb. comederet. v Heb. feſtinaret fruendo.
32 ad comparandum bona. 33 i. læto & hilari eorum uſu. 34 i. homini quem improbat, aut quem ut improbum his moleſtiis exagitare placuerit.
x Heb. Dei ipſius: antecedens pro ſe & relativo ſuo ad vitandam ἀμφιβολίαν.
35 nimirum tantopere inſudare acquirendis bonis, quibus neque uti ipſe poſſis, neque ex libito refundere: concluſio ſermonis, ut ſup. verſ. 24.

## Caput III.

*Schelomo ex temporis converſionibus confirmans rerum omnium inſtabilitatem, profectam ex ſapientiſſima Dei adminiſtratione homines occupantis & ad reverentiam ſui revocantis; docet id ipſum ab exteris exemplis eorum qui inhumanè opprimunt & qui opprimuntur: & diſceptationes quas ſenſus carnis dictare ſolet homini graphicè exprimit.*

1 [1] Cuique ſua *eſt* tempeſtas, & tempus cuique [2] voluntati ſub cælis:

2 [3] Tempus pariendi; & tempus moriendi; tempus plantandi, & tempus exſtirpandi *quod fuit* plantatum:

3 Tempus occidendi, & tempus curandi; tempus [4] rumpendi & tempus ædificandi:

4 Tempus flendi, & tempus ridendi; tempus plangendi, & tempus ſaltandi:

5 Tempus projiciendi lapides, & tempus congerendi lapides; tempus amplectendi; & tempus longe recedendi *a* ab amplexu:

6 Tempus acquirendi & tempus perdendi, tempus ſervandi, & tempus abjiciendi:

7 Tempus lacerandi, & tempus conſuendi: tempus ſilendi, & tempus loquendi:

8 Tempus amandi, & tempus odio habendi; tempus belli & tempus pacis.

9 [5] Quid emolumenti *eſt* ei qui facit, *in eo* in quo ipſe laborat?

10 ‖ [6] Vidi hanc *eſſe* occupationem, quam dedit Deus filiis hominum ut occupent ſe in ea:

11 *Ipſum* unumquodq; facere [7] pulcrũ ſuo tempore; [8] etiam *b* quamdiu ſeculũ eſt exponere *c* animo illorum ( [9] excepto eo quod non aſſequitur homo) [10] opus quod facit ipſe Deus [11] à principio ad finem uſque.

12 ‖ Novi non eſſe bonum penes illos; niſi [12] ut lætetur *quiſque*, & ut faciat bonum in vita ſua:

13 Quin etiam quicumque homo comedit; & bibit, fruiturque bono ex toto labore ſuo; id donum Dei eſſe.

14 Novi quicquid facit Deus, [13] id eſſe *d* ſemper; ad illud nihil poſſe addi, & de illo nihil poſſe detrahi: Deumque ipſum facere, ut [14] timeant *homines* à facie ipſius:

15 Id quod fuit jam eſſe, & quod futurum eſt jam fuiſſe: Deum ipſum denique [15] repetere inter ſe *e* conſequentia.

16 [16] Nam adhuc reſpiciens ſub ſole; [17] loco juris [18] ibi improbitatem, loco inquam juſtitiæ ibi improbitatem eſſe:

17 [19] Dixi ego cum animo meo, juſtum & improbum ipſum judicaturus eſt Deus: quia [20] tempus *quidem* eſt cuiq; voluntati, ſed *f* qui præeſt toti iſti facto, ibidem *eſt*.

18 [21] Dixeram ego cum animo meo ſecundum rationem *g* humanam, quum declararet eos ipſe Deus; & viderem [22] hos beſtias eſſe illis:

19 [24] Eventum filiorum hominis ſimilem eſſe eventui ipſius beſtiæ, & eventum eumdem illis eſſe, ut moritur hæc ita mori illum; & ſpiritum eumdem omnibus ipſis eſſe, itaq; præſtantiam hominis præ beſtiis nullam *eſſe*, nam omnia iſta eſſe vanitatem: p. 35.

20 Horum unumquodque ire in locum eumdem; unumquodque eſſe ex pulvere, & unumquodque redire in pulverem.

1 Hactenus Schelomo de ſua ipſius & ſingulari experientia in cognitione uſuque rerum humanarum nunc autem tranſiturus ad obſervationem factorũ & eventorum quæ percepit in aliis, tranſitum parat poſita ſententia hac generali; qua tum præcedentẽ doctrinam confirmat, tum ſequẽtium fundamenta jacit. Senſus enim eſt, nihil mirum eſſe, quod & omnem ſcientiam humanam & uſum iſtius mundi in vanitate poſuerit; quia ut fluunt ſemper & volvuntur ac revolvuntur perpetua converſione tempora, ita etiam res omnes, conſilia, facta, & eventa, denique omnia quæ ſunt in tempore inſtabilitati temporis ſubjecta ſunt; ideoque ſemper fieri ut unum pereat, alterum ſuccedat pereunti, & omnia ſuis vicibus eveniant. Non enim his verbis docet quid ſit ex jure fieri, aut mirum; ſed quid fiat in rerum natura, & quid eveniat. Cuique autem, nimirum rei, perſonæ, facto, & eventui in toto hoc mundo.
2 i. ſtudio & conſilio, quod de quacumq; re, perſona, facto, aut evẽtu initium eſt. q.d. omnia intus & foris corpore & animo inſtabilitati temporum ſubjecta ſunt; unus Deus ſupra cælos ſempiternam ſtabilitatem ubique obtinet.
3 i tempus quo patitur, & ſic deinceps. ſic etiam Timon apud Athenæum lib. Dipnoſoph. 7. [illegible] 4 quo deſtruitur diruiturque quod ædificatum fuerat. a Heb. ab amplexando.

5 concluſio ex ſuperiore propoſitione, cõfirmans quod dictum eſt ſup. 1. 3. Rerum (inquit) inſtabilium inſtabile eſt, adeoque nullum emolumentum: Iſta autem omnia ſunt inſtabilia; itaque rerum iſtarum emolumentũ ad neminem, quantũvis contendat, pervenire poteſt: quod ut melius intelligatur, utitur Schelomo commoratione, uſque ad ℣. 16.
‖ Sup. 1. 13.
6 hujus commorationis partes ſunt tres, binis verſibus diſtinctæ: prima eſt, Deum omnes iſtas res homini exhibere, & mutationibus præeſſe juſtiſſima adminiſtratione & cõvenientiſſima; ſecunda, hominem non amplius poſſe uti aut percipere, quam videtur Deo; tertia hanc æternam eſſe legem adminiſtrationis Dei, quam nemo queat infringere; & quidem propter finem ſanctiſſimum.
7 i. bonum, decorum, & omnibus numeris conveniens denique; pro modo juſtiſſimæ ſapiẽtiæ ſuæ tum gloriæ ipſius, tum peccatis noſtris vanitatique reſpondens.
8 amplificatio qua oſtendit Deum nõ nunc demum adminiſtratione iſta ſed ſemper omni memoria uſum & uſurum eſſe.
b Heb. cum ipſo ſeculo.
c Heb. cordi: ſic deinceps.
9 i. præter illud genus operum, quæ hominis captum ſuperant, & quod Deus ſibi aſſervat in arcano cõſilio ſuo.
10 in quo occupent ſe, ut præcedente ver. 11 ſeculi, id eſt, in æternũ, quamdiu ſeculum eſt. ‖ Sup. 2. 24. 12 i. alacriter conquieſcat in iis quæ exhibet Deus, & vitam tranquillè juſteque agat. 13 nunquam ſecus eſſe quam placuit Deo. d Heb. in ſeculum. 14 revereri & pendere à nutu ipſius diſcant: quod prius abjecit homo, & quo omnibus modis miſericorditer à Deo revocatur.
15 id eſt, efficere adminiſtratione ſua, ut res aliæ aliis ſuccedant, & per vices revertantur, quaſi in orbem agerentur. Loquutio ſumta à ſphæra cæleſti, quæ moderatur tempora: quaſi dicat, facit ut ita revolvantur quæ ſunt in tempore, quemadmodum tempus ipſum, quod ea continet, revolvitur.
e Heb. conſequens: enallage numeri. 16 jam venit Schelomo ad confirmationem vanitatis & inſtabilitatis univerſi, ab obſervatione exẽplorum quæ percipit foris. Eſt autem in hoc capite primum exterorum exemplorum genus de opprimentibus & oppreſſis. In quo exemplo explicando primum exponit Schelomo factum, hoc verſu: deinde verum judicium de eo, ſequente verſu, ac poſtremo judicium ex ſenſu carnis profectum, uſque ad finem capitis: quem ordinem à Schelomone teneri monuimus ſup. 2. 2.
17 i. pro juſtitia in mundo injuſtitiam coli. 18 ſub ſole, in præſente ſeculo.
19 i. poſtremo ſtatui & concluſi cum animo meo: poſtquam emerſi ex illis diſceptationibus carnis, quæ deinceps exponuntur. 20 i. habent quidem injuſti ſuum tempus, quo animos ſuos injuria expleant; ſed alterum tempus ſuccedet, & jam jam Deus præſens de illorum violentia cognoſcit: ſic exponendum eſſe locum hunc commonſtrat alter inf. 5. 8.
f Heb. qui ſuper totum hoc factum ibi. 21 narratio carnalis diſceptationis atque judicii, tum de opprimentibus, uſque ad verſ. 23. tum de oppreſſis, inde ad finem uſque.
g Heb filiorum hominis: ſic inf. verſ. 21.
22 i. faceret ut innoteſceret mihi, perſpectaque eſſet illorum violentia.
23 i. involare & irruere beſtiarum more, ut vorent illos: quod proverbio dicitur, homo homini lupus.
24 q.d. ex factorum ſimilitudine ſimilem utriſque eventum eſſe ſtatuebam, eamdem mortem, eademque mortis conſequentia

21 [25] Quis animadvertit ſpiritum huma-
num qui aſcenderit ſurſum; & ſpiritum beſtiæ
qui deſcenderit infra terram?
22 Quapropter *h* videbatur mihi nihil eſſe
bonum, [26] quam ut lætaretur homo in operi-
bus ſuis, eò quod iſta *ſit* pars ejus: [27] quis enim
adducat eum, ut videat id quod futurum eſt
poſt ipſum?

Cap. IIII.

23 [28] Sed rurſus ego quum viderem omnes
oppreſſos qui afficiuntur ſub ſole: [29] ecce qui-
dem lacrymas eorum qui opprimuntur, ſed
nullus *eſt* conſolator eis aut *evadendi* è manu
opprimentium ſe virtus; denique nullus *eſt*
conſolator eis:
24 [30] Laudabam primū ego mortuos ipſos
qui jā ſunt mortui; præ vivis qui vivunt adhuc.
25 Sed [31] melior poſteà utriſq; viſus eſt, qui
adhuc non fuit, qui non *k* vidit factum iſtud
peſſimum quod fit ſub ſole.
26 [32] Videbam enim ego omnem laborem
& omnem æquitatem *l* factorum ſuorum i-
pſam eſſe invidiæ homini à proximo ſuo. Etiā
hoc vanitas *eſt* & afflictio ſpiritus.

25 ironica confutatio, qua utitur caro adverſus piam doctrinam de differentia inter animas & eventa ex morte. q. d. audio, quidem neſcio quid ſuſurrari de ſubſtantia animæ humanæ, & cæleſtem eam eſſe, & morte ad cælos tranſcendere: beſtiarum contra animam terrenam quandam facultatem eſſe corporibus ita adhærentem, ut ſine ſuo ipſius interitu anima beſtiæ nunquam à ſuo corpore ſeparetur: ſed quis horum alterum, aut utrūque vidit? certius eſt ex communibus factis & eventis, quæ ante oculos ſunt idē de utroque judicium facere. *h* *Heb. vidi eam* 26 in hac vita; ac nihil de futura vita ſollicitus eſſet, quam boni prædicant. 27 ætiologia cur non judicet caro curandam eſſe ſibi futuram vitam, ſed abutendum præſentibus: nam, inquit, unde proficiſceretur hæc vita? quo auctore ad hominem perveniret? aut quis certo eam cognoſceret? ut ſuperiore verſ. 28 hunc verſum & ſequentes, quia ad ſuperius argumentum & ſpeciem planè pertinent (ut oſtēdimus ſupra in verſ. 16.) hoc capite concluſimus. Senſus autem eſt, Schelomonem animadvertiſſe fieri non poſſe ut homo perpetuo curſu rerum ſecundarum in hac vita utatur, hoc verſ a: proinde in aliam ſententiam adductum eſſe trib. ſeq.
*i* *Heb. reverſus ſum ego & vidi.* 29 hypotypoſis, qua exprimit Schelomo præſentes omnibus ætatibus & graviſſimas calamitates; quaſi omnes homines in rem præſentem vocans. 30 i. mortem anteponebā vitæ. 31 i. meliore conditione anteponenda vivorum & mortuorum ſorti. *k* *Heb. vidiſſe.*
32 ætiologia cur meliorem conditionem ejus qui nunquam fuerit, caro exiſtimet: nam: inquit, quum duo ſint ſtudia à natura indita, unum, ut lætetur homo; alterum, ut faciat bonum in vita ſua, ſup. verſ. 12. vidi neutrum homini integrum aut ſalutare eſſe; ſed invidiam homini conciliari utriuſque nomine: tanta eſt aliorum in alios inhumanitas. *l* *Heb. facti ſui.* 33 i. totum hoc ſtudium, totaque diſceptatio & judicium carnis, de quo inde à verſ. 18.

## Caput IV.

*Schelomo rerum omnium inſtabilitatem vanitatemque confirmat ab exemplis pigrorum, avarorum, & regum in ſua imprudentia obfirmatorum, denique regnorum omnium.*

1 [1] STolidus [2] complicat manus ſuas, & *a*
conſumit [3] carnem ſuam,
2 [4] Melior eſt, *inquit b* plena vola quietis,
plenis pugnis moleſtiæ & afflictionis ſpiritus:
3 [5] Sed *c* rurſus ego vidi *hoc eſſe* vanitatem
ſub ſole.
4 [6] Eſt unus *aliquis* cui deeſt ſecundus, cui
tum filius tum [7] frater deeſt; nec tamē *eſt* finis
omni labori ejus, [8] etiam oculus ejus non ſa-
tiatur divitiis; *ut dicat*, Et cui ego laboro quod
deſtituo animam meam bono? etiam hoc va-
nitas *&* occupatio *d* mala *eſt*.
5 Meliores *ſunt* duo quam vnus; quia eſt
ipſis præmium bonum ex labore ſuo:

1 Secundum exemplorum exterorum genus, ad confirmandā vanitatem quam prædicavit, pertinēs. Eſt autem hoc genus de vanitate & malis quæ non aliunde accedunt, ut in ſuperiore genere; ſed quæ ab ipſis hominibus in ſe proficiſcuntur: quo in genere tria exempla ponūtur hoc capite: primum eſt de ſtolido & deſidioſo, tribus verſibus; ſecundum de avaro & ſordido, qui ſine ulla cauſa aut ſpecie juſti inhiat quæſtui, ſuo magno malo, à ỷ. 4. uſq; ad 9. tertium, de rege aut quibuſvis potentioribus, qui ſtultis animi ſui ſtudiis abducuntur: quæ duo poſteriora exempla elegantiſſime illuſtrantur per comparationem contrarii. 2 ut Prov. 6.10. & 24.33.
*a* *Heb comedit.* 3 i. ſe ipſum, quum tandem exhauriatur fame. 4 i. ſtatuit ſibi melius eſſe ut poſſideat parum (ita enim neque ſe fatiget ipſe rebus comparandis, neque earum nomine ab aliis fatigetur) quam ut multum obtineat ſe ipſe conficiendo, aut malum ab aliis accerſendo: q. d. piger longè melius ſecum agi exiſtimat, quam cum iis qui ſe ipſos labore cruciant, aut rerum partarum nomine ab aliis cruciantur: denique omnium maxime ſe putat ſapere, Prov. 26.16.
*b* *Heb plenitudo volæ quietis, plenitudine pugnorum, &c* 5 i. ut ſtudia illa mea & actiones, de quibus cap. 2. exemplaque opprimentium & oppreſſorum de quibus cap. 3. vanitati annumeravi: ſic etiam rurſus pigritiam agnovi vanam eſſe.
*c* *Heb. reverſus ſum ego & vidi: ut ſup. 3.23.* 6 ſecundum exemplum, videlicet avari: ut dictum eſt in verſ. 1.
7 i. cognatus, gentilis, vel neceſſarius aliquis. 8 i. ne tum quidem expleretur animus ejus, ſi tantum poſſideret quantum cernit oculis.
*d* *Heb. mali.* 9 exornatio ſuperioris documenti de vanitate avaritiæ iſtius μισανθρώπου, à contrario; per contentionem fructuum, qui ex ſociali vita percipiuntur, & damnorum ex ſolitaria. q. d. melius cum illis agitur, meliuſque illis quàm his ſuccedit.

6 [10] Nam ſi cadant, eorum unus erigit ſo-
cium ſuum, [11] væ autem illi, unico illi qui ceci-
derit, quum non adſit ſecundus ad erigendum
illum.
7 Etiam ſive cubent duo, *e* concaleſcunt il-
li; unicus autem quomodo incaleſceret;
8 Sive fortior ſit altero unus quiſpiam, ipſi
ambo obſiſtent ei: [12] deniq; filum triplicatum
non cito abrumpitur.
9 [13] Melior *eſt* puer indigus & ſapiens; re-
ge ſene & ſtolido, [14] qui neſcit admoneri am-
plius.
10 [15] Nam *ille* è *f* vinculis prodit ad regnan-
dum: [16] quum *hic* etiam in regno ſuo naſcatur
pauper.
11 [17] Vidi omnes viventes qui ambulant
ſub ſole; *g* adjungentes ſe puero illi [18] ſecundo
qui ſtatutus eſt loco hujus:
12 [19] Non eſſe finem ulli populo; *h* [20] de ul-
lo qui præſit ipſis etiam poſteros non læta-
turos eſſe: nam [21] hoc quoque vanitas *eſt* &
afflictio ſpiritus.

10 expoſitio præmii quomodo dictum eſt. ab exemplis corporis; quæ ſynecdochicè omnibus fructibus accōmodanda ſunt ſocialis vitæ. 11 non imprecantis, ſed malū eventurum denūciantis verba. *e* *Hebr. caleſcit illis.* 12 i. imo valentiores erūt, quo plures inter ſe operas cōſociaverint: proverbiale dictum. 13 tertium exemplum, ut diximus in ỷ. 1. quod ſimiliter exornatur per comparationem contrarii. 14 i. obfirmato & pervicace in ſtoliditate ſua; cui ex adverſo ſapiens opponitur, cujus proprium eſt in ſapientiæ monitis proficere, ut Prov. 1.5 & 10.8. 15 ætiologia duplex: prior eſt à conſtitutione perſonarum de quibus agitur, hoc verſu: poſterior; à conſtitutione popularium, verſ. 12. *f* *Heb. domo vinctorum.* 6 i. quum utcumque à natura hæres videatur regni, tamen inde ab ortu ſuo pauper ſit, primū quidem mente & conſilio, deinde etiam reipſa: ut qui inopia conſilii in paupertatem maximam detrudatur: ſic enim pauperis appellationem menti quoque attribuit Schelomo Proverb. 29.13. 17 hypotypoſis rerum novarum & mutationis ſubitæ in regno imprudenter adminiſtrato: quaſi ſubjiciat oculis dementem ſenem deturbatum de ſolio ſuffectumque puerum. *g* *Heb. cum puero illo.*
18 i. qui ſecundus regnat, ut ſequentium verborum epexegeſis docet.
19 i. populares & ſubditos nunquam ſua ſorte contentos eſſe, ac ne ſapienti quidem regi plurimum acquieſcere: propterea non eſſe mirum ſi male inſipientibus accidat. *h* *Heb. ad ullum, qui ſit ante ipſos, etiam poſteros non lætaturos de eo.*
20 q. d. non in præſentia tantum populum inconſtantem eſſe, ſed etiam ſemper futurum. 21 nimirum regnare ipſum, & plurimum auctoritate poſſe;

## Caput V.

*Schelomo rationem docet qua homines ſibi à ſuperiorum vanitatum ſtudiis cavere poſſint, nimirum reverentia Dei, ſanctiſque cogitationibus de providentia & adminiſtratione ejus: deinde vanitatem explicat, quæ poſſeſſioni fructuum terræ ineſt; uſumque à natura nobis attributum.*

1 [1] OBſerva pedem utrumq; tuum [2] quum
adis domum ipſam Dei, *idque a* para-
tus [3] ad audiendum potius quàm *ad* dandum
ſtolidorum ſacrificium: nam hi non advertunt
[4] ſe facere malum.

Cap. V.

2 Ne acceleres ore tuo, & animus tuus ne
feſtinet [5] proferre quicquam coram ipſo Deo:
[6] nam Deus ipſe in cælis *eſt*, tu autē ſuper ter-
ram; [7] idcirco ſunto verba tua pauca:
3 [8] Quia *ut* prodit ſomnium multa occupa-
tione, ita [9] vox ſtolidi multitudine verborum.
4 Quum nuncupaveris votum Deo, ne dif-
ferto perſolvere illud; nam *b* non oblectatur
ſtolidis: id quod voveris perſolve.
5 Melius eſt ut non voveas, quam ut vo-
veas ac non perſolvas.

1 Hujus capitis documenta ſunt duo: unum eſt de officio noſtro erga Deum & proximos, quod Schelomo de induſtria iſtis generibus vanitatis ſubjicit de quibus hactenus: veluti certiſſimum pharmacum adverſus illa per digreſſionem, à ỷ. 1. uſq; ad 9. ſecundum eſt explicatio tertii exterorum exemplorū generis, de vanitate bonorum, quę etiam legitima via ab hominibus comparantur, ad uſum præſentis vitæ pertinentium, inde uſque ad finem capitis. Sunt autem in digreſſione hac duo capita: de reverentia quam exhibere nos convenit Deo, quinque verſibus; & de judiciis ſermonibuſque noſtris temperandis coram Deo & hominibus, trib. ſeq. Quod autem hîc dicit, obſerva, &c. perinde eſt, q. d. neque tibi de ſapientia tua, neque de rebus tuis, neque de potentia tua ad alios opprimendos, neque de ſufficientia (vt ita dicamus) tui ipſius præ aliis tibi gratulator (nam hæc quatuor vanitatis genera in ſuperioribus capitibus ex ordine poſita ſunt,) ſed quicquid eſt penes te, Deo acceptum ferto, ipſum quam reverendiſſimè adito, audito, colito atque honorato. 2 quod tibi omnino faciendum eſt, ſi ſapias & noris bona tua.
*a* *Heb. propinquus ad audiendum.* 3 i. obſequendum legi Dei, quæ in domo ipſius exponitur q. d. Vide ut te ipſum potius tradas ei, quam ſacrificia: ſic 1. Sche. 15.22. 4 ut dictum eſt, ſacrificium improborum eſſe abominationi Jehovæ, Prov. 15.8 & 21.27. 5 ſive petendo à Deo, ſive promittendo; ne agas inconſiderate. 6 i ſummus & infinitus eſt: ac proinde nihil abjectiſſima tenuitas noſtra ad ampliſſimam majeſtatem ejus. 7 ut commodius tibi caveas à feſtinatione & offenſa ejus: vide Matth. 6.7. 8 i. ut multitudo occupationum ſomnium creat, ita multitudo verborum non poteſt ſtulti aliquid non gignere atque profundere. 9 i. ſermo ſtultus, quali utuntur ſtolidi peccatores.
*b* *Heb. non eſt oblectatio in ſtolidis, Deut. 23.21. Prov. 20.25.*

6 [10] Ne permittito ori tuo ut peccato ob-
ſtringat [11] carnem tuam; & ne dicito [12] coram
angelo illo [13] errorem iſtud *eſſe*: [14] ecquid efferveſceret Deus ipſe propter vocem tuam,& perderet opus manuum tuarum?
7 [15] Nam ut multitudini ſomniorum vanitates, ita verbis multis *inerunt*: ſed [16] Deum ipſum reverere.
8 [17] Si oppreſſionem pauperis,*c* interverſionemque juris ac juſtitiæ videris in ipſa provincia;ne mireris [18] de iſta voluntate: nam [19] altus ſuperior alto obſervat, [20] imo *d* altiſſimus ſuperior iſtis,
9 [21] Jam [22] emolumentũ terræ pro omnibus
*eſt*; [23] Regi de agro ſervitur.
10 Qui amat pecuniam, [24] non ſatiatur pecunia; & qui amat ullam multitudinem,non *ſaturabitur* proventu: etiam hoc vanitas eſt.
11 [25] Quum multum eſt bonum iſtud, multi ſunt qui comedunt ipſum: quid ergo commodi domino ejus advenit præter aſpectum oculorum ipſius?
12 [26] Dulcis *eſt* ſomnus illius qui ſervit, ſive parum,ſive multum comederit: [27] ſaturitas autem ipſius divitis non permittit ei ut dormiat.
13 [28] Eſt malum *e* afferens ægritudinem *quod* vidi ſub ſole:divitiæ quæ aſſervantur domino ſuo [29] in malum ipſius.
14 Aut pereunt divitiæ illæ [30] in occupatione *f* mala; [31] ita ut *quem* genuit filium, non *habeat* in manu ſua quicquam.
15 ‖ Quemadmodum prodiit ex utero matris ſuæ, nudus *g* iterum abit ut venerat: & quicquam non reportat labore ſuo, quod deferat in manum ſuam.
16 Quamobrem etiam hoc malum eſt afferens ægritudinem; omnino prout venit, ita abit: ecquid emolumenti eſt ei, quod [32] laboraverit vento,
17 Etiamque omnibus diebus ſuis in tenebris comederit; id eſt, indignatione multa, & ægritudine ſua, & fervente ira?
18 [33] Ecce quod vidi ego,*h* bonum pulcrum eſſe comedere ac bibere,& *i* frui bono ex toto

10 id eſt, neque verbo, neque cogitatione obtrectes adminiſtrationi Dei; quaſi res per fortunã aut imprudentem adminiſtrationem accidant: ſecundum documentum,ut diximus in v.1.
11 i.te ipſum: ſynecdoche.
12 nimirum Chriſto, de quo Exo. 23.20.& ſeq. q.d.ne quidem in corde tuo dicito,cujus cognitor eſt Chriſtus angelus fœderis. Malеaci 3.1.
13 quo aguntur iſta,de quibus verſ.8.
14 ut interminatus eſt Deus ibidem Exod. 23.21.
15 ætiologia nõ abſimilis ei quê adhibuit in ſuperiore documento,verſ.3. nihil, inquit, proderunt excuſationes apud Deum, ſi ita offenderis;neque majoris fient quam ſomnia vaniſſima,Prov. 10.19.
16 nimirum illum angelum, ſervatorem & ducem populi ſui.
17 hîc nominatim occurrit Schelomo vanitati,quam expreſſit ca.3.& 4. & confirmat pios.
*c* Heb. rapinam.
18 improbo hominum ſtudio.
19 Deus qui in cælis eſt,ſuprà verſ. 2.& omnẽ altitudinem humanam numeris omnib.excellit.
20 cujus infinita eſt altitudo omnia obſervans velut infinitis oculis, Deus Pater,filius,& Spiritus ſanctus,ut figuratur Jechez 1.18.& 10.12 & Zecar 3.9.& 4 9.
*d* Heb.alti plurale pro ſingulari ſuperlativo.myſteriũ S Triados notãs,ut Jehoſ.24.19.
21 ἀνάβασις ſive regreſſio ad inſtitutum ſermonem de vanitate rerum omnium.Eſt autem hic tertium exemplum exterum,quo tranſitur per comparationem bonorum inter ſe, q.d. hæc ergo eſt bonorum omnium, quæ ab homine comparantur vanitas;cumque horum bonorum duo ſint genera; alia quæ ex ſe ad vitam quodammodo conferunt,ut proventus terræ;alia quæ non ipſam quidem vitam adjuvant, ſed illorum ſunt adminicula: quod de bonorum vanitate diximus, ad utrumque genus pertinet: utriuſque enim ſtudium & poſſeſſio, vanitatis eſt. 22 contentio ſive comparatio bonorum inter ſe, 2.verſibus: nullum, inquit, bonum, quod fortuitum vocant, tam eſt homini neceſſarium quam fructus terræ,ſine quo ne reges quidem ipſi vivere poſſent:de altero non vivitur.
23 id eſt, ne Reges quidem carere poſſunt agri miniſterio: ſed fructum illius neceſſariè tenentur percipere ad tolerandum vitam hanc interpretationem ut germanam & convenientem optime, amplexi ſumus, quam confirmant dictiones veteris codicis manuſcripti ex bibliotheca Illuſtriſſimi Principis Electoris Palatini. 24 non poteſt ex pecunia ipſa ſine permutatione tolerare vitam ſuam. 25 i.etiam iſtius boni, quo de nunc agitur,tritici,vini,& ſimilium, copia magna poſſeſſori vana eſt; ac non tantum pecuniæ, de qua ſuperiore ver. 26 amplificatio. q.d.non modò inutilis eſt, ſed etiam moleſta, adeò ut melius ſit ſervo quàm domino,& quieſcat ſuavius.
27 i.copia illa maxima qua abundat & circumfluit: ſic accipitur Prov 3.10.
28 ἐξεργασία, exornatio, ſive ſingularis explicatio vanitatis, de qua modò dictum eſt. Hanc autem ſic explicat proleptice: hoc bonum quod non tantum vanum,ſed ægrum quoque eſſe diximus,vanitatis evincitur duobus modis:Nam aut ipſum domino ſuo ruinam affert, aut repentè è manibus domini viventis videntiſque elabitur. Quæ duo membra prolepſeos his duobus verſib. poſita, exponuntur per ὕστερον πρότερον hoc & ſequente capite.
*e* Hebr.agrum metonymia:ſic infr.verſ.16. 29 ut exponitur capite.ſequente.
30 i. quamvis ille contendat laborioſiſſimè in conſervando & augendo bono. *f* Heb.mali, ut ſupr.4.4
31 i.ipſe cum poſteris pauper ſit: quomodo amplificatur iſtius hominis calamitas. ‖ Ijob 1.21 1.Timoth.6.7. *g* Heb.revertitur abeundo.
32 i. fruſtra opes labore cumulaverit, quæ momento quaſi ingruentibus ventis diſſipentur: proverbialis loquendi forma, qua vanitatem iſtius boni explicat,ut etiam moleſtiam,ſeq.ver.
33 propoſitio judicii quod fecit Schelomo de uſu iſtius boni, expenſa ejus (ſicut aliorum antea) vanitate;ſimile eſt ſupra 3.22.
*h* Heb.bonum quod pulcrum ſit:trajectio. *i* Hebr.videre bonum.

labore ſuo quo laborat ſub ſole numero dierum vitæ ſuæ, quos dat ipſe Deus; nam ea *eſt* pars ejus.
19 Etiam cuicũque homini dedit ipſe Deus divitias & facultates,& cui copiam fecit comedendi ex illis & percipiendi partem ſuam,ac lætandi de labore ſuo: hoc donum Dei eſſe.
20 [34] Quod ſi non multum, [35] recordabitur *tamen* dierum vitæ ſuæ: nam Deus ipſe *k* annuit lætitiæ animi ipſius.

34 ſupple, eſt illud quod dederit Deus,ex ſuperiore verſ.
35 i. hoc ſaltem ſtatuat,Deum ſibi gratioſum eſſe;& utcunque tenuia ſint bona quæ ab illo accipit, tamẽ ad explendum lætitia animum hominis ſatis eſſe:quia natura paucis contenta eſt, adjuncta vero pietate quæſtum maximum habet,1.Timoth 6.6.& ſequentibus.
*k* Hebr.teſtimonium perhibet lætitia cordis.

## Caput VI.

*Schelomo vanitatem iſtorum bonorum demonſtrat tum ex eo quod huc illuc commeant; tum etiam quod neque dominum ſuum, neque ſe à vanitate vindicant: denique nihilo faciunt meliorem quemquam.*

1 EST [1] malum quod vidi ſub ſole, idque maximum ſuper homines:
2 Viro cui dederit Deus ipſe divitias,facultateſque, & honorem, & cujus animus non deſtituatur ulla re qua delectetur, quum huic non facit copiam Deus ipſe fruendi re illa,ſed vir alienus fruitur illa: hoc vanitatem & ægritudinem peſſimam eſſe.
3 Si gignat quis centenos *liberos*, & annos multos vivat; quamvis multi ſint dies annorum ejus, ſi anima ejus non ſatietur bono illo adeoque ſepultura non ſit ei; [2] dico,meliorem eſſe eo abortivum.
4 [3] Nam [4] in vanitate venit, & in tenebris ambulat; ac in tenebris nomen illius obtegitur.
5 *Hic* [5] etiam ſolem non vidit, neque expertus eſt;*a* tolerabilius eſt huic quam illi.
6 [6] Etiam ſi vivat bis mille annos, & bono non fruatur; nonne in locum eumdem [7] hi omnes abeunt?
7 Ut omnis labor hominis [9] obveniat ori ipſius etiam *b* deſiderium ejus non expletur.
8 [10] Nam quid amplius *eſt* ſapienti,quã ſtolido ipſi? quid ad pauperem fruens, [11] dum ambulant coram viventibus?
9 [12] Melior eſt *inquies*, [13] inſpectio oculorum, quam *c* curſus deſiderii, etiam hoc vanitas eſt & afflictio ſpiritus.
10 [14] Quicquid ſit, [15] jam inditum eſt nomen ejus,& cognitum eum eſſe hominem;neque poſſe contendere cum [16] eo qui valentior eſt ipſo.
11 Quum adſunt res multæ, multiplicant vanitatem;quid amplius iſti homini *eſt*?

## Caput VII.

12 Nam quis novit quod bonũ eſt homini

1 Explicatio prioris membri prolepſeos,quæ poſita eſt ſup.5.13.de bonis illis, quæ domino ſuo ruinam quodammodo afferunt, uſque ad verſ 6.Sunt autem hujus capitis duæ partes; una explicatio iſta mẽbri proleptici,altera, concluſio ſuperioris membri de hoc vanitatis genere, per conceſſionẽ elegantiſſimam, à verſ. 7. ad finẽ uſque.
2 ex ratione carnis,ut Ijobi 3.
3 confirmatio judicii quodmodo dictũ eſt, per comparationẽ ſtatus in quo uterque verſatur, cum vir ille liberis & annis abundans, hoc verſ. tum abortivus,verſ.ſeq.
4 i.vanus eſt illius ortus, progreſſus, & interitus,miſeriiſque cumulatus, quę tenebrarum nomine ſignificantur.
5 i. abortivus in ipſo ortu finem miſeriarum fecit,quæ communes ſunt hominum ſub ſole.
*a* Heb.quies huic præ illo.
6 amplificatio per gradationẽ hypotheticam vitæ quam longiſſimæ.
7 nimirum hic bis millenarius, annoſuſque, & abortivus,de quibus modo dictum eſt. 8 altera pars capitis; qua concludit Schelomo ſuperiorem ſermonem de bonorum iſtorum vanitate,hoc modo:bona hæc quæ dicuntur fortuita, non tantum inſtabilia ſunt, ut duob.capitibus demonſtravimus;ſed etiam infirma, adeo ut nunquam animum humanum expleant. 9 i. velut ſponte ingerat ſe in os, & laboranti commodiſſime ſuccedat ex animi ſententia: ſynecdoche. *b* Heb.animam:ut Pſ.27.12.& inf.ver.9. 10 confirmatio proxime præcedentis dicti,de infirmitate bonorum ad ſedanda hominum deſideria, per enumerationem: videamus, inquit, ſapientes,ſtolidos, pauperes, abundantes;quid tandem amplius reportant,obſecro?
11 i.in hac vita:periphraſis. 12 hic verſus dramatice reſponſionem carnis ſubjicit,& Schelomonis judicium,quod ſeq.verſ confirmatur.
13 i. rei præſentis fructus atque perceptio, quam alii præ aliis conſequuntur ſynecdoche. *c* Heb. ira animæ. 14 confirmatio judicii quod modo pronunciavit Schelomo, qua graviſſime confutat illam malam rerum æſtimationem. Eſto ſane, inquit,hoc habeat amplius:primum non eo minus eſt homo vanitati humanæ obnoxius,de qua ſup.c.1.neque ſe ab ea vanitate poteſt eximere, hoc verſ.deinde quæcunque comparat,ipſa vana ſunt,& vanitatem adjiciunt poſſeſſoribus, verſ. ſeq. poſtremo non ita valet homo judicio à natura ſua, aut tantum conſequutus eſt experientia,ut certo poſſit ſtatuere quid ſibi aut in præſentia ſit bonum,aut in poſterum ſit futurum ſtabile,verſ.ult.
15 i.homo dicitur & eſt;à quo humani nihil eſt alienum.
16 i.Deo, quo auctore vanitati ipſe cum reb.creatis ſubjectus eſt: Ro.8.20.

in hac

d Hebr. vanitatis ſuæ.
e Heb. quiſquis: ὑστέρησις in celeritate ſermonis frequens.
f Heb. id quod eſt poſt ipſum.
17 i. mox ipſi eventurum eſt, velut jam à tergo imminens.

in hac vita, numero dierum vitæ *d* vaniſſimæ
ſuæ, quos tranſigit velut vmbram? *e* quis *eſt*
qui indicaturus ſit homini *f* id quod [17] inſtat
ipſi poſthac ſub ſole?

## CAPUT VII.

*Schelomo bonis præſentibus famam, famæ mortem anteponit: itaque homines ad ſapientiam, reverentiam, & obſequium Dei per abnegationem ſui, & ad charitatem hortatur, opinionem ſuæ ſapientiæ damnat, & infinitam eſſe hominis malitiam, maximè verò mulieris ſceleſtæ oſtendit.*

[1] Schelomo expoſita bonorũ ad vitam præſentem pertinentium vanitate, nunc demũ incipit eam gradatim demonſtrare per aliarum rerũ comparationẽ. Sunt autem eæ tres, quæ ex ordine iſtis rebus anteponuntur: prima eſt fama, quam leviter tantum perſtringit Schelomo, hoc verſu; tum quia in hominum opinione tantùm poſita eſt, tum quia incerta propter hominum inſtabilitatẽ, quorum fama vix ante mortem certa nominari poteſt: ſecunda eſt mors, quæ non tantũ morientibus finem imponit vanitatis, ſed etiam vivis documentũ eſt ad ſapientiã, à verſ. 2. uſque ad 9. tertia verò & ſuprema eſt ſapientia in rebus præſentibus & ordinatione Dei conquieſcens, & ab omni faſtidioſa operum Dei hominúmq; perveſtigatione abſtinens, inde ad verſ. 23. quæ omnia tandem concluduntur confirmatione à Schelomonis ipſius experientia & obſervatione, inde ad finem capitis.

1 [1] MElior eſt *homini* fama [2] unguento o-
ptimo; [3] ſed dies mortis die [4] quo ille
naſcitur.
2 [5] Melius eſt adire [6] locum luctus, quàm
adire locum convivii; eo quod ille [7] *eſt* finis
omnium hominum: [8] qui autem vivit, indui-
turus eſt *illud a* animo ſuo.
3 [9] Melior eſt indignatio riſu, quia *b* triſti-
tia vultus melior efficitur animus.
4 Animus ſapientum [10] *erit* in loco luctus:
animus autem ſtolidorum in loco lætitiæ.
5 Melius eſt audire increpationem ſapien-
tis, quam ut quis audiat cãticum ſtolidorum:
6 [11] Nam ut *c* crepitus ſpinarum ſub olla, i-
ta *eſt* riſus ſtolidi: etiam hoc vanitas *eſt*.
7 [12] Cum oppreſſio adigat ad inſaniam ſa-
pientem, & perdat animum donatiò.
8 Melior eſt finis rei [13] principio ejus: me-
lior eſt [14] longanimis quàm elatus animo.
9 *d* [15] Ne perturbato ſpiritu tuo [16] indigne-
ris: nam [17] indignatio in ſinu ſtolidorum con-
quieſcit.
10 Ne dixeris, quid eſt cur dies priores fue-
rint meliores iſtis? nam non ex ſapientia ro-
gares ſuper hoc.
11 [18] Bona eſt ſapientia cum poſſeſſione; &
emolumento aſpicientibus ſolem:
12 Nam *alii* in umbra ſapientiæ, *alii* in um-
bra pecuniæ *ſunt*; ſed *majoris* emolumenti
ſcientia *eſt* ſapientiam vivum cõſervare *e* poſ-
ſeſſorem ſuum.
13 [19] Reſpice opus ipſius Dei: nam quis
poſſit corrigere id quod perverterit?
14 *f* [20] Tempore boni verſare in bono,
tempore autem mali *g* utere: [21] etiam hoc ex
adverſo illius facit Deus ipſe, *h* ea ratione ut
non poſſit aſſequi homo *i eorum quæ* inſtant
ſibi quicquam.
15 [22] Iſta omnia vidi diebus vanitatis meæ;
eſſe juſtum, qui pereat in juſtitia ſua, & eſſe
improbum qui prolonget *dies* in malitia ſua.
16 [23] Ne eſto juſtus *k* nimium, neq; ſapere
tibi videtor amplius: quare [24] deſolationem
tibi accerſeres?
17 Ne [25] improbus ſis nimium, neq; ſis ſto-
lidus; quare morereris *l* ante tempus tuum?
18 [26] Melius eſt ut prehendas [27] hoc, quin-
etiam ab hoc [28] ne remittas manum tuam: re-
verentem Dei [29] exire ex omnibus iſtis.
19 Hæc ſapientia robur confert ſapienti,
magis quàm decem dominatores qui ſunt in
eadem civitate:
20 [30] Quamvis homo nemo *ſit* juſtus in
terra; qui faciat bonum, ac non peccet.
21 [31] Etiam ad omnia verba quæ *m* dicũtur,
ne adhibeto animum tuũ: cùm [32] non debeas
audire *vel* ſervum tuum maledicentem tibi:
22 [33] Nam etiam *n* multoties conſcius eſt
animus tuus, te quoque maledixiſſe aliis.
23 [34] Omnia illa probavi [35] in ſapientia: [36]
quum dicerẽ, ſapio, ipſa longinqua erat à me.
24 [37] Longinquiſſimum quicquid fuit *ſem-*
*per*, & quàm profundiſſimum quis inveniat?
25 [38] Converti me ego, idq; *ex* animo meo
ad ſciendum & ad explorandum & quæren-
dum ſapientiam, & ratiocinium *ejus*: ſimiliter
[39] cognoſcendum improbitatem ſtoliditatis,
& ſtoliditatem *o* omnis inſaniæ:
26 [40] Inveni autem ego [41] amarius *quiddam*
morte; nimirum [42] fœminã illam cujus in ani-
mo *ſunt* [43] retia, & plagæ, [44] cujus *in* manibus
vincti: [45] qui bonus *videtur* coram Deo ipſo,
liberatur ea; peccator verò capitur ea.
27 Vide, hoc inveni, inquit Eccleſiaſtes; *p*
ſemel atq; iterùm *quærendo* [46] aſſequi ratioci-
nium.
28 Quo amplius quærit anima mea *ratioci-*
*nium*, tamen [47] non aſſequi: hominis *quidem*

f Heb. in die boni: ſic paulo poſt.
20 i. utere ſecundis & adverſis rebus prout dabit Deus; neque de venturo tempore laborato.
g Heb. reſpice.
21 i. Deus omnia bona & mala compenſat, & liberat juſtiſſimè trutina ſapientiæ ſuæ: idque arcano cõſilio ſuo & ratione, quam nõ poteſt quiſquã mortalium inveſtigare & conſequi.
h Heb. ſecundum rationem.
i Hebr. poſt ſe.
22 q. d. hæc eadem fuerũt mihi videnda & ferenda; quæ alioqui judicio meo viſa fuiſſent indigniſſima, niſi animũ ad providẽtiam Dei advertiſſem.
23 i. temperato judicio tuo, ne aut plus æquo tibi tribuas, quod capitale eſt; aut plus æquo te abjicias, quod deſperantis eſt.
k Heb. multum: ſic verſ. ſeq.
24 i. faſtu; & arrogãtia tua rueres in perniciẽ præceps.
25 nimirum judicio tuo, ut ſuperiore ver. cujus hic eſt antitheſis.
l Heb. in non tempore tuo.
26 ſupple quam ut te extollas, aut abjicias.
27 documẽtum videlicet quod mox ſubjicitur.
28 firmiſſime teneto, amplexator, neq; latum unguem à documento hoc diſcedito.

2 id eſt, ampliſſimis & gratioſiſſimis bonis corporeis, ſynecdochicè.
3 ſecundus gradationis locus. q. d. melior eſt mors ipſa bonis præſentibus, & fama: nam fama vanitatis conſolationem aliquam afferre poteſt, mors autem vanitatem adimit: & fama quidem ad mortem uſque inſtabilis eſt; morte autem, ſi qua fama eſt, conſtans efficitur. 4 id eſt nativitatis & vitæ totius ex quo natus eſt; per ſyllepſin in ſcripturis frequentatam. 5 explicatio proximè præcedentis membri de præſtantia mortis à duobus locis: prior eſt à perſona adſtantium, qui documentum vitæ hauriunt ex morte, uſque ad verſ. 7 poſterior, à perſona ipſorum morientium, quorum inſtabilis & varius volubiliſque ſtatus morte adimitur, verſ. 7. & 8. 6 id eſt, ſepulcretum, funus, rogum, aut ſimilia.
7 i. ultimus actus & exitus ipſius vitæ; hæc prior cauſa ad morientes pertinens. 8 hæc poſterior cauſa, quæ per ὕστερον πρότερον proximè explicatur.
a Heb. cordi: ſic deinceps. 9 i. utilius futurum eſt homini ut verſetur cum triſtibus, lugentibuſque, ac velut dolore indignabundis, quàm cum iis, qui læto animo & exporrecta fronte agitant hilaria. b Heb. malo. 10 i. ſtudioſè perſequetur verſabiturque cum calamitoſis, ut in dies poſſit proficere.
11 i. riſus eſt inſtabilis, ut ignis è ſpinis ſubjectus ollæ in quo exſultare quidem videtur flamma, ſed conſumptis ſpinis illicò exſtinguitur. c Heb. vox.
12 explicatio alterius cauſæ prolepſeos, quæ prior poſita eſt ſup. ver. 2. Senſus autem eſt, cùm homo tanta feratur inconſtantia, ac ne ſapientes quidem ſibi cavere in hac vita poſſint, quin perturbentur & corrumpantur ipſorum animi amore, odio, ſpe, metu, &c. optabiliorem ipſis eſſe mortem, quàm lubricam hanc & fallacem vitam. 13 cui plerumque in rebus humanis non reſpondet finis.
14 qui ſapienter animoque patiente ſemper obſervat finem; non autem elato animo præceps abripitur in præjudicia ſua. Sic paratur tranſitus ad ſequentia documenta ſapientiæ. d *Hebr. ne perturberis in ſpiritu tuo indignando.*
15 documenta hæc ſapientiæ duas partes continent, unam, ut compoſito & tranquillo animo acquieſcamus voluntati & adminiſtrationi Dei, uſq; ad ℣. 21. alteram, ut aliena facta dictáve non inquiramus curioſè, ℣. 21. & 22.
16 de præſente adminiſtratione, ut ſequens verſus oſtendit.
17 i. ſtolido animo, qui ita indignantur. 18 i. ne fiducia poſſeſſionis tuæ efferaris eò uſque, ut obloquaris Deo; ſed ſapientiam adhibe, quæ te ita recreatura eſt, ut viatorem ſolis æſtu confectum reficit umbra. e *Heb. dominos ſuos.*
19 i. agnoſce & acquieſce in eo quod fecit Deus.

29 i. liberum eſſe immunemque ab omnibus iſtis vanis cogitationibus, ac proinde opus eſſe ut incumbas reverentiæ Dei. cujus fructus duobus verſibus proximis exponuntur, & ſermonis totius concluſionem efficiunt, verſ. ultimo.
30 occupatio, qua diluit Schelomo objectionem peccatoris titubantis propter peccata ſua: tua eſt, inquit, infirmitas; ſed virtus Dei perficitur in infirmitate tua, ſi reverentiæ ejus adhæſeris, & nitaris veritate ejus.
31 altera pars documenti de qua diximus in verſ 9. m *Heb. dicunt, forma imperſonali.* 32 ſed diſſimulare ex prudentiæ & charitatis lege.
33 ætiologia à teſtificatione noſtræ ipſorum conſcientiæ, ut Gal. 6 1.
n *Heb. vicibus multis.* 34 confirmatio vanitatis, quam rebus omnibus ſub ſole attribuit Schelomo, primum à ſingulari ipſius experientia duobus verſibus: deinde à communium exemplorum obſervatione, inde ad finem uſque.
35 i. quum nondum planè in apoſtaſiam ruiſſem: ut ſup. 2. 4 & 10.
36 i. quum mihi videret ita ſapere, ut nihil fugeret cognitionem meam; tum longius abfui à ſapientia quam opinione conceperam. 37 ætiologia, qua exponit Schelomo cur tam procul abfuerit à ſapientia. Non eſt, inquit, humanarum virium cõſequi res remotiſſimas, abſtruſiſſimas, & quaſi in profundo merſas; nihil autem eſt tam remotum ab homine quam ſapientia. Jobi 28. & Proverb. 2. 6. 38 ſecundus confirmationis locus, ab obſervatione de aliis facta. Docet enim Schelomo ſe ab opinione ſapientiæ ſuæ traductum eſſe ad expendendam pariter aliorum ſive ſapientiam, ſive ſtultitiam, quaſi animo potuiſſet modum comprehendere, & utriuſque rationes ſecum ſubducere.
39 i. ineundum & conſequendum ratiocinium ejus: quemadmodum dixit de ſapientia. Sunt enim analogica duo hæc contraria membra prolepſeos, quæ deinceps per ὕστερον πρότερον explicantur; improbitatis quidem, verſ. 4. proximis; ſapientiæ vero ratiocinium, verſ. ult. o *Heb. inſaniarum.*
40 explicatio ratiocinii facti de improbitate, ut modo dictum eſt Putabam, inquit, me ſummam aliquam ac velut finem improbitatis conſequuturum eſſe ratiocinando; ſed infinitam eam eſſe deprehendi in iſto genere.
41 i. amariſſimum magis metuendum & fugiendum quàm mors ipſa ſit.
42 i. mulierem nequam, animo & corpore ipſ. rantem, molientem, & perpetrantem omnia malorum genera. 43 i. doli, artes, & technæ omnis generis ad venandum, ineſcandum, decipiendum, & necandum homines, tamquam feras, volucres, aut piſces. 44 id eſt, quæ miſeros homines captivos agit, traducit, & præbet oſtentui triumphans de illis. 45 q. d. abs qua nemo ſine ſingulari ope, gratiaque Dei integrum ſe ſervare poſſit; adeo vafra eſt lenociniorum malorúmque artifex. p *Heb. una vice ad altera.* 46 videlicet improbitatis, quæ eſt in impura iſta muliere. 47 i. plane videre improbitatem mulierum iſtarum infinitam eſſe.

unius *cujuſque* ex mille aſſequi; at fœminæ q
omnibus iſtis inſtructæ non aſſequi.
29 [48] Solummodo vide, hoc inveni, Deum
ipſum feciſſe hominem rectum; ipſos autem
[49] quærere ratiocinia plurima.

## Caput VIII.

30 [50] Quis eſt par illi ſapienti? aut quis no-
ſcenti interpretationem rei? ſapientia homi-
nis ita [51] illuſtrat faciem ejus, ut firmitas vul-
tus ejus [52] duplicetur.

q *Heb. cum omnibus iſtis.*
48 concluſio iſtius ratiocinii de improbitate. q.d. omiſſa hac infinita quæſtione de æſtimanda hominum mulierumque improbitate; concluſi tandem certiſſimè, ſatis eſſe homini ut prioris ſuæ conditionis bonum Deo acceptum referat; malum vero, ac potius infinitas rationes mali quibus implicatus, fateatur à ſe ipſo proficiſci, deploret, abdicetq;, ut Deum tandem ad priorem ſtatum recuperandum adeat. 49 i. miſſo ratiocinio recti quod Deus indiderat & mandaverat ipſi, infinita alia ratiocinia, cogitationes ſtudiaque ſuſcepiſſe. 50 alterum membrum prolepſeos; quo oſtendit Schelomo, definitam quidem eſſe ſapientiam reverentia Dei, ſupra ℣.18. ſed dignitatem & bonum illius infinitum eſſe: ut dictum eſt verſ. eodem ſeq.
51 Id eſt, ipſum glorioſum & illuſtrem reddit, ſynecdochicè.
52 i. in dies augeſcat, confirmetúrque, & in imaginem rectiſſimi Dei transformetur ex gloria in gloriam, ſicut à domini ſpiritu, 2. Cor. 3.18.

## Caput VIII.

*Schelomo expoſito populariũ in magiſtratus officio; civilis adminiſtrationis vanitatem oſtendit ex abuſu tyrannico adminiſtratum; quibus mortem & judicium, bonis verò liberationem & præmium denunciat: poſtremo ſententiam carnis cum divino teſtimonio comparat.*

1 [1] PRæſtitutum meũ, a præſtitutũ regis ob-
ſerva: [2] ſed pro ratione juramenti Dei.
2 [3] Ne b perturbatè [4] à facie ejus abito, ne
perſiſtito [5] in re mala: nam [6] quicquid volet,
facturus eſſet.
3 [7] Ubicumque verbum regis *eſt*, *ibi* domi-
natio: ecquis dicat ei, quid facis?
4 [8] Qui obſervat præceptum, non experi-
tur rem malam: [9] tempus enim ac rationem
novit c animus ſapientis.
5 Nam [10] cuiq; voluntati eſt tempus & ra-
tio: ſed [11] malum hominis multũ incumbit ei,
6 [12] Quum non agnoſcit id quod futurum
eſt; [13] nam quomodo futurum ſit, quis indi-
cet iſti?
7 [14] Nullus homo dominatur ſpiritui ſuo
[15] ut contineat ſpiritum ſuum; nullaque *eſt*
dominatio in die [16] mortis nullumque miſſile
[17] in iſto prælio: denique [18] non liberat d con-
flictatio e utentem ipſa.
8 f [19] In tota hac re vidi, quum adhiberem
animum meum ad omne opus quod fit ſub

1 Schelomo ſumta occaſione ex tertio documento præcedentis capitis, vanitatẽ rerum hujus mundi demonſtrat ab inſtabili & incerta adminiſtratione ejus. hoc & ſequente capite: qui quartus eſt locus vanitatis à Schelomone in rebus exteris obſervatus. Iſtius enim adminiſtrationis genera ſunt duo: unum ab hominibus, hoc capite; alterum à Deo, ſequente: quod utrumque genus ita varium eſt, ut nihil certum de eo humanitus ab ullo homine definiri poſſit. Porrò in hoc capite continentur duo: unum de officio hominum civiliter inter ſe converſantium, uſque ad verſum 8. alterum de eo quod fit, idque ferè præter officium, ac de factorum eventu, inde ad finem uſque. Eſt autem in hoc verſu 1. ſumma propoſitio humani officii erga poteſtates ſuperiores, quæ ſequentibus verſibus ad bonos & malos accommodatur.
a *Heb. os: ut Exod.* 17.1. 2 moderatio obſequii quod homines debent poteſtatibus: parendum eſt, inquit, ſed non niſi bona fide & conſcientia: quia non eſt poteſtas niſi à Deo; ac proinde jus non habet homines ab obſequio avocandi, quod Deus à ſuis jurejurando exigit, & illi fide data ſe exhibituros receperunt. 3 exornatio ſuperioris documenti, continens primum mandatum obſequii duobus verſibus; deinde eventum ad bonos & malos perventurum, reliquis. b *Heb. perturberis a facie ejus abeas: ut 1. Schem.* 2.1.
4 i. ne ab obſequio illius ſubducito te animo perturbato.
5 i. perturbatione & rebellione, quæ tibi malum allatura eſſet.
6 i. ageret tecum arbitratu ſuo, ſive jure, ſive injuria: ut ſequens verſus oſtendit. 7 hoc eſt, verbi ſui auctoritate plurimùm efficit; tuum verò quid efficeret apud regem? quid prodeſſet litigare cum rege?
8 accommodatio ad bonos obſequentes magiſtratui.
9 nimirum tum obſequendi, tum diſſimulandi, tum ab obſequio diſcedendi.
c *Heb. cor: ſic deinceps.* 10 ſupple efficiendæ legitimè.
11 accommodatio ad malos, qua oſtendit improbis illis Schelomo eventurum malè; qui indicantur ſequente verſu.
12 i. qui inſipiens eſt, neque judicio utitur ad obſequendum poteſtati.
13 i. quis ex inſipiente facere poſſit ſapientem? 14 expoſitio mali quod inſipientibus & inobſequentibus denunciatum eſt ſuprà ℣.5. nemo eſt, inquit, tanta auctoritate, dignitate, potentia, vel armis, agilitate denique induſtriaque præditus, qui labore ullo & contentione vindictam regis eluctari poſſit & frangere, ſive ſua, ſive aliorum opera. 15 i. vitam ſuam conſervet: ut ſequentibus explicatur. 16 quam rex mandaverit. 17 quod rex in rebellem aggreſſus fuerit.
18 i. inane eſt quicquid tentat & molitur ad depellendam mortem.
d *Hebr. inquies ſive inquietudo.* e *Heb. dominum ſuum.* f *cum toto hoc.*
19 nimirum tota hac civili adminiſtratione magiſtratuum & popularium. Eſt autem hîc altera pars capitis, de eo, quod fit ex vanitate præter jus, ut obſervatum eſt in verſ. 1. Continentur autem in hac parte duo: unum eſt, rectum judicium de prava adminiſtratione ex teſtimonio ſpiritus Dei, uſque ad ver. 13. alterum eſt judicium depravatum carnis: verſ. reliquis: quem ordinem à Schelomone ſervari monuimus, ſuprà 2.2.

ſole; tempus *interdum eſſe*, quo dominatur ho-
mo in hominem [20] malo ſuo.
9 Nam ita *dominatos* animadverti impro-
bos g ſepeliri, poſtquam deceſſerunt; atque è
[21] loco ſancti abierunt, & oblivionem tradi in
ea civitate, in qua ſic fecerunt: [22] etiam illud
vanitatem *eſſe*.
10 [23] Quia nullum efficitur decretum, h cõ-
penſatio iſtius mali citò: idcirco i fervet ani-
mus hominum in ipſis, ut faciant malum.
11 [24] Quamvis peccatori facienti malum
centies, etiã prorogaret Deus *dies*; quinetiam
novi ego fore bonum timentibus Dei, qui ti-
muerint à facie ejus:
12 Bonum autem non fore improbo, neq;
prorogaturum eſſe dies [25] ſimiles umbræ, illi
qui non timet à facie Dei ipſius.
13 [26] Eſt vanitas quæ fit ſuper terram; quod
ſunt juſti quibus obtingit ſecũdum opus im-
proborum, & ſunt improbi quibus obtingit
ſecundum opus juſtorum; [27] dixeram, hoc
quoque *eſſe* vanitatem.
14 Quapropter laudaveram ego lætitiam,
nullum eſſe bonum homini ſub ſole, niſi ut
comedat ac bibat & lætetur: hoc enim adja-
cere ipſi ex labore ſuo diebus vitæ ſuæ, quos
dat ei Deus ſub ſole.

20 id eſt, improbè, ita ut poſteà conſequatur præmium mali ſui: ut ſequentib. exponitur.
g *Heb. ſepultos.*
21 i. è magiſtratu, & judiciali ſolio, quæ functio & ſedes Dei eſt, Deut. 1.17. & 2. Chronicor. 19.6.
22 dominium ipſorum tyrannicum.
23 graviſſima ſententia, qua exponitur cauſa tum hominum improborum audaciæ, hoc ℣. tum bonorum liberationis, & mali quod improbi tandem perpeſſuri ſunt, duobus ſeq. q.d. eò aluntur improbi in maleficiis, quòd vindictam tardam eſſe vident, ac propterea ſibi impunitatem pollicentur: ut Pſal. 50.21.
h *Heb. factum, pro compenſatione facti, metonymia.* i *Heb. plenum eſt cor filiorum hominis: ut Eſther.* 7.5. 24 amplificatio graviſſima hujus ſententiæ, per hypotheſin ἀδυνάτου. 25 ut Jobi 8.9. & alibi paſſim. 26 propoſitio ſententiæ carnis, ut obſervatum eſt ſup. ℣.8.
27 vide ſuprà 3.18. & ſequent.

## Caput IX.

*Schelomo obſervationem adminiſtrationis Dei docet humanas mentes ſuperare: carnales de ea cogitationes explicat, quæ hominibus ſpiritus Dei luce carentibus obverſantur; quod eventa omnia perſonarum, conatuum, & conſiliorum impiè fortunæ tribuant, & ad ſcelera ſua abutantur iſta cogitatione.*

1 [1] QUum autẽ adhiberem a animũ meum
ad cognoſcendum [2] ſapientiam, & ad
perſpiciendum ipſum negotium quod fit ſu-
per terram; [3] ſi etiam interdiu & noctu ſom-
num oculis ſuis *quiſpiam* b non percipiat:
2 Animadverti totum opus Dei, non poſſe
hominem aſſequi illud opus quod fit ſub ſo-
le, quamvis c laborioſè homo quærat, non ta-
men aſſequuturum eſſe: quin etiam ſi cogitet
ſapientiſſimus cognoſcere, non tamen poſſe
aſſequi.

## Caput IX.

3 [4] Nam [5] totũ hoc condidi in animo meo
idque declaraturus totum hoc; [6] juſtos & ſa-
pientes, factaque eorum [7] in manu Dei ipſius

1 duos hoſce verſus omnino ad ſequẽtia pertinere res ipſa loquitur, nam hoc demum loco Schelomo tranſitionem facit ab humana adminiſtratione ad alterũ adminiſtrationis genus quod ſupra homines eſt, & illud inductionibus explicat, hoc capite; quemadmodum indicavimus ſupr. 8.1. Hoc autem capite tria iſtius adminiſtrationis exempla percurrit Schelomo: primum eſt, de eventu perſonarum omnium, uſque ad verſum 13. ſecundum de eventu factorum atque conatuum, ver. 13. & 14. tertium de eventu conſiliorum, inde ad finem uſque: quibus omnibus inductionis locis præponitur commune exordium, duobus verſibus, omnia quæ hîc adminiſtrantur vindicans & aſſerens Dei œconomiæ; prout ordinem hunc à Schelomone obſervari monuimus ſupra 2.2. & alibi.
a *Heb. cor: ſic deinceps.* 2 id eſt, peritiam totius hujus adminiſtrationis.
3 id eſt, etiamſi aciem oculorum & animi ſui contendat indeſinenter his obſervandis & comprehendendis ratione: quod poſterius membrum ſequente verſu ex ordine illuſtratur, ut verſus ille eſt hujus exegeticus.
b *Hebr. videat.* c *Heb. laboret homo quærendo.* 4 primus inductionis locus, exponens judicium carnis de adminiſtratione Dei erga perſonas ipſas, ut diximus in verſ. 1. 5 quod ſequent. exponitur uſque ad 13. Eſt autem hîc deſcriptio elegantiſſima totius judicii carnalis, quò fecit tranſitionem Schelomo, quaſi dicat, quæcumque dico me animo meo indidiſſe, & deinceps expoſiturus ſum; nolo ita accipi quaſi nunc demum eſſem in ea ſententia, & diſpenſationem iſtarum rerum abjudicarem Deo: abſit. imo verò furor eſt, hominem contrà ſentire, quàm res ipſæ loquantur manifeſtò: nihil enim vel tantillum aut perſonis (de quibus uſque ad verſum 13.) aut factis (de quibus deinceps) evenit, quin ipſæ perſonæ, res, facta teſtentur ſingula quæque nutu & voluntate Dei gubernari, penes hominem nihil eſſe.
6 ſimiliterque injuſtos & inſipientes cum factis ipſorum: ecclipſis contrarii. de qua diximus Gen. 18. Nam ita accipiendum eſſe oſtendit antitheſis ſeq. verſu.
7 id eſt, cognoſci & gubernari à Deo.

eſſe:

eſſe: [d] tum re amata, tum exoſa [8] non uti ho-
mines,[9] *nullam* eſſe [e] expoſitam ipſis:
4 [10] His omnibus, quemadmodum reliquis
omnibus *evenire*, eventum eumdem eſſe juſto
& improbo, bono ſive mundo & immundo;
tam [11] ſacrificanti quam ei qui non ſacrificat; i-
ta bono ſicut peccatori, juranti quemadmo-
dum juramentum reverenti:
5 Hoc peſſimum *eſſe* in omnibus quæ fiunt
ſub ſole, quod eventus idem *ſit* omnibus; [12]
quin etiam animum filiorum hominum *qui*
expletus fuerit malo, & quorum animo *inſede-*
*rit* omnis inſania [f] quamdiu vixerunt, itidem
[13] poſtea *concedere* ad mortuos.
6 [14] Nam [15] uter ſit qui eligatur, in tota hac
vita [16] adeſt fiducia: quin [17] cani viventi eſt me-
lius quam leoni mortuo.
7 [18] Viventes enim ſciunt [19] ſe morituros
eſſe; mortuos autem neſcire quicquam, nec eſ-
ſe amplius eis [20] mercedem, quum oblivioni
tradita fuerit [21] memoria eorum.
8 Tum [g] rem amatam eis, tum exoſam eis,
tum deſideratam eis jam periiſſe; & partem
nullam *eſſe* eis amplius [h] unquam in ulla re
quæ fit ſub ſole.
9 [22] Agedum comede cum lætitia cibum
tuum, & bibe animo hilari vinum tuum [23] [i]
quandocumque benevolè proſequitur Deus
ille facta tua.
10 Omni tempore [24] ſunto veſtimenta tua
[k] nitida, & unguentum infuſum capiti tuo ne
deficito.
12 Fruere vita cum uxore quã amas, omni-
bus diebus vitæ vaniſſimæ tuæ, quam *uxorem*
dedit tibi *Deus* ſub ſole, omnibus diebus va-
niſſimis tuis, quum hoc ſit pars tua in vita hac
& in labore tuo quo laboras ſub ſole,
12 Quicquid aſſequitur manus tua ut facias
pro facultate tua, fac: nam nullum *eſt* opus, aut
ratiocinium, aut ſcientia, ſapientiave in ſepul-
cro quo iturus es.
13 [25] Convertens me animadvertebam ſub
ſole non eſſe levium curſum, neque robuſto-
rum prælium, nec etiam ſapientum cibum, ne-
que etiam prudentum divitias, neque etiam
ſcitorum gratiam; ſed tempus & caſum acci-
dere omnibus his:
14 Etiam neſcire hominem [26] tempus ſuum,
ſicut neſciunt piſces qui capiuntur reti [27] ma-
lo & *ut neſciunt* aves quæ capiuntur laqueo;
ſicut iſta irretiri filios hominis tempore mali,
quum irruit in eos repentè.
15 [28] Etiam hanc animadvertebam ſapien-
tiam ſub ſole, quæ magna *eſt* [29] apud me;
16 [30] Civitatem quamdam parvam in qua
homines pauci *erant* quum veniens contra
eam rex magnus circumſideret, & exſtrueret
contra eam munitiones magnas,
17 Adfuit in ea vir indigus ſapiens, qui li-
beravit [31] ipſe civitatẽ iſtam ſapientia ſua: nec
tamen quiſquã recordatus eſt viri indigi illius.
18 Dico autem ego, meliorem eſſe ſapien-
tiam robore; quamvis ſapientia illius indigi
deſpiciatur, & verba ejus non audiantur:
18 Verba ſapientium [l] [32] ſubmiſſorum au-
dienda eſſe, potius quam [33] clamorem domi-
nantis cum ſtolidis ſuis.
20 Meliorem eſſe ſapientiam armis belli-
cis; [34] aberrantem verò unum perdere boni
plurimum:

CAPUT X.

21 Ut muſcarũ [m] mortuarum *una* [n] efficit
ut fœtorem eructet unguentum pigmentarii;
*ſimiliter* pretioſum [o] nomine ſapientiæ & glo-
riæ *virum fœtidum* efficit ſtoliditatis parum.
22 [35] Animus ſapientis *adeſt* dexteræ ipſius,
[36] animus vero ſtolidi ſiniſtræ ipſius.
23 [37] Nam etiam in ipſa via quum ſtolidus
ambulat, animus ejus *eſt* demens; & prædicat
omnibus ſtolidum ſe *eſſe*.

[d] *Hebr. tum amorem, tum odium neſcire homines: amor pro re amata, metonymice: ut infra verſu 8.*
[8] nimirum per ſe, ſua ipſorum facultate, & arbitratu ſuo. hãc autem eſſe ſignificationem Hebraici verbi permulti loci indicant: ut Ijobi 38. & 39.4.
[9] eclipſin negationis ἀπὸ κοινοῦ repetimus de ſuperiore membro: ut Pſal. 9. 19. & alibi paſſim.
[e] *Hebr. ante eos: ut Gen. 13.9.*
[10] juſtis & ſapientibus, factiſque eorum.
[11] i. pio & impio, colenti Deum & non colenti, ſynecdochicè.
[12] amplificatio indignationis, à comparatione eventus eorum qui indigniſſimè totam vitã ſuam in impietate & inhumanitate tranſegerint.
[f] *Heb. in vita ipſorum.*
[13] quam ita vixerint, planè cũ aliis omnibus æquari morte.
[14] ætiologia atheorum, ex cõſimili ſpecie eventus humani confirmantium animas cũ corporibus emori; cujus partes ſunt duæ: una, fructum nullũ cui homo jure poſſit confidere, niſi in hac vita, percipi poſſe; altera, nihil mortuis ſupereſſe, ac proinde quidvis vel obſcuriſſimum & tenuiſſimum anteponendum eſſe nobiliſſimorum animãtium cadaveribus.
[15] i. ſive juſtus, ſive injuſtus probetur tibi, cujus vitam ſtudia, & facta imiteris: tamen (inquiunt Epicurei) neutrum genus vitæ aliam exſpectationem boni, præterquam præſentis, habere poteſt.
[19] id eſt, præſentia ſunt bona quibus homo confidenter utatur, ac non futurorum exſpectatione ſe ipſum lactet. [17] proverbiale dictum, quo Epicurei vitam ſolent morti honeſtæ, quamvis turpiſſimam anteferre.
[18] confirmatio proxime præcedentis dicti, melius eſſe vivo quàm mortuo. Viventes enim, inquit noſcunt, utuntur, & percipiunt fructum præſentis vitæ: mortui planè nihil horum. [19] ac proinde ſibi hodie vivendum putant, dicẽtes, comedamus, bibamus, nam cras moriemur: Jeſchah. 22.13. & 1. Corinth. 15. 32. quod exponitur copioſe. verſ. 9. & ſeq. [20] i. fructum rerum quibus confidunt, ſuperiore verſu. [21] cum ipſis, id eſt, quum mortui fuerint: periphraſis mortis.
[g] *Hebr. amorem eorum, tum odium eorum, tum zelum eorum: ut ſup. verſ. 3.*
[h] *Heb. in ſeculum.* [22] mimeſis, vel imitatio & effictio documentorum quæ ex ſua illa notitia colligunt Epicurei, ut dictum eſt in verſ. 7. [23] i. quamdiu facultatem habes, ſive ſit à Deo illo quem iſti prædicant, ſive aliunde: ironicus ſermo. [i] *Heb. cum jam.*
[24] i. curato te molliter: ſynecdoche. [k] *Heb. alba.* [25] ſecundus locus inductionis de eventu factorum quem animalis homo attribuit caſui: ut obſervatum eſt ſuprà in verſ. 1. Quod autem dicit (convertens me) noematicum eſt. q. d. quum autem viderem non eſſe poſitum in hominum facultate, ut ipſi de ſe ſtatuant arbitratu ſuo; converti animum & cogitationem meam ad obſervationem factorum ſingularium, de quorum eventu ex ſenſu carnis hoc modo iudicabam. [26] id eſt, calamitatis ſuæ.
[27] i. calamitoſo & damnoſo ſibi. [28] tertius inductionis locus de humanorum conſiliorum eventu: ut diximus in ꝟ. 1. quo oſtendit ſapientũ conſilia reipublicæ ſalutaria apud multos parvum honorem conſequi; imprudentia & ſtolida perpetuã ignominiã: ac propterea ſtatuit non pẽdere conſiliorum eventum ab hominũ facultate.
[29] ut apud omnes ſanos. qui ferè ſunt pauci.
[30] parabola ſive exemplum de conſiliorum uſu.
[31] ſolus, ac non alius.
[l] *Heb. cum quiete.*
[32] i. infimorum, qui ſubmiſſe ſolent apud dominatores agere, adeoque (ut proverbio dicitur) holitorum.
[33] i. clamorem ſtolidi dominatoris, & cunctorum adminiſtrorum ejus.
[34] i. unum aliquem ſapientem aberrantem à conſilio ſapientiæ perdere conſilia, res, facta, & honorẽ ipſum, ac exiſtimationem, ſequente verſu.
[m] *Hebr. mortis.*
[n] *Heb. efficit ut fœteat & eructet.* [o] *Heb. à ſapientia, à gloria.* [35] i. ſapientem nihil niſi cogitatè agere, & cum animo ſuo prius expendere, quam dexteram ad opus admoveat. [36] i. ſtolidum incogitatè ferri, & rationem ac ſapientiam à ſe depellere; ut quæ averſantur homines ferè ſiniſtra depelluntur: metaphoricæ loquutiones à gladiatoribus ſumtæ, qui dextera adverſarios petunt ſiniſtra depellunt atque protegunt ſe. [37] confirmatio membri poſterioris antitheti: ſtolidus, inquit, non tantùm ſapientiam à ſe propulſavit; ſed ipſo vultu; greſſu, & ſignis omnib. clamat ſtoliditatem ſuam. Hos autem tres verſus, quia cum ſuperioribus omninò cohærent, in idem caput incluſimus.

CAPUT X.

*Schelomo formam docet modeſtiæ erga potentiores, illius utilitates explicat: adminiſtrationis bonæ & malæ eventa prædicat: poſtremo ſubditos ad ſanctè cogitandum de potentioribus hortatur.*

1 [1] QUum ſpiritus ejus qui dominatur [a] ſe
effert contra te,[2] locum tuum ne deſe-
rito: [3] nam *vir* [4] ſanans ſedat peccata magna.
2 [5] Eſt malum *quod* vidi ſub ſole,[6] ſecundũ
errorem qui procedit à facie imperantis:
3 Poni [7] ipſam ſtoliditatem in *dignitatibus*
celſis & amplis; divites verò in ipſa abjectione
ſidere.
4 Vidi ſervos inſidentes equis, principes
autem euntes tamquam ſervos ſuper terram.
5 [9] Qui fodit foſſam, in eam cadit; & qui
perrumpit maceriam, mordet eum ſerpens.
6 Qui amovet lapides, dolore afficitur eis;
qui findit ligna, periclitabitur eis;
7 [10] Si poſtquam hebetaverit ferrum, is

[1] Schelomo duob. poſtremis generibus vanitatis, quæ ex ordine fuerunt expoſita cap. 8. & 9. ſua veluti pharmaca ſalutariaq; documẽta opponit eodẽ ordine, hoc & ſequente capite, ac primum quidem hoc capite (quod octavo capiti reſpõdet (agitur de civili adminiſtratione; ſuntq; illius documenta tria: primum eſt, de modeſtia & ſubmiſſione animi prudenter apud principes colenda, uſque ad v. 13. ſecundum de eventu humanæ adminiſtrationis, uſque ad ultimum; tertium, de reprimendis etiam cogitationibus quæ interdum homini ſuper forma adminiſtrationis obverſantur, verſ. ultimo. [a] *Heb. aſcendit.*
[2] i. modeſte in ſtatione tua te contineto, neque rebellato, ut ſupra 8.2. ſed potius omnes artes ad curandum ſanandumque ſpiritum ejus adhibeto; quod membrum antitheton ſupplendum eſt ex ſequente ætiologia, [3] iſtius documenti cauſæ exponuntur tres: prima, his verbis, ſanari principem & à magnis peccatis revocari; ſecunda, præcaveri & declinari malum alioqui ſubdito ipſi eventurum, atque inevitabile; à verſ. 2. ad 9. tertia, bonam gratiam recuperari, & reconciliatam retineri, verſ. 9. quæ tria oppoſitione ſtolidi illuſtrantur, inde ad verſ. 13. [4] nimirum ſpiritum regis abjectione ſua. [5] ſecundum αἴνον de antevertendo malo; quod poſtea plurimis atque elegantiſſimis comparationibus exprimitur. [6] id eſt, prout delirant reges & errant humanis ſuis infirmitatibus, modo hoc modo illud decernentes. [7] i. homines (ut ita dicamus) ſtoliditate ſtolidiores: emphaſis.
[8] nimirum omni genere ſapientiæ, ut membrum oppoſitum docet: ſic enim contra accipitur pauperis nomen, Proverb. 29.13. [9] explicatio mali quod homini creat immodeſtia & imprudentia, quatuor ſimilitudinibus.
[10] id eſt, ſi imprudenter & inconſideratè fodiat, ſubruat, tollat, findatque tamquam non curato ferro quod fuerit hebetatum, ſynecdochicè: nam hęc conditio etſi de proxima tantum ſimilitudine ad verbum dicitur, communicanda eſt tamen cum ſuperioribus.

*b* aciem non exacuat, ſed [11] vires intendat: at e-
molumento *c* ad dirigendum *eſt* ſapientia.
8 [12] Si momorderit ſerpens *d* nōdum adhi-
bita incātatione, tum nullum eſt emolumen-
tum *incantationis e* tenenti verba ejus.
9 [13] Verba oris ſapientis *ſunt f* gratioſa, la-
biis verò *g ſuis* ſtolidus [14] abſorbet ſe:
10 Initium verborum oris ejus, ſtoliditatis
*eſt*; & finis *verborum* oris ejus, inſaniæ peſſimę.
11 Ut ſtolidus ipſe multis utatur verbis: ne-
ſcit iſte homo quid ſit *quod dicat*, aut [15] quid
futurum ſit poſtea; quis indicaret ei?
12 Labor ſtolidorum fatigat ipſorum *quem-
que*; ut qui neſciat [16] ire in civitatem.
13 [17] Hei tibi regio, cujus rex puer *eſt*; & cu-
jus principes [18] manè comedunt.
14 O te beatam regionem, cujus rex [19] na-
tus *eſt* clariſſimis; & cujus principes ſuo tem-
pore comedunt, ad robur, non autem ad com-
potationem.
15 [20] Pigritiâ [21] ambarum attenuatur conti-
gnatio, & demiſſione manuū perſtillat dom⁹;
16 [22] Eorum qui ad lætitiam parant convi-
vium, & vinum lætificat viventes, & quorum
pecunia [23] facit ut omnia iſta reſpondeant.
17 [24] Ne quidem in conſcientia tua regi
maledicito, & in cōclavibus cubilis tui ne ma-
ledicito diviti: [25] nam *vel* avis cælorum perfer-
ret vocem illam, & *h* ales indicaret verbum.

b *Hebr. faciem.* [11] id eſt, præſumens ſe vi effecturum, conſumat in eo laborem ſuum. Senſus horum ſimilium eſt: videmus iſta opera ab hominibus non effici incōſiderata vi, ſed arte atque induſtria: quanto minùs vi perrumpat homo ſpiritum dominatoris inflammatū? c *Heb. dirigendi.* [12] amplificatio iſtius mali ex imprudentia proficiſcentis, quod eſt immedicabile, & fruſtra labor in recuperanda gratia conſumitur: ut inania ſunt admorſo incantatori intempeſtivaque ſua incantamenta. d *Hebr. in non incantatione.* e *Hebr. domino linguæ illius.* [13] ἀἴτιον tertiū, ut diximus, in verſ. 1. quod illuſtrat ſtolidorum antitheſis ſubſequens. f *Heb. verba gratiæ.* g *Heb. ſtolidi: ut Gen. 9.6.* [14] i perdit, ut tres verſus exponunt: quibus gradatim oſtenditur ipſum neque apud alios ſapere; neque ſe intelligere, neque labore proficere, aut conſequi aliud niſi fatigationem ſui ipſius. [15] nimirum quod dicat, quaſi dicat, neque principium, neque finem in dicendo ſuæ orationis videt. [16] id eſt, vel movere pedem rectè, & urbis ſuæ viam cognoſcere, quam etiam addiſcunt cæci. [17] ſecunda pars, docens eventum quem regiones ex principum adminiſtratione conſequuntur. [18] i. intempeſtivè ad luxum, non ad confirmationem ſui, ex ſequente verſu. [19] i. bene inſtitutus eſt & informatus in adminiſtratione regni. [20] comparatio rei privatæ cum publica: q.d. nulla domus fecundatur, ubi manus ad opus neceſſarium non adhibentur, ſed ad luxum vitamq́ue perditam: quantò minus reſpublica, in qua principes profuſi & ad omne ſcelus libidinemq́ue projecti ſunt? [21] quæ non curant mederi ſtillicidio tigna comminuenti. [22] id eſt, quum omnia in luxum profuſa ſunt. [23] i. comparat iſta omnia pretio ſuo: verbum enim accipimus in tertia conjugatione, ut Ijobi 20 3. [24] tertium documentum, ut ſuprà diximus. [25] ratio hyperbolica, pro eo quod eſt, principes & potentiores ſunt auritiſſimi: vix quicquam fit aut dicitur, quod ipſorum cognitionem fugiat.
h *Heb. dominus alarum.*

## Caput XI.

*Schelomo hominem ad beneficentiam fidemque in promiſſiones Dei hortatur; aſſerit infinitam adminiſtrationem ejus; cui obſecundare oporteat: poſtremò negligentes ad cogitationem mortis, vanitatiſque præſentis revocat.*

1 [1] PRoijce [2] panem tuum [3] *a* ſecundùm a-
quas; nam [4] multiplicantibus diebus in-
venturus es eum.
2 [5] Da partem ſeptem, aut etiam octo; [6] cū
neſcias quid futurum ſit mali ſuper terram.
3 [7] Quum repletæ denſæ nubes pluviâ, ſu-
per terram *b* minutim demiſerint *eam*, ſive de-
ciderit planta [8] ad meridiem, ſive ad Aquilo-
nem; quo loco ceciderit planta, [9] ibi futura eſt.
4 [10] Qui obſervat ventum, non ſeminabit;
& qui reſpicit ad denſas nubes, non metet.
5 ‖ [11] Quemadmodum ignoras [12] quæ *ſit* via
venti, ut *ignoras* [13] *quæ via* oſſium in utero gra-
vidæ: ita ignoras opus ipſius Dei; qua *via* fa-
ciat hæc omnia.
6 [14] Manè ſere ſemen tuum, & veſpere ne
remittito manum tuam: nam ignoras quid-
nam rectum ſit, hócne, an illud, an verò am-
bo hæc *c* ex æquo bona *ſint*.
7 [15] *Eſt* quidem dulcis hæc lux, & bonum
hiſce oculis aſpicere hunc ſolem:
8 Sed ſi annos multos vivens homo in eis
omnibus lætetur: attamen *d* recordari eum o-
portet [16] dies tenebrarum; multos eſſe *illos*,
quicquid evenit vanitatem eſſe.

[1] ad poſtremum vanitatis genus quo animalis homo oppugnat adminiſtrationem Dei (ut cap. 9. diximus) Schelomo ſuum adhibet ἀντίδοτον & ſalutare documentum, de officio corporis & animi noſtri: corporis quidem per beneficentiam & communicationem eleemoſynæ; animi verò, per fiduciam certam in Deum, promiſſionéſque & operationes ejus. Sunt itaque hujus capitis partes duæ: una, qua utrumque officium conjunctim explicat, beneficentiæ & fidei, uſque ỽ. 7. altera, qua hominem ab hujus vitæ amore fiduciaque revocat, & viam ſternit ad ſequentis capitis documenta.
[2] i ſemen, ex quo fit panis: ut Pſal. 104.15. quæ ſynecdochica appellatio à fine in ſcripturis frequentiſſima eſt. [3] i. in locis irriguis, ac proinde feracibus benedictionis, quo modo accipitur Jeſchah 32.20. ſenſus eſt, quemadmodum bonus agricola loca irrigua conſerit certa cum fiducia & exſpectatione benedictionum Dei; ſic te in hac vita memento agricolam eſſe & operarium Dei, ut omnibus benefacias & de tuo communices; pro certo habens illud, Jehovæ ſeri quod bene fit, & irrigari benedictione ejus: ut Proverb. 19.17. & Jeſchah. 58.7. & ſequent. a *Heb ſecundum faciem aquarum.* [4] i. ſuccedente tempore, quo meſſis advenit. [5] i. diſtribue quàm plurimis potes: ut Pſal. 112.9. eſt autem hic numerus finitus pro infinito: ut Micæ 5. 5. [6] i. cum omnia iſta incertiſſima ſint, & omnibus momentis infeſta malis quamplurimis: ut Luc. 16.9. ac proinde fac ut bene colloces, quod ſeq. verſ. docetur. [7] promiſſio pergens in eadem allegoria, qua oſtenditur non poſſe melius collocari bona quàm apud homines beneficentia: nam, inquit, ut ſementem benedictione aſpergit Deus, & ſator eam ibidem recipit cum fœnore, id ipſum quoque conſtat fore in beneficentia tua.
b *Heb ſriaverint demittendo: aſperſerunt: ſimile verbum eſt, Pſal. 18.44.*
[8] id eſt, omnibus promiſcuè benefac, nam idem dicitur allegoricè, quod ſcribit Paulus, Gal. 6.10.

[9] nimirum tibi, id eſt, certiſſimè recepturus es mirificâ Dei œconomiâ. [10] occupatio allegorica. q. d. ne diffidentia utitor ut manū à benefaciendo retrahas, néve has aut illas excuſationes obtendas, ignavos ruſticos imitando, qui dum hęc aut illa cauſantur, juſtum ſementis meſſiſq; tempus ſinunt effugere, ſed Dei adminiſtrationi confidens, fac quicquid facto opus eſt, duobus ſequent. verſ. ‖ *Johan.* 3. 8. [11] expoſitio admirabilitatis quæ eſt in operibus Dei, ab exemplo duarum rerum quæ hominibus quotidie obverſantur, venti in aere, & fœtus in utero. [12] i. unde veniat, quò tendat, & quàm diu: ut Joan. 3.8. [13] i. quæ ratio fingendi & confirmandi fœtus. [14] i. omni tempore benefacito, quantiſper tempus eſt: ut Joan. 9.4. c *Heb. ſicut unum, id eſt, unum ſicut alterum.* [15] ſecunda pars: occupatio, qua reſponſionem ignavorum hominum refellit Schelomo: dices, inquit, quorſum ego tam diu laborarem? ſuavius eſt in rebus præſentibus conquieſcere, & ſibi indulgere: reſpondet, ſi per aliquot annos ſuave eſſet, adeóque tota vita à mœrore immunis ageretur; duo tamen cogitanda ſunt: unum, mortem aliquando eſſe obeundam: alterum, ea ipſa quæ huic vitæ conceduntur, eſſe vaniſſima. d *Heb. recordabitur.*
[16] id eſt mortem, periphraſticè.

## Caput XII.

*Schelomo hominem ſibi præfidentem compellans, cogitationem Dei, ſenii, mortiſque revocat; & totum opus concludit confirmatione vanitatis rerum iſtarum omnium atque hortatione ad ſtudia ſalutaria in reverentia, obſequio, & ſpe Dei adventuri, humanúmque genus judicaturi adventu ſuo.*

1 [1] LÆtare juvenis in juventa tua; & *a* exhi-
laret te animus tuus diebus juventutis
tuæ, denique perge in viis *b* animi tui & aſpe-
ctibus oculorum tuorum: [2] ſed cognoſce fore
ut propter omnia hæc adducat te Deus ipſe
in iudicium.
2 [3] Amove ergo [4] indignationem ab animo
tuo, & averte malum à carne tua: [5] nam iuven-
ta, & *c* ortus ipſe, [6] *eſt* vanitas.

## Caput XII.

3 [7] Et recordare creatoris tui diebus iuven-
tutis tuæ; [8] tantiſper dum nō adveniunt [9] dies
ipſius mali, & pertingunt anni [10] quibus dicas,
non *eſt* mihi in iſtis delectatio:
4 [11] Tantiſper dum non obtenebreſcit ſol,
& lux, lunaque ac ſtellæ; [12] neque recurrunt
denſæ nubes poſt pluviam:
5 Quo tempore commovebuntur [13] cuſto-

[1] Hujus capitis duæ ſunt partes: prior eſt cōcluſio proximè præcedentis loci de adminiſtratione Dei, uſq; ad ver. 10. poſterior, concluſio totius operis, ad ſtudium, reverentiam, & obſequium Dei homines excitans, inde ad finem uſque. Sūt autem in hac priore parte cōjuncta documenta duo, quæ hoc ỽ. proleptice continentur: unum, de præſente officio noſtro; alterum de eventu mortis & judicii quod facturus eſt Deus: quorum prius membrum hoc verſu enunciatur, per conceſſionem ironicam ad juvenem fretum bona ætate ſua, & in rebus iſtis exſultantem.
a *Heb. benefaciat tibi cor tuum.* b *Heb. cordis tui: ſic deinceps.*
[2] correctio, alterum documentum exponens juveni, ad revocandum eum à conſuetudine animi ſui & ſenſuum, de quibus modò locutus eſt ironicè.
[3] expoſitio prioris documenti, qua ſapiens juvenem ad bonam frugem revocat ab utili. [4] id eſt, peccatum quo indignatio Dei accerſitur; metonymia. quaſi dicat animo & corpore tuo peccatum, quod Deo inviſum & tibi damnoſum eſt, ſtudioſè averſator. [5] occupatio: quia excipere poteſt juvenis, indignum eſſe ut ea ætate careat juventutis bonis; reſpondet Schelomo, non poſſe de juventute melius judicium fieri, quàm tum à principio ipſius, hoc verſu, tum ab exitu, ſequentibus. c *Heb. auroræ ortus.* [6] i. inſtabilis eſt & momento vaneſcens. [7] i. ſtudio tuo & obſequio teſtificator te etiam in lubrica illa ætate duci recordatione & reverentia Dei: hæc enim ſola recordatio viros bonos facit. [8] altera confirmatio vanitatis quæ in juventute eſt, ab interitu illius primùm ſenio, deinde morte: quorum utrumque deinceps figuratur elegantiſſimè. [9] id eſt, dies ſenectutis, quæ propterea veteribus ætas mala dicta eſt, ut pluribus oſtendit Nonius Marcellus: qua eadem ratione juventutem Cicero bonam ætatem vocat, libro de ſenectute. [10] i. moroſi & difficiles anni, quales fere in ſenectute ſunt.
[11] id eſt, dum adhuc es juvenis, & frueris ætate bona. Eſt enim in his verbis periphraſis allegorica ſenectutis: qua docet ſapiens ſenes interdiu, noctu, indeſinenterq́ue cum difficultatibus perpetuis conflictari; quas ſcriptura ſolet cum tenebris, proſperitatem verò cum luce comparare.
[12] id eſt, neque calamitates ſubinde ſuccedunt aliæ aliis, ut in ſenectute fit. Hæc autem ſenectutis incommoda universè dicta hoc verſu, & ſuperioris fine, minutatim ſequentibus explicantur. [13] i. brachia quæ ad totius corporis cuſtodiam data ſunt, ſive adhibendis bonis, ſive propulſandis malis; & quibus tu juvenis fretus tantopere gloriaris.

des illi

des illi domus & pervertent ſeſe [14] *d* valentes
robore; & intermittent [15] molitrices illæ quũ
*e* mandent, & [16] obtenebreſcent illi qui ſpe-
ctant per ſpeculas:
6 [17] Occludenturque valvæ foro, dejecta [18]
*f* ſonora molitione: [19] & ſurget ad vocem avi-
culæ, [20] deprimenturque *g* omnia cano-
ra:
7 [21] Etiam à re alta timebunt, & contritio-
nibus in via; & [22] efflorescentem amygdalum
& pinguefacientem ſe locuſtam, [23] irritam fa-
ciet *animus* iſte appetens; [24] quum abit homo
in locum ſeculi ſui, circumituris in platea lu-
gentibus:
8 [25] Tantiſper dum non procul amovetur
[26] funis argenteus, & excurrit [27] orbis aureus;
[28] & frangitur hydria ad ſcatebram, diſrum-
piturque [29] rota ad ciſternam,
9 Redeunte ipſo [30] pulvere in terram que-
madmodum fuerat; ſpiritu autem redeunte ad
Deum qui dederat illum.

10 [31] Vanitas *h* vaniſſima, inquit Eccleſia-
ſtes: omnia hæc *ſunt* vanitas.
11 [32] Quamobrem potiùs ([33] cùm fuerit Ec-
cleſiaſtes ſapiens; præterea docuerit ſcientiam
populum, & attendens, ſcrutatuſque concin-
naverit ſententias multas:
12 Quæſiverit Eccleſiaſtes *i* aſſequi verba
delectabilia; & ſingula ſcripta rectè, [34] verba
fidelia,
13 Verba ſapientum [35] ſimilia aculeis, & ſi-
milia [36] clavis [37] infixis, *k* lectiſſima; tradita [38]
à paſtore eodem.)
14 [39] Potiùs, inquam, [40] ex iſtis, fili mi, ad
monitus eſto: faciendi libros multos nullus *eſt*
finis, & lectio multorum *l* fatigationi eſt carni.
15 [41] *m* Summa rei *eſt*, his omnibus auditis:
DEUM IPSUM REVERERE, ET PRÆ-
CEPTA EJUS OBSERVA, QUIA HOC
*eſt* [42] TOTUM HOMINIS.
16 Nam [43] omne opus Deus ipſe adducet
in judicium cum omni re occulta; ſive bo-
num, ſive malum.

[14] i. maxillæ crura, quibus ſtrictè & firmè ingredeis. d Heb. homines robori. 15 i. dentes illi tui, quibus ſtrenuè comminuis cibum, hebetabuntur, ita ut ſubinde recurrentibus doloribus cogaris ægrè & lentè mandere. e Heb. minuunt. 16 oculi. 17 i. moroſiſſimus eris, ita ut neque foris, neq; domi ullam delectationem capere poſſis, aut ex rebus quamvis jucundiſſimis recreari. Proptereà dicit occluſum iri valvas foro, pro eo quod eſt à foro abſtinere & à frequentia, ubi delectationem juventus percipit. 18 i. valente illa manducatione (qua in juventute uteris) amiſſa, & proſtrata cibi appetentia. f Heb. ſono molitionis: hypallage. 19 id eſt, vel aviculæ unius garritu excitabitur, & cantum illius moroſè faſtidiet. 20 i. nullam cantionem aut muſicam ſymphoniam (quæ alioqui animos humanos ſolet afficere. Prov. 25. 29.) grato animo accipiet, ſed jubebit omnia conticeſcere: vide hiſtoriam Barzillai 2. Schem. 9. 35. & ſequent. g Heb. omnes filiæ cantici. 21 id eſt, incedentes metuent ne in lapillum exturbantem offendant: nullum erit tam æquabile ſolum, ubi nõ metuant ab offenſione & attritu pedis. 22 i. ne verè quidem ipſo (quo arbores & animalia omnia lætari quodammodo & geſtire videntur) ipſius faſtidium avertetur: ſed omnia verni temporis beneficia nihili faciet. hîc enim deſcribitur ver ab unius arboris & animalculi exemplo, per ſynecdochen. 23 i. abhorrebit tuus iſte animus; qui nunc iſtarum rerum, delectationum que eſt cupidiſſimus. 24 i. quum jam verſatur in ætate decrepita, propediem moriturus, & à propinquis efferendus funere. 25 i. dum adhuc cõmodum eſt & integrum: antequam tibi Deus indignatus adimat tum ornamenta in quibus exſultas, tum ſubſidia vitæ, hoc verſ. adeóque vitam ipſam, verſu ſequente. 26 i. inſtrumenta argentea, ut ſunt catenæ, lora, cingula, & ſimilia. 27 ut ſunt annuli, bullæ, monilia. & cætera ejus generis. 28 i. abrumpuntur commoditates tuæ ad hanc vitam pertinentes: quod ſynecdochicè exemplo uno figuratur. 29 qua vertente hauſtrum in ciſternam inducitur educitúrque, quando profunda eſt, quaſi dicat, neque propinquis bonis, neque remotis utendi facultatem habiturus es. 30 i. humano corpore: ut Gen. 3. 19.

31 concluſio hæc totius operis duas partes continet: unam, qua rerum omnium quæ in hac vita ſunt vanitatem (ut ante) aſſerit, hoc verſu; alteram, qua homines ad ſtudiũ veritatis, reverentiam Dei, obſequium voluntatis ejus & judicii venturi expectationem revocat. h Hebr. vanitatũ ut ſup. 1. 2. 32 cum iſta omnia ſint vanitas, ac proinde ſtudium eorum vaniſſimum: eſt enim hîc tranſitio ad alterum documentum, ut homines vanitate miſſa dedant ſe ſtudiis melioribus. 33 hyperbaton, quo anticipat Schelomo objectionem eorum, qui reſponſaturi eſſent, ſe minimè [illegible] ut auctori habeãt fidem. Proponit enim Schelomo cauſas cur doctrina [illegible] ſit accipienda: prima, quòd ſapientia fuerit imbutus à Deo, ut doceret populum Dei, hoc verſu; deinde quod in ea ſapientia cognoſcenda conſequendaque laboraverit, tum ſua ipſius experientia, verſ. 12. tum aliorum documentis, maximè verò ductu ipſo & auctoritate Dei, verſ. 13. i Heb. ut veniret verba delectationis, & ſcriptum rectitudine, verba veritatis. 34 i. certiſſima fide amplectenda: quorum uſus & auctoritas ſequente verſu demonſtratur. 35 primus uſus verbi Dei, ut ſtimulis agantur pii, & à naturali ſua ſegnitie ad officium incitentur. 36 ſecundus uſus, ut pii ad officium adducti in eo contineantur, certis velut repagulis verbi Dei in Eccleſia ejus. 37 i. qui palos in terram depactos cum cratibus conjunctos tenent: ut ferè faciunt opiliones in caulis ſuis ambulatoriis. k Heb. domini collectionum. 38 Chriſto. Joan. 10. cujus unius verborum omnibus ſeculis in Eccleſia eſt audiendum. 39 regreſſio ad inſtitutam hortationem, quæ interrupta fuerat inde à principio verſ. 11. 40 i. hiſce documentis meis inſtruitor potius, quàm ut in [illegible] cognoſcendæ & explorandæ vanitati, quæ ineſt aliis ſtudiis omnibus: ut ſequentia verba commonſtrant. l Heb. fatigatio carnis. 41 hactenus de ſtudiorum genere: nunc explicatur ſumma veri & ſalutaris ſtudii, hoc & ſeq. verſ. m Heb. finis. 42 i. totum in quo homo ſe occupare debet, & ſine quo totus homo nihil eſt niſi vanitas. 43 id eſt omnia facta, dicta, & cogitationes, quamvis occultiſſimas: cùm omnia ſint nuda & patentia oculis ejus. Heb. 4. 13. & ſummo illo die ante omnium oculos aperiendi libri.

# LIBER CANTICI CANTICORUM.

## ARGUMENTUM.

LIBER *Cantici, quem Schelomo conſcripſit* θεοπνεύστως, *exponit rationem ſpiritualium ſponſaliorum, quæ inivit Chriſtus cum Eccleſia in terris verſante. Itaq; declarat primum ſermones ultrò citróq; habitos in contrahendis ſponſalibus, deinde mutui amoris gravitatem & officia convenientia inter amantes verbo & facto gratulãtes. Poſteà quia amor ille gratioſe conciliatus mera benevolentia ſponſi, non rarò ab Eccleſia in terris imprudenter ſponſum ſuum offendente prætermittitur; laborans Eccleſia de recuperanda ſponſi diſcedentis gratia curatur à ſponſo, & de conſtantiſſima ipſius benevolentia confirmatur: ita communi opera ſe ad beatiſſimum illum nuptiarum diem comparant. Poſtremò quia non potuit matura eſſe Eccleſia, niſi accedente gentium plenitudine, poſtquam de ea ſermo habitus eſt, canticum totum mutua profeſſione ſtudii inter ſponſum & ſponſam, officiiq; concluditur.*

## CAPUT PRIMUM.

*Eccleſia ſtudio ſponſi abrepta amplexum ejus expetit, nomen ejus commendat, & laudaturam vovet: ab indignitate ſua ſe purgat, & ſponſum advocat: quam ſponſus edocens ornat factis & promiſſionibus: itaque gratulantes inter ſe celebrant alter alterum, & bona, habitationémque communem per communionem ſpiritus.*

1 CANTICUM canticorum, quod *eſt* Schelomonis.

[1] id eſt, ſummum & præſtantiſſimum, vide Gen. 9. 25. Eſt autem hæc generalis totius libri inſcriptio, libri argumentum ſcriptorémque exponens. Argumentum eſt epithalamium excellentiſſimum ſive connubiale canticum, quo Schelomo decantavit ſacram illam, anguſtiſſimam, & beatiſſimam deſponſationem conjunctionemque Chriſti cum Eccleſia, quam æternus ipſius amor erga Eccleſiam, conciliavit, & continet, beneficentiaque promovet: donec tandem Chriſtus jam Eccleſiæ deſponſatus ſecundo adventu ſuo ſacrum illud conjugium perficiat, coagmentato & adunato totius Eccleſiæ corpore, ut ſit Deus omnia in omnibus. Scriptor eſt Schelomo; quem non dubium eſt animo & cogitatione res omnes humanas & ſuum ipſius conjugium cũ filia Parhonis longè tranſcendiſſe: etſi ubique propè typicè de ſancta illa cõmunione loquutus eſt. Scriptum eſt dramaticum, in quo colloquentes inter ſe perſonæ introducuntur ſponſus, ſponſa, & amici, amicæque utriuſque, huic connubio gratulantes. Cæterùm toto hoc capite exponuntur duo: unũ eſt Eccleſiæ ad Chriſtum aſpirãtis & Chriſti amicè eam advocantis colloquium, ſpecie amãtium, qui diutius ferre non poſſunt abſentiam alter alterius, uſque ad verſ. 9. alterum, mutua de bonis ipſorum inter ſe gratulatio, inde ad finem uſque.

2 [2] Oſculetur me oſculis oris ſui: [3] nam *ſunt*
amores tui [4] *a* meliores [5] vino.
3 [6] Ad odoratum unguentorum tuorum o-
ptimorum, *velut* unguentum diffunditur no-
men tuum; idcirco puellæ diligunt te.
4 [7] Trahe me,poſt te [8] curremus: *quum* in-
troduxerit me [9] rex ipſe [10] in conclavia ſua,ex-
ſultabimus & lætabimur in te , commemora-
bimus amores tuos meliores vino;*& quicum-
que* [11] *b* rectiſſimè diligunt te.
5 [12] Nigra ſum,at decora *ſum*,*c* ô Jeroſc lymi-
tanæ : [13] ſimilis *ſim d* Scenitis Kedarenis , *at* [14]
ſimilis *ſum inhabitantibus* aulæa Schelomonis.
6 [15] Ne reſpiciatis ad me, [16] quòd ſim ſub ni-
gra, [17] quòd contuitus ſit me ſol : [18] *quòd* filii
matri meæ [19] accenſi irâ contra me [20] diſpo-
ſuerint me cuſtodem vinearum *aliarum*, [21] *e
quod* vineam meam mihi non cuſtodiverim.
7 [22] Indica mihi , *tu* quē diligit anima mea,
ubinam paſcas,ubinam cures recubare *gregem*
[23] meridie : [24] cur enim eſſem quaſi extendens
*tentorium* apud greges [25] ſociorum tuorum?
8 [26] QUANDOQUIDEM [27] *f* ignoras,ô
pulcherrima fœminarum ; [28] *g* egredere veſti-
giis illis gregis , & paſce [29] capellas tuas [30] ſu-
pra tabernacula aliorum [31] paſtorum.
9 [32] Equitio *h* juncto curribus Parhonis [33]
comparo te,amica mea.
10 Decoræ ſunt genæ tuæ *velut* [34] lineis la-
pillorum,collum tuum *velut* tomicibus.
11 [35] Lineas aureas faciemus tibi, cum pun-
ctis argenteis.
12 [36] INTEREA dum rex [37] in accubitu ſuo
*eſt*, [38] nardinum edit odorem ſuum.
13 *Eſt* amicus meus mihi [39] *ut* faſciculus
myrrhinus, [40] inter ubera mea pernoctans.
14 *Ut* bacca [41] cypri in plantariis [42] Henge-
di,amicus meus *eſt* mihi.
15 [43] ECCE pulchra es amica mea,ecce pul-
cra es:oculi tui *ſunt* [44] columbini.
16 [45] Ecce te,pulcher te dilecte mi , etiam
amœnus,etiam ſponda noſtra eſt [46] virens.
17 [47] Tigna domorum noſtrarum *ſunt* è
cedris, [48] ambulacra noſtra è brutis.

2 hujus amantium provocationis membra ſunt duo, Eccleſiæ flagrantis amore Chriſti, uſque ad verſ.8. & Chriſti reſpõdentis, Eccleſiæque demonſtrãtis viam perveniendi ad congreſſum ſuum, verſ. 8. Sermo autem Eccleſiæ primùm patheticè ſtudium ipſius exponit, erga ſponſum, uſque ad verſ.5. deinde apud amicas ſe purgat, quòd invenuſtior,eoq; ſponſo indigna videatur, verſ.3. & 6. poſtremò ardenter ſponſum inclamat:quę omnia frequentibus apoſtrophis conſcripta grave amantis pathos affectionémque animi repræſentant. Suntque prima hæc optantis Eccleſiæ verba cum animo ſuo : utinam me,inquit,ſponſus ille meus Chriſtus præſens amplectatur , & junctus permaneat mihi , me nunquam deſerat;ſed amantiſſima ſua conjunctione in æternum proſequatur.
3 apoſtrophe pathetica ad ſponſum,qua Eccleſia exponit cauſas optati ſui: nimirum quod ex ipſo mirificam ſuavitatem percipiat, etiam tum quum peregrinamur ab ipſo,duobus verſ. & quòd eò fideliùs atque animoſius ſponſum prædicatura ſit,verſ.4. 4 i.magis ſuaves atq; ſalutares. a Heb.præ vino. 5 id eſt, convivio lautiſſimo & inſtructiſſimo,ſynecd. 6 i.odoratiſſimus es, & odoratiſſima vel nominis tui recordatio, omnibus unguentis antecellens:ac Propterea non tantùm mihi,ſed amicis quoq; meis dilectiſſima. 7 i.infirmiſſimæ mihi vires tuas adhibe pro gratuito amore tuo , cùm nemo ad te venire poſſit niſi trahatur divinitus Joh.6.44. 8 ego & puellæ meæ,miniſterio meo, & virtute tua: quod proximè ſequentia verba oſtendunt. 9 Chriſtus dominus à patre conſtitutus ; & regia poteſtate invictaq; præditus. 10 in quibus omnes ſuos theſauros Chriſtus aſſervat ſponſæ , q d. quò ampliùs bona domus ſuæ luſtraverit mecum , mihique velut ſponſæ crediderit ea ; eo melius incumbemus laudationi ejus ego & amicæ meæ. 11 i.non meæ tantùm amicæ, ſed amici etiam tui ſanctiſſimum hunc noſtrum amorem uno ore prædicabunt.
b Heb.in rectitudinibus. 12 occupatio duplex , qua ſe purgat Eccleſia apud amicas ſuas, id eſt , ſingularia ipſius membra quæ ſe in dies adjungunt Eccleſiæ, hoc modo:ſcio quidem adverſariorum probra & criminationes,quibus obruor, perventuras eſſe ad aures veſtras; ſed neque ſum mihi conſcia ut iſti exprobrát; neque vos oportet eò animum advertere , ut à conſortio ſponſæ abducamini. Præterea vos quoque fortaſſe locum dantes infirmitati veſtræ exiſtimabitis me indignam eſſe quæ conveniam in manum tanti regis:quod partim afflictionibus, partim peccatis afflictionum cauſis veluti torrefacta atque exuſta ſum : ſed quoties ego animum adverto ad blandam illam compellationem ſponſi qua utitur inf.verſ.9.& ſeq quam idem jam nunc teſtificatur ſpiritu ſuo in conſcientia mea ; omnium ſtatuo me neque afflictionibus neque peccatis meis ab ipſo avertendam eſſe, imò verò gratam & jucundam fore ei ; quum ipſe me purget ornétq lavacro regenerationis per verbũ ſuum. c Heb ſi iæ Jeruſchalaimorum. 13 q d.oblatrent iſti me tam nigram & invenuſtam eſſe quam ullus Æthiops. Eſt autem in his verbis elegans metonymia , qua non obſervata locus videtur obſcurior. d Heb. tentoriis Kedarus : ut Pſa. 120.5. 14 i.ſum ornatiſſima & venuſtiſſima: ne Schelomo quidem cum univerſa gloria ſua, aut comitatus ejus in aulæis degens tam gratioſus eſt quam ego ſum:vide 1.Reg 10.
15 ſed ad Chriſtum ſponſum meum gratioſè me compellantem , & ſuis bonis ornantem: altera occupatio, ut modò diximus. 16 i.velut infuſcata afflictionibus & peccatis , quæ figurantur verbis ſequent. 17 i.quòd oppreſſione vel perſecutione, tamquam ſole torrefacta ſim;ut Matt.13.6. accipitur ſolis appellatio. 18 i.peccatũ originale ſive innatum mecum inde ab utero,& in me habitans;cujus vi tum ad committendum malum,tum ad omittendum officium abrepta ſum: vide Pſalm.51.7.
19 i.peccatum augeſcens & ſe ipſum inflammans , ut fieret ſummè peccans per legem acceptam à Deo:vide Rom 7.
20 i. quòd peccatum peccans me ad colenda & obſervanda opera carnis tenebrarumq; pertraxerit & nunc etiam detineat plus ſatis ; quod planè eſt tum ab officio meo,tum à lege mentis meæ alienum, Rom.7.22. Hæc autem omnia ruſtica allegoria exponuntur , ad declarandam ampliùs indignitatem peccati habitantis in nobis,& præſtantiã vocationis noſtræ. 21 i.quòd ab officio meo, quamvis utili atque ſalutari,diſceſſerim.
e Heb vineam meam quòd mihi. 22 apoſtrophe Eccleſiæ ad ſponſum , q.d. ne putetis me aut alienis criminationibus , aut mea ipſius indignitate abſterreri, quò minùs accedam ſponſum:ego jam ad illum converto orationem meam:inclamabo vobis præſentibus, & reſpondebit mihi. Sunt autem hæc verba eccleſiæ inclamantis allegorica : quibus Chriſtum cum paſtore comparat ovili ſuo cibum commodum & quietem proſpiciente:ut Pſ.23. Itaque oſtendit quàm beata ſit conditio eorum qui ſequuntur Chriſtum : & contra quàm miſera conditione uteretur, quamdiu in peccato vixit. 23 quo tempore ne mihi quidem capere quietem licet, niſi veniam ad te. 24 ætiologia petitionis à ſtudio ardentiſſimo Eccleſiæ:nolo,inquit,vel ad tempus cum iſtis converſari,ac ne quidē præ me ferre quaſi apud iſtos æquo animo agere poſſem:quò fortaſſe, niſi maturè reſponderes,mea infirmitate prolaberer.Quid enim aut honoris tibi,aut emolumenti mihi inde accederet?quapropter peto ut jam nunc indices.
25 i.paſtorũ exterorum, qui nihil te attinent,ſed tantùm communicant tecum paſtoris ſpecie & appellatione. 26 reſponſum Chriſti ad Eccleſiam, ut obſervatum eſt 2. verſ. continet autem hoc reſponſum per ὕστερον primùm ſententiam ſponſi de prima quæſtione verſ.7. in hoc verſu ; deinde benignam teſtificationem animi ſui propenſiſſimi, beneficiorúmque erga Eccleſiam : ut confirmet Chriſtus occupationem qua Eccleſia uſa eſt verſ.5. & 6. & tranſitionem faciat ad gratulationem illam mutuam , in qua ſecundum hujus capitis membrum conſtituimus. 27 i.nondum planè agnoſcis , ſed ex parte tantùm , ac proptereà ampliùs informari cupis. f Heb. ignoras tibi:pleonaſmus.

28 i.ne tentorium ponito cũ iſtis , quod proximè dixiſti, neque illis ratione ulla adhæreto. Sic reſpondet ſecundæ quæſtionis parti. g Heb. egredere tibi abeundo in veſtigiis. 29 fidelium gregem. 30 i.pios ſuprà hunc mundum evehe,& cęleſtis doctrinæ alimento paſce. 31 quos Eccleſia ſocios proptereà vocaverat verſ. 7. 32 tranſitio ad ſecũdum locum gratulationis mutuæ: ut obſervatum eſt in verſ.2. in qua primùm ternis verſibus inter ſe gratulãtur,deinde ſingulis : ac poſtremò quaſi ſymphonia ſuæ communis domus præſtantiam concinunt ambo,verſ.ult.Prædicat autem Chriſtus in Eccleſia dona ſua,Eccleſia verò bona in Chriſto reſidentia & ad ſe pervenientia. h Heb.cum curribus.
33 i.ſimilem efficio virtute ſpiritus , & verbo aſſero te longè ampliùs præſtare cæteris ornamento atque dignitate,quàm Parhonis equitatum cæteris: quod beneficium ab amore ſponſi in ſponſam profectum,his tribus verſibus explicatur:à dignitate perſonarum, præſentium ornamentorum, & ampliùs etiam eventurorum ex promiſſione:quæ omnia ſimilitudine regii equitatus illuſtrantur.
34 quæ orientalium equitatui ferè adhibebantur : ut Jud.8. 24. q.d. quemadmodum in regali equitatu illo curules equi aureas habent ornatas gemmis, & tomices,id eſt,collaria pretioſiſſima:ita jam pretioſè inſtructa es. 35 i.etſi jam ornatiſſima es,amplius te ornabimus tamen; hoc enim beneficium eſt patris,filii,& ſpiritus ſancti:ideoque plurali verbo utitur. 36 reciproca laudatio quã Eccleſia canit Chriſto propter ſuaviſſimum odorem ejus , qui ad ipſam pervenit verbo & adminiſtratione ſpiritus. 37 i.in cælis: dum Eccleſia peregrinatur à Domino. 38 i.perfundor odoribus ſuaviſſimis,tribus verſ.quanto magis,quum patefacta vita mea revelabor cum ipſo in gloria:Coloſ.3.4.13. 39 ὑπερβατὸν verborum ad evidentiam trajecimus, hîc & ſeq.verſu. 40 ut ſerta & coronaria odoramenta eo loco à puellis geſtari ſolent. 41 vide Plinium lib.12.cap.24. 42 vide Gen.14.7. 43 concluſio ſponſi gratulabunda. 44 gratioſi,ſimplices & caſti,ut columbarum ſunt. 45 gratulatio ſponſæ , à pulchritudine ſponſi,& futura liberorum procreatione. 46 i fructuoſa:ſynecdochicè.
47 concluſio ſymphoniaca ſponſi & ſponſæ, domum ſuam concelebrantium à pretio & commoditate ſumma. 48 i.paradromides,ſive ambulationes continentes,quibus ſponſus & ſponſa inviſunt inter ſe. Brutas autem arbores interpretamur ſequuti vocem Hebraicam : quam adhuc ſua ætate ſervatam fuiſſe oſtendit Plin.lib.12.cap.17.

## CAP. II.

*Sponſus dignitatem ſuam & ſponſæ prædicat: ſponſa reſpondens eum laudat,eiq; fert accepta omnia bona ſua: officia ejus erga ſe convivio figurat , ſummumq; ſuum amorem in eum deliquio:deinde ſponſi adventum ad ſe,vocationem ſuam & promiſſiones ampliſſimas exponit,quæ in Eccleſia percipiuntur Evangelio:ideoq; de communione ejus gloriatur,& præſentiam expetit uſque ad promiſſionum complementum ſecundo adventu ejus.*

1 [1] EGo *ſum* [2] roſa Scharonis,lilium conval-
lium.
2 [3] Ut lilium inter ſpinas , ita *eſt* amica mea
inter filias.
3 [4] UT malus inter arbores ſilvæ, [5] ita *eſt*
amicus meus inter filios : in umbra ejus ſum-
mè deſidero [6] ut ſedeam , nã fructus ejus dul-
cis *eſt* palato meo.
4 [7] Introduxit me in locum *a* convivii,

1 Hujus capitis partes in univerſũ duæ ſunt, una eſt,vox ſpõſi ſe ipſum & ſponſam ſuam prædicãtis, duobus verſibus alteri, oratio ſpõſæ prædicantis ſponſum,beneficia ejus narrantis atque invocãtis ipſum,uſq; ad finem.Prædicatio autem ſponſi continet primùm explicationem allegoricam præſtantiſſimę & ſuaviſſimæ virtutis ejus omnibus teſtatæ,in primis verò Eccleſiæ per communicationem ſpiritus,hoc verſu:deinde dignitatis quę ab ipſo ad Eccleſiam totam pervenit,ſeq verſ. 2 i.odoratiſſima,ut roſa locis apricis gaudet ; eſtq; odoratior:vide 1.Chr.17.29. idem judicium de ſeq. epitheto. 3 i.tam ſuperat Eccleſia alios omnes cœtus dignitate atque præſtantia, quàm lilium ſpinas:cæteri omnes ſunt ſpinæ , ſi cũ Eccleſia comparentur. 4 hæc oratio ſponſæ continet primùm propoſitionem dignitatis ſponſi & ſtudii Eccleſiæ erga ipſum:hoc verſu:deinde narrat mutui illius inter ſe amoris officia, uſque ad verſ.16. ac poſtremò fructum iſtius amoris perpetuum à ſponſo petit, duobus verſibus ult.
5 nimirum fructuoſiſſimus atque ſuaviſſimus umbra & fructibus , ut verba ſequentia explicant. 6 i.permaneam in ipſo , & ipſe in me : quod duo ult.verſ. exponunt. 7 narratio hæc allegorica ſingularia duo Chriſti in Eccleſiã officia depingit:unum,vitæ & ſalutis allatæ,ſub ſpecie convivii & curationis, uſque ad ℣.8. alterum, voluptatis, pacis, & bonorum omnium ad ipſam pervenientium, ſpecie verni temporis, rerumque vernantium, & ſe quodammodo coram Eccleſia ſiſtentium ad miniſterium ejus, inde uſque ad verſ.16. a Heb.vini.

[8] b habens pro vexillo amorem erga me.
5 [9] Fulcite me [10] lagenis iſtis, c ſuſtentate
me [11] iſtis malis: [12] nam ægra amore ſum.
6 [13] Siniſtra ejus eſt ſubter caput meum, &
dextera ejus amplectitur me.
7 [14] Adjuro vos d Jeroſolymitanæ, [15] emaneatis
cum capreis, aut cum cervis agri: ne excitetis,
neq; expergefaciatis [16] hunc amorem,
[17] uſque dum voluerit.
8 [18] Vox dilecti mei eſt, ecce illum advenit;
[19] ſaliens ſuper iſtos montes, ſubſultans ſuper
iſtos colles,
9 Similis dilectus meus capreæ, aut hinnulo
cervorum; [20] ecce iſtum ſtantem poſt parietem
noſtrum, proſpicientem è feneſtris, [21]
e emicantem ex clathris.
10 [22] Proloquens amicus meus dixit mihi;
f ſurge amica mea pulchra mea, & veni.
11 [23] Nam ecce, hiems tranſiit; pluvia præteriit,
g abiit.
12 Florentia conſpiciuntur in terra; tempus
minuritionis advenit; & vox turturis auditur
in terra noſtra.
13 Ficus ipſa protulit groſſulos ſuos, & vites
ipſæ prim à uvâ edunt odorem: ſurge amica
mea, pulchra mea, & veni.
14 [24] Columba mea *degens* in ſalebris iſtis
petræ, in latibulo h prærupto, [25] oſtende mihi
aſpectus tuos, fac ut audiam vocem tuam:
[26] nam vox tua ſuavis *eſt*, & aſpectus tuus decens.
15 [27] Prehendite nobis vulpes, [28] i vulpeculas
corrumpentes vineas; dum vineæ noſtræ
k efferunt uvam primam.
16 [29] Dilectus meus, meus *eſt*; & ego illius,
[30] qui paſcit in liliis,
17 Donec aſpiraverit [31] dies ille, & fugerint
[32] umbræ iſtæ: [33] revertere, ſimilis eſto, dilecte
mi, capreæ aut hinnulo cervorum *currenti* [34]
in montibus diſparatis.

8 i. unico ſuo amore erga me, velut inſigni ob oculos poſito, animum meum ad ſe pertrahēs; ut milites à duce convocantur & continentur ſub ſignis. Sic autem hunc locū diſtinximus, adducti aliquot veterum exemplarium fide. b *Hebr. & vexillum ejus erga me amor.* 9 Eccleſiæ ad amicas verba, æſtuantis amore Chriſti, & in medio convivio velut deliquium animi ex amore patientis. Sunt autem iſtius in hac infirmitate adjumenta duo: unum, amicorū miniſtrantium de bonis ſponſi, id eſt, prophetarum, apoſtolorum, & ſervorū Dei, hoc verſu: alterum, ſponſi ipſius Chriſti, qui unus efficaciter curat Eccleſiam, ſequente verſu. 10 i. ſalutari potu ſponſi mei. c *Heb. ſubſternite mihi.* 11 pomis odoratis è penu Chriſti: ut languentibus odoramenta ad nares apponi ſolent. 12 non deſino æſtuare, donec perfectè fruar congreſſu ſponſi mei in cæleſti gloria. 13 i. ſponſus ipſe manum utramque admovet ad ſuſtentandum me in hac infirmitate mea, & in exſpectatione futuri illius beatiſſimi congreſſus ſua virtute ſuſtinet. Eſt autem hæc ſuſtentandi forma ſumta ab antiqua ratione accumbendi in convivis: prout veteres accumbentes non ſedentes (ut hodie) epulabantur. 14 verba ſponſæ per apoſtrophen ad amicas, velut requieſcentis in ulnis ſponſi ſui: quibus monet eas, ne Chriſto conquieſcenti in amplexu ipſius ulla ratione moleſtæ ſint. Hæc autem ſponſæ potius quàm ſponſi verba eſſe ſtatuimus: tum quia ſponſi nō eſt adjurare, ſed jubere pro imperio: tum quia ſequentes locos omnes, qui hoc ipſo argumento ſunt, à ſponſa pronunciari conſtat: tum etiam denique, quia veterum honeſtas poſtulabat ut ſponſa amicas ſuas compellaret, non autem ſponſus: quā honeſtatem alibi in toto hoc libro obſervat Schelomo: ut contrà ſponſus imperat ſuis amicis, infr. verſ. 15. d *Heb. filiæ Jeruſchalaimorum.* 15 i. foris verſamini, ne interturbetis aut negotium faceſſatis ſponſo. Nam hoc toto capite ita loquitur ſponſa quaſi convivium in prædio ruſtico haberetur. 16 i. ſponſum, quem amo unicè: metonymia. 17 i. nunquam, q.d. ab omni illius offenſa, & vocatione vel leviſſima abſtinere. 18 alter locus narrationis de voluptate, pace, & omnibus bonis, ad quæ perluſtranda & jamjam ex parte percipianda ſpōſus advocat ſpōſam ſuam, ut dictum eſt in verſ. 4. cujus loci partes ſunt duæ, quas Chriſtus verbo ſuo in Eccleſia perficit: una eſt, quod Eccleſiæ bona exhibet, & velut ex hibernis peccati tempeſtatibus liberatam recreat, uſque ad verſ. 15. altera quod per amicos ac miniſtros ſuos depellit mala, verſ. 15. Hæc autē omnia venuſtiſſimè figurantur, quaſi ſponſus quieſcente ſponſa rus profectus eſſet, & illa jam ad ſponſi redeuntis vocē excitaretur, & exſultaret gaudio. 19 i. quam ocyſſimè, ut ſequentis verſus declarat comparatio. 20 q.d. ecce dicto celeriùs jā adſtat mihi eſt præſentiſſimus: verba autem hæc ſponſæ gradatim explicant mirificum opus Chriſti erga ſe: cujus primum vocē audit, deinde venientem proſpicit, & poſtremò illicò præſentem videt. 21 i. florentiſſimo, jucundiſſimóq; conſpectu ſe exhibentem mihi, metaphora à floridis arboribus, quibuſcum Chriſtus eſt comparatus, ſuprà verſ. 3. e *Heb. efflореſcentem.* 22 proſopopœia ſponſi Eccleſiā ſuam invitantis: non quidem ad plenum & abſolutum fructum bonorū omniū, quæ aſſervantur in cælis, ſed ad omnia illa certiſſima venturi fructus documenta & pignora, quæ verbo & opere per ſpiritum æternum cum Eccleſia voluit communicata Chriſtus. f *Heb. ſurge tibi: pleonaſmus: ut Gen. 12. 1 & ſic inf. v. ſeq. &* 13. 23 exornatio vocationis ſponſæ, qua modò uſus eſt Chriſtus, à comparatione temporis præcedentis vocationē, & ſubſequentis: præcedens tempus, inquit, totum hibernum fuit atque procelloſum, quo aliena fuit à vocatione & in peccatis jacens: hoc verò, ex quo vocata es, totū eſt virens, florens, germinās, jucundum, ſuave, atque fructuoſum; denique animum tuum & ſenſus omnes amœniſſimè expleturum. g *Heb. abiit ſibi.* 24 i. pulcherrima, integerrima, & caſtiſſima amica mea, quæ ante jacta fundamēta mundi in ſempiterno decreto ac electione Dei, tanquā in rupe inacceſſa & immota, delituiſti, nūc etiā deliteſcis, & in æternum ibidem conquietura es: alterū genus allegoriæ, quo Chriſtus cōpellat ſponſam ad fruenda bona quæ in præſentia exhibet vocatione ſua. h *Heb. præcipitii.* 25 i. accede ad me, converſare mecum, confabulare; ambula continenter mecum, & eſto integra. 26 i. tu. n. Deo accepta es per gratuitam electionē ejus, interventu Chriſti. 27 apoſtrophe ſponſi ad amicos: qua interea dum fruitur ſponſæ colloquio, jubet amicos operam dare, ut omnia tollant quæ hæreditati Eccleſiæ eſſent obfutura, ſive doctrinæ ſive morum improbitate. 28 q.d. ne minimis quidem parcite: omne malum & occaſionem, ſpeciémque mali amovete. i *Heb. vulpes parvas.* k *Heb ſunt uva prima.* 29 cōcluſio ſuperioris narrationis, qua Eccleſia primum gloriatur de præſtantiſſima ſua communione cum Chriſto: deinde præſentiam illius exoptat toto curriculo hujus vitæ, donec perfectè cum ipſo adunata ſit in cælis.

30 i. qui in ſatietate gaudiorum & amœnitatibus ad dexteram ſuam alit ſuos, ut paſtor optimus: Pſal. 23. 31 glorioſi adventus tui, quo revelabitur Eccleſia perfectè aſſumta in communionem tuam, & bonis tuis omnibus glorioſè perfruetur. 32 quæ tantiſper offuſa ſunt, dum Eccleſia verſatur in hoc mundo. 33 i. cura ut mihi adſit quàm velociſſime, neque à me latum unguem diſcedas. 34 i. Gilhad, quos fluvius Jarden à reliqua Judæa diſparat: ut 2. Schem. 2. 29. Horum autem montium potius quàm aliorum in Judæa meminit; quia ſumma in illis fuit præſtantia & commoditas venationis; quum nondum fuiſſet occupata Chanaah & domus ædificata in ſaltu Libani, quo tempore iſta à Schelomone conſcripta ſunt.

## Caput III.

*Eccleſia exponit ſtudium ſuum maximum prehendendi & obtinendi ſponſi: deinde quia de gloria ſponſi confirmata eſt, oſtendit ſibi honeſtius & utilius eſſe ut hic non detineat ſponſum, ſed conſcendentem in thalamum ſuum cæleſtem proſequatur.*

1 [1] IN cubili meo per noctes quæſivi eum
quem amat anima mea; quærens eum,
quum [2] non inveniſſem eum, *dixi*,
2 [3] Jam ſurgam, & obibo civitatem, per vicos
& per plateas quæram eum quem diligit
anima mea; ſed quærens eū [4] non inveni eum.
3 [5] Invenientibus me cuſtodibus [6] qui obeunt
civitatem *dixi*, *an* eum quem diligit anima
mea vidiſtis?
4 Paululùm præteriverā ab illis, quum inveni
eum quem diligit anima mea: prehendi
eum, [7] non ſitura eum uſque dum introduxero
eum in domum [8] matris meæ, & in conclave
genitricis meæ.
5 [9] Adjuro vos Jeroſolymitanæ, *emanete* cū
capreis, aut cum cervis agri: ne excitate neq;
expergefacite hunc amorē, uſq; dū voluerit.
6 [10] Quænam *eſt* illa a [11] quæ aſcenderet ex
deſerto, velut *ſuffumigata* b excitatis fumis;
ſuffumigata myrrha & thure, *præſtantiore* quā
omnis pulviſculus aromatarii?
7 [12] Ecce lectus ejus *præſtantior* eo qui *eſt*
Schelomoni, quem circumſtant ſexaginta potentes
è potentibus Jiſraelis.
8 Omnes c ſtringētes gladium, edocti bellum;
quiſque *accinctus* gladio ſuo ſuper femur
ſuum, à pavore ſingulis noctibus:
9 [13] Throno *quem* paravit ſibi rex Schelomo,
ex lignis Libani;
10 Cujus columbas fecit argenteas, cujus
ſtratum aureum, cujus ſtragula purpurea; cujus
d interiora *quaſi* pavimentata amore, [14] à
puellis e Jeroſolymitanis.
11 [15] Prodite, & ſpectate puellæ Tzijonis
regem Schelomonem; cum corona quam f
curavit ei mater ejus die ſponſaliorum ejus, &
die lætitiæ g animi ejus.

1 Hujus narrationis partes ſūt duæ: una eſt qua Eccleſia exponit ſuum ſtudium prehendendi Chriſtum atque poſſidendi, uſq; ad verſum 6. altera qua veluti ſe ipſam corrigens cupit prehendi ab ipſo & manere apud ipſum, inde ad finem uſque. Prioris autem ſumma eſt Eccleſiam interdiu, noctu, domi, foris, in urbe, in agro, ubivis deniq; flagrare deſiderio Chriſti, & in eo conquieſcere. 2 id eſt, non ſatis perciperem eum præſentem pro deſiderio meo: nā ad ſenſum noſtrum & eccleſiæ ipſius interdum videtur abeſſe Chriſtus, aut non adeſſe propè, etſi re ipſa eſt ſemper præſentiſſimus. 3 hæc omnia allegoricè humanitúſque dicta ſūt, pro eo quod eſt, quæram ex toto ſtudio & tota facultate mea. 4 ſatis ex ſententia animi mei, ut ſuprà verſ. 1. 5 continuatio allegoriæ, pro eo quod eſt: in quoſcumque incidiſſem, etiam præfectos cuſtodiæ publicæ, nō diſſimulabam, neque me pudebat Chriſti, ſed palam exponebam me ejus amore languentem eſſe, ut dixerat ſuprà 2. 5. 6 i. circitores, qui ſingulas excubias recognoſcunt de nocte. 7 q.d. & quidem prehendi eo animo ut divertat ad me, & permaneat mecū apud matrem meam (eſt autem hîc τὸ σχῆμα τῆς διηγήσεως, caſtimoniam Eccleſiæ honeſtate humana figurans, quod puella nihil fecit niſi matre conſcia) donec dies ille aſpiraverit de quo ſup. 2. 17. 8 vide infrà 7. 6. 9 propoſitio Eccleſiæ obtinēns ſponſi conſortiū, ne qua illi fiat moleſtia, ut ſup. 2. 7. 10 nimirū præter me? altera pars, qua Eccleſia veluti ſermonē corrigens quo uſa fuerat verſu 4. illuſtratis bonis ſponſi ſui dicit: quid? an facerem ut ille apud me diverteret, ac non ego potiùs laborarem ut conveniam in domū ipſius? cui omnia ſunt inſtructiſſima odoratiſſimaque, & thalamus ipſe longè glorioſior omni gloria Schelomonis. Quamobrem gloriā hāc Chriſti, & ipſius ſpiritualis thalami, ubi Eccleſia cōquieſcit cū Chriſto cōmendat allegoricè tum ab odore, hoc verſu; tū à ſecuritate, pretio, & ornatu, ſeq. a *Heb. aſcendens.* 11 i. certa fide extra ſe & ſupra totum mundum inaniſſimum pietatis efferretur ad Chriſtum, ſuavitate odorum ipſius & ornamentorum delectata? b *Heb. elationibus fumi.* 12 amplificatio dignitatis ineſt cubili Chriſti & Eccleſiæ, per comparationem cubilis Schelomonis, qua ſeipſam Eccleſia ad officium excitat. c *Heb. prehendentes.* 13 i. thalamo conjugali, vireate (ut dixit ſuprà 1. 16) atque ſe[d]e undi[que]: nam hoc propriè Hebraica voce deſignatur. d *Heb. medium pavimentatum.* 14 i. quæ omnia plumario opere & phrygionico acu pinxerunt Jeroſolymitanæ. e *Heb. Jeruſchalaimorum.* 15 i. obſervate & animadvertite, planè videbitis gloriam illam Schelomonis nihil eſſe ad ſponſi mei gloriam. f *Heb. coronavit.* g *Heb. cordis.*

## Caput IV.

*Chriſtus Eccleſiæ perfectionem laudat: & amore illius poſtquam exclamavit, celebrat ſuavitatem ſermonum, ornamentorum, fidei, officiorum, & fructuum ejus. Quamobrem Eccleſia agnoſcens quicquid boni habet, à Chriſto in ſe profectum eſſe, ampliùs ipſum celebrat, & ſibi adeſſe petit: quod Chriſtus ex parte annuit.*

1 [1] ECce pulchra es, amica me, ecce pulchra
es,[2] oculi tui columbini præ [3] crine tuo:
pilus tuus, [4] ut gregis caprarum [5] quæ detondent de monte Gilhadis.
2 Dentes tui ſimiles gregi [6] æquarum *pecudum*, quũ aſcendunt ex lavacro; [7] quæ omnes
[a] è gemelliparis *ſunt* in quib. [8] nulla eſt orba:
3 [9] Velut filum dibaphum labia tua, & ſermo tuus decens; [10] velut fragmen malo granati utrumq; temporum tuorum præ crine tuo.
4 [11] Simile turri Davidis collum tuum, ædificatæ ad [12] armaria; de qua millena ſcuta pẽdent, omnes umbones [13] potentum:
5 [14] Duo ubera tua ſimilia *ſunt* duobus hinnulis gemellis capreæ, [15] paſcentib. inter lilia.
6 Donec aſpiraverit [16] dies ille, & fugerint
iſtæ umbræ; [b] [17] ibo ad montem hunc myrrhæ & ad collem thuris.
7 [18] Tota pulchra, amica mea, & [19] vitium nullum *exſiſtit* in te.
8 [20] Mecum inde à Libano, [21] ô ſponſa, mecum inde à Libano venies; contemplaberis à vertice Amani, à vertice [22] Scheniris & Chermonis, è luſtris leonum, è montibus pardorum.
9 [23] Rapis animum meum, ſoror mea
ſponſa: rapis animum meum uno *aſpectu* oculorum tuorum, uno torque [c] à faucibus tuis.
10 Quàm pulchri *ſunt* amores tui, ſoror mea
ſponſa: quàm boni ſunt amores tui; [24] *præſtantiores* vino; & odor unguentorum tuorũ præſtantior omnibus aromatis:
11 [25] Favum ſtillant labia tua, ô ſponſa: mel
& lac ſubſunt linguę tuæ, & odor veſtium tuarum *eſt* velut odor Libani.
12 [26] Ut hortus clauſus *es*, ſoror. mea ſponſa:
ut [27] ſcaturigo clauſa, fons obſignatus.
13 [28] Propagines tuæ *ſunt* mali punicæ,
*tamquam* pomarii, cum fructu rerum pretioſarum; [29] cypri cum nardis,
14 Nardus & crocus, calamus odoratus, & cinnamomum, cum omnigenis arboribus [d] thuriferis; myrrha & [30] ſantali, cum omnibus [31] præſtantiſſimis aromatum.
15 [32] O FONS hortorum, putee aquarum [33] viventium; & fluẽtium ſuprà quàm Libani,
16 [34] Evigila Aquilo, & veni Auſter, [35] perfla
hortũ meum, [36] perfluant *aquæ* aromata ejus:

Caput V.

[37] veniat amicus meus in hortum ſuum, [38] ut comedat fructũ rerum pretioſarum ſuarum.
17 [39] INGRESSUS hortum meum, ſoror mea
ſponſa, [40] decerpo myrrham meam cum aromatibus meis, comedo favũ meum cũ melle meo, bibo vinum meũ cum lacte meo: comedite amici; bibite & inebriamini dilecti.

[1] Hoc toto capite continentur duo: unum eſt reſpõſum Chriſti Eccleſiam ſponſam ſuam celebrantis, uſq; ad verſum 15. alterum eſt oratio Eccleſiæ omnia bona ſua ferentis accepta Chriſto, & præſentiſſimam illius opẽ porrò implorãtis, cum reſponſione Chriſti, tribus verſibus ultimis. Chriſti autem reſpõſum cõtinet primum deſcriptionem ſingularem & allegoricam membrorum Eccleſiæ, uſque ad ṽ. 6. deinde verò Chriſtus amorẽ ſuum erga Eccleſiam & promiſſiones officiaque amoris explicat: poſtremò ad laudes Eccleſiæ revertitur, inde à ver. 9.

[2] deſcriptio ſingularis pulchritudinis, quam generatim Eccleſiæ ineſſe modò dixit, ab enumeratione partiũ: vide ſup. 1.15.

[3] i. crine tuo modeſtè & pudicè compoſito & reducto procul ab oculis, non autem projecto & laſcivè extuberante, quod impudicarum eſt. [4] i. comtiſſimus & nitidiſſimus; prout eſt in capris benè paſtis & curatis. [5] i. virgulta decerpunt loco ſibi opportuniſſimo. [6] dentium laus triplex ſignificatur: prima eſt, omnium inter ſe æqualitas; ſecunda nitor: tertia, perfectus & abſolutus numerus duobus ordinibus dentium inter ſe reſpondentibus. [7] i. tam ſimiles inter ſe & convenientes ſuperior dens quiſque cum inferiore ſuo, quàm ferè conveniis inter gemellos: quemadmodum etiam utitur infrà verſ. 5. in comparatione uberum. [a] *Heb. gemelliparatum.* [8] i. nullus dens deſideratur in ſuo ordine, ut quum gemelliparæ ovi cuique ſui adſunt agni. [9] pro eo quod eſt, labia ſunt tibi parva atque rubentia. [10] i. roſeo colore eſt vultus tuus inde à temporibus cum genis ſubjacentibus, quæ pari & convenienre rubore decoratæ ſunt: ſynecdoche. [11] i. collo es rectiſſimo, venuſtiſſimo, & rebus pretioſis inſtructiſſimo, ſicut eſt turris illa eminentiſſima Jeruſchalaimorum, quæ à Davide exſtructa fuit in clivo Miktzoah pro armamentario, ad atrium cuſtodiæ: vide Nechemjæ 3.19. & 25. [12] ubi appendebantur arma acuta, polita, atque comparata ad uſus neceſſarios: quod compoſitio vocis Hebrææ ſonat, & ſequentia verba interpretantur. [13] i. ducum imperium habentium in regis copias: ut 2. Schem. 23. & Nechemjæ 3.16. [14] i. ſunt ſimillima inter ſe & pleniſſima, quaſi hinnuli optimo loco paſti. Hæc autem omnia hactenus de venuſtate & elegantia Eccleſiæ dicta, universè denotant eam eſſe abſolutiſſimam & perfectiſſimam, ut concluditur verſ. 7. neque dubium eſt quin idem de omnibus membris inde ab uberibus uſque ad imos talos analogicè ſit intelligendum: prætereà non dubitamus, quin ut ſingulis membris Eccleſię ſuæ ſunt functiones, ita ſingularia hæc membrorum attributa ſigillatim accommodari poſſint: ſed non fuit conſilii noſtri in illis excutiendis minutatim operam conſumere, ne aut pauciora quàm debentur afferamus, aut plura ingrediamur quàm promiſimus.

[15] vide ſup. 2.16. [16] quo conſummabuntur nuptiæ: vide ſup. 2.17. Continentur autem his tribus verſibus promiſſiones Chriſti reſpondentes ad poſtulata Eccleſiæ, ſupr. 3. Pollicetur enim Chriſtus primùm præſentiam ſuam in Eccleſia quamdiu peregrinamur à domino: deinde illo tempore tranſacto pollicetur, ſe perducturum Eccleſiam in domum ſuam, verſ. 8. & 9. [b] *Hebr. ibo mihi: ut Gen. 11.33.* [17] i. Hieruſalem cæleſtem, in cælum, ubi jam recepti ſunt amici qui me colunt, & quorum officia mihi ſunt odoratiſſima.

[18] altera promiſſio ſanctificationis per ſpiritum hoc verſu: & vitæ æternæ, ſeq. [19] quaſi dicat, quum effecero ut ab omni peccato & labe peccati liberata ſummam tuam pulchritudinem perfectionémque conſequaris, & te hoc pacto ad beatum illum nuptiarum diem comparavero: tum demum te aſſumturus ſum. Jam enim ita es judicio meo, & tum beneficio meo ita futura es.

[20] i. totam te colligam, nemo peribit ex manibus meis: ſed ex omnibus tuis finibus, quamvis remotiſſimis recipiam te, & à periculoſiſſima fœdiſſimáque hujus mundi colluvie vindicabo. [21] hic primùm nomine iſto appellatur, ratione diei illius beatiſſimi qui nuptiis à ſponſo dictus eſt: quemadmodum etiam ſoror, ſeq. verſu, intimæ neceſſitudinis & germanitatis nomine.

[22] vide Deut. 3.9. Schenirem autem hîc propriè vocat Chermonis partem quam Emoræi obtinuerant.

[23] regreſſio pathetica ad laudes Eccleſiæ ſpecie hominis in amorem ſummum exardeſcentis: qua ſimul atque Chriſtus graviſſimis acclamationibus adumbravit amorem ſuum, duobus verſibus: figura è exponit ſuavitatem orationis, ornamentorum, fidei, officiorum, & fructuum ejus, uſque ad verſum 15.

[c] *Heb. à collulis tuis, ἀποκοινοῦ.*

[24] ut ſuprà Eccleſia prædicaverat de ſponſo 1.2.

[25] hoc eſt, melliſſima eſt oratio tua, & odor jucundiſſimus.

[26] i. optimâ fide caſtam conſervas te mihi, & tuos fructus integros: qui fructus allegoricè duobus ſequentibus verſib. exponuntur.

[27] i. conceptaculum ſalutaris illius doctrinæ, qua omnes mei agri ſive horti partes, areolæ & plantæ irrigantur: & quod nemini extero pervium eſt, quia nemo ingreditur illûc niſi per me.

[28] i. plantæ omnes tuę ſunt pretioſiſſimæ.

[29] vide ſup. 1.14.

[d] *Hebr. thuris.*

[30] ut Num. 24.7.

[31] vide Exod. 30. 23.

[32] altera pars capitis, qua Eccleſia modeſtiſſimè accipiens quæ ipſi attribuit Chriſtus ſup. verſ. 11. & ſeq. oſtendit ipſum omnis boni auctorem eſſe, & ampliùs benedici petit præſentia ejus. q. d. quid ergo, ô Chriſte! quo alio nomine ſignificare poſſim infinitos illos theſauros ſapientiæ & intelligẽtiæ plenitudinemque deitatis quæ in te habitat corporaliter? quod ſcaturiginem & fontem me vocas, agnoſco me fontis uſum præſtare meis: verùm tu ille es cui fontis, putei, aquarum peremnium, aëris, omnis denique vitæ & ſalutis nomen attribuendum eſt: imò verò tu fons ille es; ego tantùm rigo ex fonte tuo: tu puteus ex quo haurio, tu aqua peremnis, tu aër vivificus: ego cibum, potum, omnia denique de manu tua dono accipio: quamobrem peto ut porro implorauti fidem tuam adjumento ſis præſentia tua. [33] i. peremnium & abundantiſſimarum: quibus verbis figuratur infinita omnibus numeris beneficentia Chriſti. [34] i. tu, qui aëris uſum præſtas ad fœcundandum hortum tuum, & veluti ventorum percuſſu aërem perpurgas, tempeſtateſque ſerenas & pluvioſas efficis pro commoditate horti tui. [35] i. quaſi perflando effice quod mihi ex uſu eſſe videtis; petitio accommodata ad poſteriorem comparationem, ventorum cum Chriſto, per ὑστέρωσιν. [36] nimirum aquæ illæ viventes tui fontis & putei, de quo verſ. 15. petitio reſpiciens ad priorem comparationem: utraque autem proximis verbis nude explicatur. [37] i. accedat & habitet in me, ut promiſerat Chriſtus ſuprà verſ 6. [38] i. ut cum ſponſa ſua convivetur, quod illa deſideraverat ſup. 34. nam hîc quoque, ut in cælis, hortus tuus eſt, ait illa. [39] excuſatio ſponſi, cur non ſtatim & omnino votis Eccleſiæ reſpondeat, nimirum quod adhuc ipſi tempus eſt reſidendi in cælis cum myriadibus angelorum & ſpiritibus juſtorum conſecratorum, donec advenerit juſtus nuptiarum dies. [40] i. comparo ſanctis locum, & tranſeuntes ad me excipio amantiſſimè in cæleſti gloria. Hunc autem verſum ad ſuperiora pertinere res ipſa loquitur.

## Caput V.

*Eccleſia, Chriſti a ſe diſceſſum ſuis peccatis acceptum ferens, offenſionem ſuam narrat & pœnas meritas: opem piorũ implorat ad ſtudium ſuum erga ipſum communi opera exponendum: ſponſum deſcribit & locum quò recepit ſe, ac ſeipſam in fide confirmat.*

1 [1] EGo [2] dormivi, licèt animo meo vigilan-
te; quum voci dilecti mei pulſantis, [3] aperi mihi ſoror mea, amica mea, colũba mea, integra mea; nam [4] caput meum oppletũ eſt rore, capilli mei aſperſionibus [a] nocturnis;
2 [5] *Reſpondi*, exui tunicam meam, quomodo induerem eam? lavi pedes meos, quomodo inquinarem eos?

[1] Hujus capitis quod dramaticum eſt; ſummæ partes ſunt duæ: una eſt, lamentatio Eccleſiæ ſe ipſam incuſantis de officio non ſatis diligenter convenientérq; in ſponſum præſtito, uſque ad verſ. 7. altera eſt confabulatio ſponſæ cum puellis amicis ſuis: quibus conſulentibus Eccleſiæ reſpondet de conditione ſponſi ſui, habitatione, & mutua inter ipſos communicatione, inde ad finem uſque. [2] i. torpebam ſanè velut ſomno oppreſſa fide, minimè verò exſtincta. Continet autem hæc narratio primum confeſſionem delicti, quatuor verſibus: deinde calamitatum quæ ex delicto evenerunt, duobus ſeq. [3] ſermo Chriſti ad Eccleſiam accedentis, cujus commemoratione Eccleſia amplificat indignitatem facti ſui: tam blandè (inquit) compellavit me, tam gratioſè, tam honorificè, denique tam ſollicitè, quam ſi ſua res, ac non potiùs mea ageretur. [4] i. nullum malum aut incommodum defugi, quin ſuſceperim propter te.

[a] *Heb. noctis.*

[5] id eſt, diſceptavi cum animo meo, titubavi fide, & præpedita infirmitate mea ita ſum cunctata, quaſi non potuiſſem ſine frigoris damno, aut ſordium incommodo aperire fores; denique ſtulta pluris feci tam exiguum incommodum in fungendo officio meo, quàm tot mala & incommoda, quæ ſponſus propter me voluntariè ſuſceperat.

3 [6] Dile-

3 [6] Dilectus meus demiſerat manum ſuam
[7] à foramine, quum [8] viſceribus meis fremen-
tibus *b* in me,
4 Surrexi ego ad aperiendum dilecto meo,
[9] & manus meæ ſtillârunt *c* myrrhinum, digi-
tique mei myrrhinum liquidum [10] in manu-
briis ſeræ.
5 [11] Aperui ego dilecto meo, ſed dilectus
meus ſubducens ſe præterierat: exanimata ſum
propter *d* colloquium ejus; quæſivi eum ſed
non inveni eum; inclamavi eum, ſed non reſ-
pondit mihi.
6 [12] Invenientes me cuſtodes qui obeunt
civitatem, percuſſerunt me, vulnerârunt me;
abſtulerunt carbaſum meum à me cuſtodes
murorum.
7 [13] Adjuro vos *e* Jeroſolymitanæ; ſi inve-
niatis dilectum meum, [14] quid indicaretis ei?
ægram amore me eſſe.
8 [15] QUID *eſt* dilecto tuo præ *alio* dilecto,
ô pulcherrima *f* fœminarum? quid *eſt* dilecto
tuo præ *alio* dilecto, quòd ita adjuras nos?
9 [16] DILECTUS meus *g* candore & rubore,
[17] vexillarius eſt è myriade.
10 Caput ejus inſigne aurum, purgatiſſi-
mum; capilli ejus criſpis diſcriminibus nigri
ut corvus:
11 Oculi ejus ut [19] columbarum, [20] juxta
alveos aquarum; [21] loti in ipſo lacte, [22] ſiti inſi-
tione:
12 Genæ ejus [23] ſimiles areolæ *h* aromati-
cæ, adultis plantis *i* unguentariis; labia ejus [24]
liliis, ſtillantia *k* myrrhinum liquidum.
13 [25] Manibus ejus *inſunt* orbes aurei inſiti
beryllo thalaſſio: [26] *eſt* viſceribus ejus nitor
eboris tecti ſapphiris.
14 Crura ejus *ſunt* columnæ marmoreæ in-
nixæ [27] ſtylobatis auri purgatiſſimi; aſpectus
ejus ut Libanicarum, lectiſſimus ut cedrorum
illius.
15 [28] Palatum ejus *l* dulciſſimum *eſt*, deni-
que [29] totus *eſt m* deſideratiſſimus; hic eſt dile-
ctus meus, & hic amicus meus, ô Jeroſolymi-
tanæ.
16 [30] Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherri-
ma fœminarum? quò ſe vertit dilectus tuus,
ut quæramus eum tecum?

CAPUT VI.

17 DILECTUS meus *n* [31] deſcendens *abiit*
[32] in hortum ſuum, ad areolas *o* aromaticas, [33]
ut paſcat in hortis, colligatque lilia.

6 i. hoc reſponſo audito deſiſtebat, & recipiebat ſe: humanitùs dicta.
7 nimirum ſeræ, quo aperiuntur fores.
8 i. pœnitentia adducta, & reſipiſcens cum animo meo.
b vel, de eo.
9 ſecundus locus pertinens ad amplificandam indignitatem, nimirum quod Chriſtus foribus veſtigia odorata adventus ſui nihilominus impreſſit, ut excitaret & afficeret ſegnem Eccleſiam. q.d. ita perfudit fores meas copioſè benedictione ſua & odore Evangelii, ut illarum ipſarum tactu perfunderet & revocaret ad cogitationé indigni facinoris mei.
c Hebr. myrrham & digiti mei myrrham tranſeuntem: metonymia.
10 id eſt, quòd ſponſus eò inſuderat ſua injecta manu.
11 explicatio malorum quæ ſegneſcenti eccleſiæ comparata ſunt: quorum primũ eſt quod ſponſus ſe ad tempus ſubducit; ſecundum, quòd Eccleſia veluti exanimatur propter culpam ſuã diſcedente ſponſo, nec ſtatim ſe iterum exhibente, hoc verſu; tertium, quòd eo abſente multa mala Eccleſiæ laboranti obveniunt. ſeq. ver.
d Heb. loqui.
12 i. omnes infeſti fuerunt mihi, etiam illi à quibus fueram cuſtodienda; ut ſupr. 3. 3.
13 altera pars capitis, dialogiſmᵒ Eccleſiæ cum puellis amicis ſuis, ut ſup. 2. 7. qua poſtquam confeſſa eſt Eccleſia ardentiſſimum amorem ſuum, occaſionem capiunt puellæ rogandi Eccleſiam primùm de ſponſo, verſ. 8. & ſeq. reſpondetur, deinde verò de loco, verſ. 6. ad quæ ſigillatim Eccleſia reſpondet. e *Heb. filiæ Jeruſchalaimorum: ſic infr. verſ. 14.* 14 q.d. neque ego vos celo amorem meum, neq; à vobis celari peto, ſed potiùs liberè exponi à vobis, & renunciari dilecto meo. 15 prior quæſtio, quid ſit in ſponſo ſingulare quod tanti faciat Eccleſia. f *Heb. inter fœminas.* 16 deſcriptio ſponſi allegorica, qui primùm à vivo colore deſcribitur, hoc verſu; deinde à ſingulari membrorum enumeratione. g *Heb. candido & rubente colore.* 17 i. præ omnibus nativo ſucco, & colore temperatiſſimo ac conveniente inſtructus eſt, quæ ſunt indicia firmiſſimæ valetudinis: metaphora à re militari. 18 pretioſiſſimum & ſplendidiſſimum. 19 ut ſuprà 1. 15. 20 id eſt, columbarum lautiſſimarum: periphraſis. 21 i. quorum album eſt lacteum, & nitens albedine. 22 id eſt, tam convenientes, & apti ſuis foraminibus; ut inſitivæ gemmæ in annulorum palis. 23 i. florentes barba convenientiſſima & odoratiſſima. h *Heb. aromatis.* i *Heb. unguentorum.*
24 i. odoratiſſima, & tam decorè eminentia quàm liliorum labra.
k *Hebr. myrrham tranſeuntem: ut ſupr. verſ. 4.* 25 inſunt ei omnia pretioſiſſima & ſplendidiſſima. 26 hoc eſt, pectus ejus, adeóque corpus totum cultum eſt pretioſiſſimè & convenientiſſimè: metonymia. 27 i. pedibus, qui ſtylobatarum uſum tibiis exhibent, calceatis pretioſiſſimè. 28 i. ſermo; metonymicè.
l *Heb. dulcedinis.* 29 ut Pſal. 45. 3. m *Heb. deſiderabilia.* 30 ſecunda quæſtio puellarum, ut diximus in verſ. 7.
31 *Heb. deſcendit.*
n figurata eſt loquutio genere eclipſeos ſynecdochico quod frequentari in ſcripturis ſæpè monuimus. Utitur autem hoc genere loquendi ſponſa, rationem habens puellarum quibuſcum agebat; quia omni ex parte declivia erant Jeruſchalaimæ: itaque ad hortos ſuos venientes oportebat deſcendere.
32 de quo ſup. 4. 6. & 17.
o *Heb. aromatis.*
33 i. convivetur, quod dixerat ſup. 4. 17.

18 [34] Ego ſum dilecti mei, & dilectus meus
meus *eſt*, qui paſcit in liliis.

34 concluſio epiphonematica totius ſermonis ad puellas, ſimilis ei quæ habetur ſup. 2. 16. qua profitetur Eccleſia ſe, quicquid accidat aut dicatur, ſtudio conſtante eſſe erga ſponſum ſuum, & de illius erga ſe ſtudio magis ac magis confirmari; atque hoc pacto alii & accendit deſiderium ſuum. Hos autem treis poſtremos verſus, quia cum ſuperiore argumento & nihil cum ſequentibus commune habent, in hoc caput retulimus.

## CAPUT VI.

*Chriſtus perhibens ſtudio Eccleſiæ ſuæ teſtimonium, prædicat pulcritudinem ſpiritualem ejus: deſiderium nuptiarum quo tenetur explicat; eamq; confirmat vocatione, bonorum quæ ipſi credidit celebratione, ac promiſſione præſentiæ & beneficentiæ ſuæ uſq; ad optatiſſimum nuptiarum diem.*

1 [1] PUlchra es, amica mea, [2] ut Thirtza; de-
cora [3] ut Jeruſchalaima: [4] terrifica, ut ve-
xillationes.
2 [5] Adverte oculos tuos ex adverſo mei, [6]
ut illi efferant me: [7] pilus tuus *eſt* ut gregis ca-
prarum, quæ detondet è Gilhade.
3 ‖ Dentes tui ſimiles gregi ovium, quum
aſcendunt è lavacro; quæ omnes *ſunt* è gemel-
liparis, in quibus nulla orba *eſt*:
4 Velut fragmen malogranati utrumque
temporum tuorum *eſt*, præ crine tuo.
5 [8] Ut ſexaginta *ſint* reginæ & octoginta
concubinæ, *a* puellæque innumeræ;
6 [9] Unicam illam columbam meam, inte-
gram meam, unicam illam [10] apud matrem
ſuam, puram illam apud genetricem ſuam; ſi-
mulac viderint puellæ, beatam prædicabunt,
reginæ & concubinæ laudabunt eam *dicen-
tes*:
7 [11] Quæ *eſt* illa ſpectata velut aurora; pul-
chra ut luna, *b* pura ut ſol, terrifica ut vexilla-
tiones?
8 [12] Ad hortos *c* putatos deſcenderam ad
inſpiciendum virentes plantas vallis; ad inſpi-
ciendum [13] an floreſceret vitis, germinarent
mali punicæ.
9 [14] Nondum percipientem [15] hæc, ani-
mus meus [16] impoſuit me curribus populi mei
ingenui, *ut dicerem*,

1 Hujus capitis (quo anxiam ac velut diſcurſantem Eccleſiam confirmat ſponſus) tres ſunt præcipuè partes prima eſt, qua ſponſus laborantem & ingemiſcentem de culpa ſua ſponſam conſolatur; & confirmat ſibi tam acceptam eſſe quam ante unquam fuerit: uſque ad verſ. 8. ſecunda eſt, qua ſponſus narrat deſideriũ ſuum de conficiendis nuptiis, verſ. 8. tertia, qua animum ſuum ſtudiumque erga Eccleſiam exponit, donec advenerit nuptiarum dies, à verſ. 9. ad finem uſque. Quod autem dicit, pulchra es, ita accipiendum eſt: ne exiſtimes, ô ſponſa, excidiſſe decorem illum tuum, aut me ab amicitia tua defeciſſe propter præcedens in commodum: non ſum ita faſtidioſus, ut iſtius nævi nomine te deformatam judicem: eum tu jam ſatis abluiſti lacrymis & reſipiſcentia tua: quamobrem quod dixeram ſup. 4. 1. & ſequentibus, idem etiam nunc confirmo, ſpeciem tuam mihi eſſe acceptiſſimam. 2 opidum amœniſſimum in finibus Jiſraelitarum ad Euphratem ſitum, ubi propterea diſrupto regno Jarobham conſtituit regiam, ut legitur 1. Reg. 14. 17. 3 olim longè clariſſima urbium orientis, ut ait Plin. lib 5. cap. 14. 4 i. inexpugnabilis virtute & fide, ut infr. verſ. 7. 5 confirmantis & erigentis verba. q.d. jubeo te bono animo eſſe, & fide certa ad me reſpicere. Hæc autem verba ita accipimus, quia vox Hebræa communem avertendi & advertendi ſignificationem habet: hæc autem ex ṽ. 16. comprobatur. 6 i. ut conſolationem & gloriam percipiam ex fide tua: nam Chriſtus ex dolore Eccleſiæ contriſtatur, lætitia verò pariter afficitur.
7 i. conſtans eſt pulcritudo tua, de qua ſup. 4. neque ulla infirmitate tua poteſt emarceſcere, quia poſita eſt tota in gratia & virtute mea. ‖ *Supra 4. 2.*
8 amplificatio pulcritudinis Eccleſiæ per hypotheſin ampliſſimam: etiamſi multæ reginæ, concubinæque & innumerus comitatus eſſet: non tantùm non adæquarent te, ſed etiam ipſæ ultrò palmam tibi cederent, tribus verſibus.
a *Hebr. puellarum non ſit numerus.* 9 electam ex omnibus populis, & mihi chariſſimam. 10 i. quædam adhuc in terra hæret, nec dum convenit in domum ſponſi ſui, omnino adhæret matri ſuæ, Jeruſalem cæleſti: atque hoc pacto circumfulget tanta gloria, ut apud mundum ſit in admiratione propter dona & præſtantiam ſpiritualem ſuam: ut Deuteron. 4. 6. vide infr. 7. 6.
11 confeſſio amplitudinis quæ eſt in Eccleſia, per gradationem elegantiſſimam.
b *vel, electa.* 12 ſecunda pars, qua ſponſus Eccleſiam conſolans oſtendit ſe non faſtidio aut indignatione diſceſſiſſe, ſed potiùs ingẽti ſtudio quo tenebatur perficiendi ſanctiſſimas illas nuptias profectum eſſe, ut de tempore illarum cognoſceret. Quod autem hortum putatum hoc loco reddimus, eò adducimur ipſius Hebræi nominis notatione, & ſequentium verborum convenientia: nam nucem quidem interpretantur Hebræi, quia non invenitur alibi, ne quid non dicerent; ſed nulla fuit cauſa cur hortus nucum potiùs quam pomorum diceretur, & hoc pacto à nativa radicis ſignificatione diſcederent.
c *Hebr. putationis vel torſionis: quia ineunte vere purgantur, colluc antur, & aptantur pomaria ad commoditatem fructuum.*
13 id eſt, adventaret tempus indictum nuptiis, cujus hæc fuerunt indicia: ut oſtẽdit ſponſa infrà 7. 3. quam eamdem rationem ſervavit Chriſtus Matthæi 24. 32. 14 tertia pars, qua exponit ſponſus quid conſilii ceperit, poſtquam animadvertit nondum adveniſſe tempus illud ſperatum nuptiarum.
15 nimirum floreſcere vitem, germinare malum punicum, & tempus adventare. 16 id eſt, fecit ut quàm celerrimè conſilium caperem recurrendi ad te cum amicis & comitatu meo, qui populus ingenuus eſt & voluntarius: ut Pſalm. 110. 3.

10 [17] Revertere, revertere, ô *d* Schulammi-
tis; revertere, revertere, [18] ut ſpectemus te: [19]
Quid ſpectatis in illa Schulammitide? [20] velut
chorum Machanajimorum.

## Caput VII.

11 [21] O quàm pulchri ſunt pedes tui cum i-
ſtis calceis, [22] filia ingenui: [23] ambitus femo-
rum tuorum *ſunt* velut monilia, opus manu-
um artificis:
12 Umbilicus tuus *velut* crater rotundiſſi-
mus; [24] ne deficiat illius mixtio: *ſed* venter
tuus *ſit* [25] *ut* acervus tritici ſepitus liliis.
13 ‖ Duo ubera tua ſimilia *ſunt* duobus hin-
nulis, gemellis capreæ:
14 Collum tuum ſimile turri [26] eburneæ:
oculi tui [27] piſcinis *e* artificioſiſſimis ad por-
tam *f* frequentiſſimam, naſus tuus ſimilis [28]
turri Libani ſpectanti *g* verſus Damaſcum.
15 [29] *Quod in* capite tuo impoſitum eſt tibi,
ſimile *eſt* coccineo, & vitta capitis tui ſimilis
eſt purpuræ: [30] Rex alligaretur ſuis ambulacris:
16 [31] Quàm pulchra es & quàm amœna, ô a-
mor, in deliciis iſtis.
17 [32] Illa ſtatura tua ſimilis *eſt* palmæ; & [33]
ubera tua botris.
18 [34] Dico, [35] conſcendam palmam, prehen-
dam palmites ejus: [36] eruntque jam ubera tua
ſicut botri vitis, & odor naſi tui ſicut poma;
19 Palatumque tuum [37] ut vinum *odoris* o-
ptimi, *h* movens ſe amantiſſimè rectiſſimeq́;
[38] efficiens ut loquantur labia dormientium.

[17] hic ſermo Chriſti ad Eccleſiam tria cõplectitur; primũ vocationem Eccleſiæ, hoc verſ. deinde deſcriptionem formæ & elegantiæ, inde ad 18 poſtremo promiſſionem de præſtandis officiis erga amicam, donec nuptiæ conſummentur, duobus ultimis. Vocatio autem hîc repræſentatur ſpecie hominis è longinquo contendentis voce, quàm poteſt maxime, ut errantem revocet verbo.
d *id eſt, reddita perfectiſſima, ex conſilio Dei, & vocatione.*
[18] ego & amici, ſuperiore verſ.
[19] apoſtrophe ad amicos; quos interrogando excitat ſponſus, ut amplitudinis gloriæ, quæ in Eccleſia eſt, ſpectatores ſint & teſtes.
[20] ſubjectio, ſive amicorum ad ſponſum, ſive (quod magis probamus) ipſius ſponſi ad quæſtionem ſuam. videtis, inquit, quàm glorioſa & quàm ſpectato fortique comitatu ſtipata ſit Eccleſia. Planè quum hanc turbam occurſantem mihi conſpicio; videre mihi videor lætum illum diem, quo Iſraelitæ revertentes ad Davidem maximo gaudio & lætitiæ omnium exceperunt eum Machanajimis, & gratioſè ab eo excepti ſunt: vide hiſtoriam, 2. Schem. 9. Poteſt quidem Hebraica vox reddi appellativè: verùm hoc cum Schelomonis ſcopo & ſuperioribus exemplis convenientius eſſe judicamus. [21] gratulatio ſponſi ad ſponſam propiùs accedentem, continens deſcriptionem illius ab imo ad ſummum, uſque ad verſ. 16. 22 i. puella nobiliſſima & generoſiſſima. 23 periphraſis cinguli, quod ſponſæ geſtare ſolent, quàm maximè pretioſum. 24 pathetica amantis exclamatio, accommodata ſimilitudini crateris: quaſi dicat, utinam nunquam macreſcas, vel exhauriaris.
25 i. fructuoſiſſimus ſit pariter, & odoratiſſimus. ‖ *ſup* 4.5. 26 i albiſſimæ & nitidiſſimæ. 27 i. lucidiſſimis atque clariſſimis; ut ſunt piſcinæ Jeroſolymitanæ, quæ omnes ſecundùm portam gregis factæ ſunt. Dicitur autem porta gregis frequentiſſima quia illa una ſimul aditum patefaciebat ad tria Jeruſchalaimorum opida, & ad templum ipſum domumque Davidis, in eáque habebatur forum maximum, ut obſervatum eſt Nechemiæ 3.1.
e *Hebr. cum artificio* factis. f *Heb. filiam multorum.* 28 ædificatæ in domo ſaltus Libani, de qua 1. Reg 7.2. g *Heb. faciem Damaſci.* 29 i. mitra tua, ejuſque redimicula. [30] quaſi dicat, nullus eſt rex tanta gloria præditus, qui aſpectu tuæ iſtius gloriæ expleri poſſet; ſed confixus & ſtupens ad aſpectum ejus perpetuo videndi tui deſiderio tamquam vinctus teneretur, tanti gloriam tuam præ ſua & totius mundi gloria faceret. [31] regreſſio ad exclamationem patheticam verſus undecimi, concludens ſummam eſſe pulcritudinem ſponſæ, ex ſuperiore enumeratione partium: & tu (inquit) pulcra es, & ornamenta tua.
[32] i. corpore es valentiſſimo atque rectiſſimo. [33] quaſi dicat, mammas geris venuſtiſſimas atque firmiſſimas, ut ſunt botri denſis acinis. [34] tertius locus ſermonis Chriſti, ut diximus ℣. 10. continens tum promiſſionem officiorum quę Chriſtus Eccleſiæ intereà exhibiturus eſt, tum effectorum quæ ipſe Chriſtus ex Eccleſia percepturus. Eſt autem noëma in hoc verbo, pro eo quod eſt, promitto tibi, & quod promitto, perficiam. [35] i. verſabor tecum, purgabo te, & ſingulares fructus recognoſcam ac percipiam ex te; quemadmodum in palmis curantur palmites, qui ex ramis palmarum prodeuntes, flores germináque ad fructum proferunt de palmis, earumque palmitibus vide Plin. lib. 13. cap. 4.
[36] altera pars promiſſionis de effectis præſentiæ benignitatis Chriſti erga Eccleſiam ſuam: hac mea præſentia, inquit, jam jam futurum eſt ut vegeta ſis tota, odora, grata, & omnibus qui ad te accedent ſalutaris facundiâ tuâ: quæ omnia humanitùs uberibus, vultui, & palato certis comparationibus tribuuntur.
[37] id eſt, odoratiſſimum, ſuaviſſimum, & ſopitos ſenſus excitans pura adminiſtratione verbi
h *Heb. iam ad amores, ad rectitudines: ut Prov. 23. 31. Eſt autem prius nomen amorum euphoniæ cauſa truncatum, poſtrema litera per apocopen: ut 2. Reg. 11. 19. & Pſal. 144. 2. & infr. 7. 6.*
[38] hyperbolica loquutio, ſi ſpectes ſimilitudinem: ſed tamen veriſſima, ſi prædicationem Evangelii (quod eſt verbum vitæ & incorruptum ſalutis ſemen) conſiderabimus.

## Cap. VII.

*Eccleſia audito ſponſi erga ſe ſtudio, ſe committit ei: quærit ſigna futurarum nuptiarum, earumque diem exoptat: amicas officij admonet: ardẽtiſſimum ſuum amorem in ſponſum exponit, & ab illo in perpetuum redamari petit.*

1 [1] EGo dilecti mei *ſum*, [2] quandoquidem
erga me *eſt* appetitus ejus.
2 [3] Age, dilecte mi, [4] prodeamus rus; [5] per-
noctemus [6] ad cypros:
3 *a* Surgentes matutino adeamus vineas,
videamus an floreat vitis, an aperiat ſe prima
uva, germinent mali punicæ: [7] ubi datura ſum
amores meos tibi.
4 [8] Amabiles iſtos flores edentes odorem,
& [9] ſecundùm oſtia noſtra omnes pretioſos
fructus, recentes ſimul ac veteres; dilecte mi,
repono tibi.

## Caput VIII.

5 [10] O *ſi* quis daret te [11] ut fratrem *eſſe* mihi,
ſugentẽ ubera matris meæ: inveniens te foris
oſcularer te, *b* [12] etiam non contemnerer ego.
6 [13] Deducerem te, introducerem te in do-
mum [14] matris meæ, [15] quæ docet me: [16] bi-
bendum darem tibi de vino aromatite, de
ſucco malogranatorum.
7 [17] Siniſtra ejus ſub capite meo, & dextera
ejus amplexante me,
8 Adjuro vos *c* Jeroſolymitanæ, quid ex-
citaretis, aut quid expergefaceretis hunc a-
morem, uſque dum voluerit?
9 [18] Quæ *eſt* illa quæ [19] aſcendat ex ipſo de-
ſerto aſſociatura ſe dilecto ſuo? [20] ſub ipſa ma-
lo expergefacio te, ubi enixa eſt te [21] mater
tua, ubi enixa eſt *quæ* peperit te.
10 [22] Impone me ut ſigillum *d* animo tuo,
ut ſigillum brachio tuo, nam fortis *ſi* ut mors
amor, [23] durus ut ſepulcrum zelus: prunę ejus

[1] Eccleſia in his duobus capitib. pro facultate ſua Chriſto par pari referẽs, ſtudium ſuũ flagrãtiſſimum explicat erga optatiſſimum illum nuptiarũ diem. Quamobrẽ hoc capite continentur duo: primum enim Eccleſia univerſè animum ſuum erga ſponſum explicat, verſ. 1. deinde (quia hujus Eccleſiæ ſubjacentis Chriſto membra ſunt duo: plenitudinis Judæorum, & plenitudinis gentiũ omnium) exponit vetus Eccleſia ſe jam tum fuiſſe in maxima exſpectatione ſponſi, & officia ſua exhibere, ad finem uſq; capitis: de altera autẽ quæ poſita eſt in plenitudine omnium gẽtium agetur ſeq. cap.
[2] i quandoquidem tantum eſt ſtudium dilecti mei erga me ut, me averſantem dilexerit prior, aberrantem revocaverit, offendenti condonaverit certatimque ſua beneficia in me contulerit, ſe denique ipſum mihi tradiderit, quod ſuperiore capite oſtendit; non poſſum non eſſe illius. Hæc verba totius Eccleſiæ adjungentis ſe Chriſto capiti ſuo. [3] his verbis Eccleſia vetus (quæ jam tum florebat Schelomonis temporibus) per apoſtrophen ſponſum ſuum invitat, primùm ad obſervandum communi ſtudio tempus venturum connubii duobus verſibus: quia hæc ſemper fuit certiſſima piorum nota, ut multis locis exponit Apoſtolus: deinde bona ſua omnia addicit ſponſo, verſ 4 ac poſtremo ſe ipſam præ gravitate amoris ſui, inde ad finem uſque. [4] q. d. noli, quæſo, ſolus & ſeorſim à me ſtudium in cognoſcendo optato illo tempore conſumere, ut ſuprà dixiſti 6. 8. ſed communem operam eò conferamus, cùm æquè ſtudioſa ſim matrimonii iſtius conſequendi. [5] q. d. nolo ampliùs imparata offendi, ut ſupr. 5; tædet me & pudet oſcitationis meæ: meum eſt vigilare tecum, & noctes æquè ac dies obſervare ſigna glorioſi adventus tui. [6] cogniturі videlicet an floreant, ut ſequens verſu vide ſuprà 6. 8. [a] *Hebr. ſurgamus ad vineas.* [7] i. quo tempore & quibus ſignis certiſſimè percipietur inſtare nuptiarum diem quo perfecto amore perfectè adunabimur Chriſto. [8] ſecunda pars orationis ſponſæ qua ſua omnia adducit Chriſto; & nominatim oſtendit ſe interea temporis omnia munera, flores, odoramenta, ſertaque coronaria comparare in nuptiarum diem.
[9] i. etiam ea quibus veſtibula domorum & aditus inſterni ſolent diebus nuptialibus. [10] tertia pars, in qua primum optatum ſuum exponit Eccleſia, duobus verſibus; deinde ſocias admonet ne ſibi cum ſponſo verſanti impedimento ſint, verſ. 7. & 8. poſtremo vehementiam ſui amoris oſtendit cum petitione.
[11] i germanum mihi eſſe atque domeſticum ut jam jam tuo amplexu & colloquio frui poſſem quàm familiariſſimè. b *Heb etiam non contemnerent me.*
[12] i. libera eſſem tot ludificationibus & contumeliis, quibus tantiſper impii me exagitant dum dies ille advenerit [13] i. his ipſe dies nuptiarum eſſet: periphraſis. [14] i. univerſalis Eccleſiæ, quæ tota aſſurgens in corpus unum, ut virgo caſta, ſiſte ut Domino glorioſa, Epheſ. 5. 27. Hoc autem ut meliùs intelligatur, ita habendum eſt: Hebræi unum aliquod totum appellant patrem vel matrem, partes verò nominant filios vel filias. Eccleſia autem in ſcriptura utroque modo conſideranda eſt: nimirum aut univerſè, aut ex parte. Univerſalis autem Eccleſia ſimiliter conſideratur duobus modis: nam modò continetur Eccleſiæ nomine Chriſtus cum electis ſuis omnibus, quæ proptereà mater quoque ſponſi appellatur verſ. 9. & Eccleſia ſoror, ſup. 4. 9. & inf. 8. 1. modò electi tantum, ut hoc loco, ſup 3. 4. & 6 6. & aliis conſimilibus. Atque hæc eadem diſtinctio in novo quoque Teſtamento ſervatur, ubi Eccleſia cum capite ſuo ferè appellatur Chriſtus, 1. Cor. 12. 12. & Epheſ. 3. 4 id eſt, Chriſtus, ut patres dixerunt, myſticus: ſeorſim verò à Chriſto, appellatur Eccleſia Chriſti aut corpus ipſius. Ex parte verò quoties conſideratur Eccleſia, aut temporibus diſtinguitur, aut locis: à temporibus ſumma diſtinctio eſt, ut altera dicatur, vetus ante adventum Chriſti; altera nova, ex quo Chriſtus disjecta maceria effecito utle unum. Utraque autem Chriſti ſoror eſt, velut ejuſdem matris filia ex electione Dei. [15] i. inſtituit & informat in omni pietate, officioq; maximè erga te. [16] i. exciperem te hilariſſimè: metaphora à convivio. [17] apoſtrophe ad ſocias, qua informantur quàm religioſè cavere ſibi debeant ab omni offenſione ſponſi, ut ſup 3. 5. c *Heb filia Jeruſchalaimorum.* [18] expoſitio ſummi amoris quo Eccleſia proſequitur ſponſum, per comparationem: an fuit (inquit illa) unquam ſponſa, quæ tantos labores perferret, tantaque pericula ſuſciperet ad conſequendum dilectum ſuum? Hæc igitur ſunt illa pignora meæ voluntatis erga te, quò i fide ſuperavi omnes difficultates, ut pervenirem uſque in domicilium tuum cæleſte, de quo Heb. 12. 12.
[19] i. veterem hominem deponat, abnegans ſe & mundum ipſum totum, qui deſertum & ſolitudo in ſcriptura dicitur, ut Jeſch. 40. 3. [20] i. in ipſa Jeruſalem cæleſti, ac velut in cunis & cubili tuo. [21] vide ſuprà in verſ. 6.
[22] petitio patheticè interjecta illi expoſitioni amoris quæ cœpta eſt ſuperiore verſ. q. d Eccleſia, viciſſim ferto me in animo tuo, in oculis, in manibus &c. ut monilia pectori, & annuli digitis apponuntur. d *Hebr. cordi.* [23] vehementiſſimus, invictiſſimus, & ardentiſſimus; ut ſequentis verſ. comparationes oſtendunt.

prunæ

prunæ ſunt ignis, [24] *e* flammæ*que* divinæ.
11 [25] Aquæ multæ non poſſent exſtinguere
hunc amorem, ne flumina quidem inunda-
rent eum; ſi daret quis totam ſubſtantiam do-
mus ſuæ pro hoc amore, *f* planè contemne-
retur.

[24] i. maximæ, quam Deus potentiſſima ſua luce ſpiritus in perpetuum duraturam accendit.
e Heb. *flamma Jah.*
[25] i. adeò firmus eſt amor, ut neque vi ulla, neque fraude & promiſſionibus expugnari poſſit.
f Heb. *contemnendo contemnerent illam.*

## Caput VIII.

*Eccleſia vetus delibera de vocatione gentium, & partem lætitiæ ſuæ collocat in cooptatione ejus: Chriſtus ſuum ſtudium erga Eccleſiam exponit & prædicari ab ea cupit: hæc viciſſim præſentiam & opem illius implorat.*

1 [1] SOror [2] nobis *eſt*; [3] parva, cui nondum
*ſunt* ubera: [4] quid faciemus ſorori no-
ſtræ die quo ſermo fiet de ea?
2 [6] Quum murus fuerit *ædificandus*, ædi-
ficabimus in eo [7] palatium argenteum: quum
autem janua erit *munienda*, circummunie-
mus eam tabulato cedrino.
3 [8] Me exſiſtente *velut* muro, & uberibus
meis velut turribus; tunc fuero in oculis ejus
[9] propè conſequuta pacem.
4 [10] Vinea eſt Schelomoni in *a* loco fe-
race: locat vineam ſuam cuſtodibus, quiſque
affert pro fructu ejus [11] millenos *ſiclos* argenti.
5 Vineæ quæ mea *eſt*, [12] apud me *permanent*:
milleni illi [13] tui, Schelomo etiam ducenti *ſi-
cli* cuſtodientium fructum ejus.
6 [14] O quæ habitas [15] in iſtis hortis, *b* [16] ſo-
ciis attendentibus ad vocem tuam prædica
me.
7 *c* [17] Accurre, dilecte mi, [18] & *d* ſimi-
lis eſto capreæ aut hinnulo cervorum, *qui ver-
ſaris* [19] in montibus aromatum.

[1] Hujus capitis loci ſunt tres: primus quo Eccleſia vetus agit de cooptatione gentium in eandem gratiam & conditionem per Chriſtum, tribus ver. ſecundus, quo Chriſtus ſuum erga Eccleſiam utramque commune ſtudium exponit, tribus alteris; poſtremus, quo Eccleſia præſens implorat ſponſi fidem & ſe committit ei, verſ. ult. Cur autem Eccleſiam hanc noſtram ex gentibus collectam ſororem nominet, vide ſupr. 7.6. [2] i. mihi & tibi, ô ſponſe. [3] videlicet immatura ante plenitudinem temporum: Gal. 4. quod ſequentium verborum epexegeſis docet. [4] cùm ego adminiſtrando, tum etiam tu dando efficaciter incrementum, & augendo benedictionibus. [5] i. quum myſterium illud ſacri connubii à temporibus æternis tacitum, ex imperio æterni Dei omnibus gentibus declarabitur, ut fide adjungantur tibi: ut Rom. 16.25. [6] ſubjectio ad præcedentem quæſtionem qua inter ſe ſtatuunt Chriſtus & Eccleſia quid ſint facturi in illa temporum plenitudine, per novam allegoriam, duobus verſibus ſenſus eſt, quò tempore cooptabitur Eccleſia gentium (quæ anguſtis Jeruſchalaimorum finibus præ multitudine capi non poterit, Jeſchah. 49.20. & Zecarjæ 2.8.) erit inducenda nova civitatis forma, & diruto muro mediano meo novus quaſi murus & novæ portæ ad ampliandum civitatem curandæ: quapropter nos communem operam in hac Eccleſiæ ædificatione conſumemus. Significatur enim civitas appellatione muri, & portæ ſynecdochicè, ut alibi in ſcriptura paſſim.
[7] id eſt, regiam pretioſiſſimam, & magnificentiſſimam, ut ſit domus magni regis, prout vocatur Pſal. 48.3.

[8] i. quum ego adunato gentium cœtu in civitatem unam cum illis coaluero, tum bonam partem deſiderii mei fuero conſequuta; nã prope erit tempus, quo in communionem perfectã pacis recipiar adventu ſponſi, ut nuptiæ conſummentur.
[9] i. non procul abero ab illa tranquillitate animi & felicitate, de qua nunc laboro tantopere: jam videbor mihi in limine ejus verſari: nam illi dies ultimi paſſim appellantur. [10] ſecundus locus, oratio ſponſi: qua primum oſtendit quàm pretioſa ſit ipſi Eccleſia per comparationem vineæ, duobus verſ. deinde ipſam ad prædicationem ſui Evangelii excitat, verſ. 6. Eſt autem hoc comparationis argumentum: ne rex quidem ipſe (ut vineam habeat feraciſſimam vini generoſiſſimi) eam aut ipſe poteſt colere, aut totum illius fructum percipere, ſed colendã aliis locat, & aliquid iis de proventu tenetur attribuere, hoc verſ. Ego verò, inquit ſponſus, neque aliis colendam loco, neque mihi quicquam de ea detrahi ſinam; adeo ſum illius zelotypus, ſed oculi mei ſemper verſantur in ea, verſ. ſeq. a Heb. *domino multitudinis vini.* [11] i. permagnum quidem fructum reddit Schelomoni (numerus certus pro incerto) ſed aliquam ſibi reſervat partem, utpote ducentenos ſiclos. Eſt enim hæc oratio ἀνταπόδοτος cujus membrum poſterius recipiendum eſt ex ſequ. verſ. [12] videlicet fructus, id eſt, illius ne tantillum quidem alienari ſino, aut aliena voluntate adminiſtrari.
[13] i. quos tu ex vinea tua percipis, eos ego ipſe conficio ex vinea mea, & ampliùs multò: apoſtrophe ſponſi glorioſa ad Schelomonem. [14] apoſtrophe ad Eccleſiam verſantem in terris & peregrinantem à domino, ut dictum eſt in ℣. 4.
[15] i. ſingulis Eccleſiis, quas ſtudio ſingulari Chriſtus ipſe extollit.
b Heb. *ſocios attendentes ad vocem tuam fac audire me.* [16] i. coram omnibus hominibus in terra converſantibus; qui vivere nolent ut porci & canes; ſed doctrinæ ſalutari animum advertere.
c Heb. *fugo.* [17] concluſio, qua Eccleſia accipiens mandatum ſponſi de prædicando ipſius nomine, præſentiam ipſius implorat ad ducendum atque regendum ſe, q.d. certum eſt mihi facere quod jubes; ſed tu ipſe adeſto & dato quæ jubes, promiſſaque perficere glorioſo adventu tuo feſtinato. [18] ut ſup. 2.17.
d Heb. *ſimilis eſto tibi.* [19] i. in cælis, ut ſup. 4.6. ſimilis concluſio, ut Apocal. 22. 20. etiam veni Domine Jeſu. Amen.

Πάντοτε δώξα Θεῷ.

*Tertiæ partis Bibliorum finis.*